S. ALPHONSI
DE LIGORIO

HOMO APOSTOLICUS

2

BX1757
L5
v.2
1895

009397



1080016024

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
VALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HOMO APOSTOLICUS

II

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HOMO APOSTOLICUS

INSTRUCTUS IN SUA VOCATIONE

AD AUDIENDAS CONFESSIONES

SIVE

PRAXIS ET INSTRUCTIO CONFESSARIORUM

AUCTORE

S. ALPHONSO DE LIGORIO

Doctore S. Ecclesiæ

EDITIO NOVA

TOMUS SECUNDUS

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCV

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez

45908

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX 1757
L5
v.2
1895

FONDO ... RIO
VALVERDE Y TELLEZ

HOMO APOSTOLICUS

TRACTATUS XVI.

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO

CAPUT I.

De materia et forma.

1. *De materia remota et proxima.*
2. *An Religiosi debeant confiteri semel in mense.*
3. *An peccata confessa sint materia apta.*
4. *An distinguenda sint peccata jam confessa a non confessis.*
5. *An necessarium verbum te. An verba peccatis tuis. An cætera verba. An per verbum absolvo possint absolvi censuræ. Requiritur præsentia pœnitentis.*
6. *De absolutione sub conditione.*

1. Pœnitentia accipitur uti virtus, et uti Sacramentum ; uti virtus definitur : *Virtus tendens in destructionem peccati, quantum est offensa Dei medio dolore, et satisfactione.* Uti Sacramentum: *Est Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, et in absolutione sacerdotis.* Pœnitentia uti virtus semper fuit necessaria *necessitate medii* ad salutem, sed tanquam Sacramentum in nova Lege adhuc est necessaria necessitate medii lapsis in mortale post Baptismum, saltem in voto, sive desiderio, si non potest realiter suscipi. Materia remota hujus Sacramenti juxta s. Thomam (1), et communem sententiam, sunt peccata post Baptismum commissa ; sed peccata mortalia sunt materia necessaria ; venialia, et mortalia alias confessa sunt materia *sufficiens* ; nam hæc sufficiunt ut recipiatur absolutio, sed nemo tenetur ea confiteri. Materia *proxima* juxta eumdem s. Th. (2), sunt actus pœnitentis, a Trid. nuncupati *quasi materia*, quia non sunt materia physica ; prout est illa cæterorum Sacramentorum ; ii actus sunt (ut declaravit Concilium) contritio, confessio et satisfactio. Satisfactio tamen non est pars essentialis ut sunt duæ primæ, sed tantum integralis; nam sine illa in aliquo casu bene potest esse validum Sacramentum. Hoc est contra Scotum, qui vult totam essentiam consistere in sola absolutione.

2. Loquendo de materia remota, dictum est venialia, et mortalia alias confessa esse tantum materiam sufficientem. Sed in hoc quæritur 1. an Religiosi et Moniales teneantur ad confitendum saltem semel in mense, quamvis mortalibus non sint gravati ? Dubium oritur ex *Clement. Ne in agro, §. Sane, de statu Monach*, ubi (cum sermo fiat de Monach. benedictinis) sic dicitur : *Sane singulis mensibus tam in monasteriis quam extra (sublata occasione quacumque) ad confessionem saltem semel accedant omnes et singuli monachi. Et in prima dominica mensis cujuslibet in monasteriis semper communicent.* His positis, alii dd. Azor. Vasq. Hurta-

(1) 3. p. q. 84. a. 1. ad 1 et 2.

(2) Ib. a. 2.

000397

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dus, etc. (1) dicunt hoc esse præceptum obligans sub culpa gravi; unde dicunt teneri Religiosos quolibet mense confiteri, licet gravibus peccatis obnoxii non sint. Sed communius Sotus Can. Cajetan. Navar. Molfes. et Megal. (2) tenent præfatam Clementinam præceptum grave non inducere. Imo p. Suar. (3) dicit præfatum Decretum non importare præceptum, sed tantum consilium; et deducit ex Tridentino *sess.* 25 *c.* 10. ubi cum sermo fiat de monialibus, sic dicitur: *Attendant diligenter Episcopi, et cæteri Superiores sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant et Eucharistiam suscipiant* Ex quibus verbis concludit p. Suar., quod nisi constet quod constitutiones religionis obligent sub gravi, nulla rigorosa obligatio de hoc habetur. Et idem sentiunt Castropal. Can. Præpos. Vivald. Leand., etc. apud Salmant. (4). Et hoc quod dicunt aa. citati de confessione, dicunt etiam de communione.

3. Quæritur 2. an peccata alias confessa sint materia apta ad recipiendam absolutionem? Dubium oritur ex eo quod peccatum remissum non est amplius capax remissionis; unde videtur non esse materia apta confessionis. Sed est communis sententia, et usus fidelium, qui id admittit cum s. Thoma (5). Suar. Castrop. Salm. etc., et est certum ex Extravaganti 1. *de Privil.* §. *Verum, in fine*, ubi dicitur: *Ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Nec obstat dicere quod peccatum remissum non est amplius peccatum, quia peccatum licet remissum semper est peccatum commissum; unde bene potest esse materia Sacramenti non semel, sed iterum atque iterum et amplius, ut ipsa aqua bene potest esse materia multorum baptismorum (6).

4. Quæritur 3. an in confessione sint necessario distinguenda peccata confessa a non confessis. Respondetur negative cum Bonac. Lug. Conc. et Sanch., modo hoc non sit necessarium ob occasionem proximam, quæ removenda foret, aut ob casum reservatum, aut ob aliam circumstantiam (7).

5. Forma Sacramenti pœnitentiæ sunt verba sacerdotis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Autumant nonnulli auctores primævis temporibus formam fuisse deprecatoriam, prout est nunc (ut testatur Martene et Tourn.) forma Græcorum; sed quoad Latinos, hoc negant Baronius Gonet et alii (8). Sed hic quæritur 1. an sit de essentia verbum *te*? Negant Lugo et Wigandt sentientes satis exprimi verbum *te* per alia in forma contenta, id est *a peccatis tuis.* Sed communissime affirmant Bonac. Castropal. Conc. et Holzman. Et quia hæc sententia est etiam probabilis, hæc in praxi tenenda est, cum proscripta sit ab Innoc. XI. propos. 1. quæ dicebat licitum esse in conficiendo Sacramento uti opinione probabili. Quæritur 2. an sint necessaria verba *a peccatis tuis*? Negant Milante Conc. Lugo Holzm. etc., nam (dicunt) ex circumstantiis sufficienter determinantur alia verba ad peccata pœnitentis. Et in Catechism. rom. (*p.* 2 *n.* 14.) alia verba non exprimuntur de formæ essentia, quam: *Ego te absolvo.* Sed multi alii dd. ut Paludan. Major. Croix Mazz. etc., volunt esse necessaria, quia si valeret ea ratio adversariorum, dicunt etiam verbum *te* posse reticeri. Et quia hæc sententia est etiam probabilis, hæc sequenda est, ut confiten-

(1) Apud Dianam p. 8. tract 1. resp. 16.— (2) Ib. p. 3. tr. 3 resp. 4. —(3) in 3p. sess. 2. — (4) Castr. tr. 23. d. unde Pœn. p. 20. §. 2. n. 6. Can. relect. de Pœn. c. 3. At vero Salm. tr. 6. c. 7. n. 33. — (5) In 4. d. 17. q. 3. a 3. q. 5. ad 4.

(6) I. 6. n. 427. dubit. 2. — (7) n 425. ad 2. — (8) N. 430.

tur iidem adversarii Holzman Ronc. etc. Et omnes conveniunt esse grave, si omittantur (1). Est sententia communis contra Durandum (doctorem cæteroquin doctum, sed extravagantem in suis opinionibus) verba *in nomine Patris, etc.* non esse de essentia; et communissime dicunt Bonac. Castrop. Salm. Croix etc. quod ea omittere non excedat veniale (2). Cætera verba: *Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.*, commune est quod possint omitti citra peccatum. Et idem dicunt dd. de verbis: *Dominus noster Jesus Christus, etc.* dum Trident. *sess.* 14. c. 3. dicit tantum quod, excepta forma, aliæ preces *laudabiliter adjunguntur.* Sed p. Concina contendit omittere præfata verba esse veniale, et non sine ratione, dum Rit. rom. (*de Form. absol.*) dicit: *In confessionibus frequentioribus omitti potest*, misereatur etc., *et satis erit dicere*: Dominus noster Jesus Christus *usque ad illud*, passio etc. *Urgente vero aliqua gravi necessitate in articulo mortis, breviter dicere poterit*: Ego te absolvo ab omnibus censuris, et a peccatis tuis. In nomine Patris, etc. (3). Commune est sacerdotem per illa verba *Te absolvo* posse absolvere tam a peccatis, quam a censuris. Nihilominus dicunt recte Concina Sotus Salmant. etc. facere hoc sine causa esse veniale, quia est contra Ecclesiæ morem; nisi esset (ut probabiliter dicunt Holzm. Viva etc.), quia nulla esset suspicio quod pœnitens aliquam incurrisset censuram (4). Certum est autem formam proferendam esse præsente pœnitente: et fuit damnata a Clemente VIII. an 1602. die 20. Junii, propositio quæ dicebat: *Licere per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtineri.* Et declarando Pontifex absolutionem illicitam, ut bene advertunt Salm., declaravit etiam esse invalidam; quia Papa in casibus necessitatis non potuisset eam prohibere. Et Paulus V. anno 1604. die 14. julii id prohibuit, licet præcessisset confessio in præsentia facta (5). Talis præsentia sufficit ut sit moralis, nempe in ea distantia in qua solent homines voce usuali, licet alta, alloqui. Hanc distantiam Sporer et alii extendunt ad 20. passus; dicunt tamen quod si pœnitens a confessionali discessit, confessarius eum arcessere debet, ut absolvat, cum id commode fieri potest. Cæterum ait ipse Sporer, cum Bonac. et Gobat, quod sine scrupulo potest confessarius absolutionem impertiri pœnitenti, cum certo scit parum distare. Tenet rationabiliter Tamb. quod si absolutio daretur ei qui ex tecto præcipitat, debet dari sub conditione, cum dubium sit an in tanta distantia adsit præsentia moralis. Advertunt tamen communiter dd., non referre quod pœnitens absolutionem non audiat. Imo prudenter admonet Croix ut absolutio submissa voce proferatur, ut si forte aliquis dimittitur non absolutus, alii id non animadvertant (6).

6. Quæritur hic ultimo quandonam sit valida et licita absolutio, quæ datur sub conditione? Si conditio est de futuro, communiter dicunt invalidam esse. Admittit tamen p. Viva, posse ita conferri absolutionem: *Absolvo te si Deus cognoscit quod restitues id quod debes*; sed recte id negant Coninch. Dicas. Conc. Tournel. etc., quia cum Deus in hominum manus Sacramentorum administrationem commiserit, non possunt apponi conditiones quæ hominibus innotescere nequeunt (7). Si contra conditio est de præterito, aut de præsenti, omnes conveniunt eam esse validam, et etiam licitam, cum justa adest causa, juxta sententiam communem (contra pauciores), ut dictum est *Tract.* 14. *n.* 3. Causæ au-

(1) N. 430. dubit. 2.— (2) Ib. dubit. 3. — (3) Lib. 6. n. 430. v. verba autem. — (4) Ib. dubit. 4.

(5) N. 428. —(6) N. 429. —(7) N. 431. et etiam n. 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem justæ sunt 1. si confessarius prudenter dubitat de absolutione collata ; Suar. Lugo Ronc. Bonac. Salmant. Croix etc.; 2. si dubitatur de pœnitentis dispositione, et contra adesset necessitas eum absolvendi, ut dicetur *Tract. ult., punct. 4. et 7.*, loquendo de pueris, et moribundis. Cæterum plerumque confesssarius debet esse certus de pœnitentis dispositione, ut eum licite absolvere possit ; quare recidivi, non solum in peccata mortalia, sed etiam in venialia, non possunt absolvi, nisi certa dent signa suæ dispositionis, ut dicetur *punct.* 2. præfati *Tractatus ultimi*; 3. ut dicit Bonac. recte absolvi possunt sub conditione illæ personæ piæ quæ confitentur de solis imperfectionibus, circa quas dubitatur an ob advertentiæ defectum pertingant ad venialia; et hoc non videtur improbabile, cum justa causa videatur eas ita absolvendi, ne hujusmodi animæ hujus Sacramenti fructu careant per multum tempus. Dico *per multum tempus*, quia hoc non admitterem, nisi semel in mense. Dicit præterea Sporer quod confessarius potest absolutionem impertiri, si dubitat de jurisdictione; sed hoc puto non esse admittendum, nisi cum pœnitens existeret in mortali, et alias multum temporis absolutione privarideberet. Hoc cæteroquin debet intelligi in solo dubio facti ; quia si jurisdictio est positive dubia de jure, idest si probabilis est ob dd. auctoritatem, bene potest absolute conferri : nam tunc supplet Ecclesia, semper ac gravis adest causa, ut diximus *Tr.* 1. *n.* 27. Præterea dicunt Spor. et Mazz. quod potest absolvi sub conditione pœnitens qui est in necessitate communicandi, et est dubie dispositus. Sed in hoc distinguendum est, ut diximus *Tr.* 15. *n.* 34., et videndum an dubium sit de peccati actione, aut de confessione peccati jam commissi ; quia si pœnitens est certus quod grave peccatum patravit, et ejus dispositio est dubia, ille communicare nequit, licet absolutus fuisset sub conditione; et si non potest communicare, nec etiam potest absolvi; nam tunc deest causa necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur (1). Vide *n.* 34. *Tr.* 15.

CAPUT II.

De contritione et proposito

7. Sicut superius vidimus, et sicut declaravit Trid. *sess.* 14. *cap.* 3 tres sunt partes necessariæ Pœnitentiæ, contritio nempe confessio, et satisfactio. Sigillatim erit sermo de singulis eorum in punctis distinctis. Et primo de contritione.

PUNCTUM I.

DE CONTRITIONE.

8. *In quo consistat contritio.*
9. *Ex quo motivo producitur.*
10. *Quandonam tenemur ad contritionem.*
11. *An in articulo mortis, etc.*
12. *An sufficiat dolor generalis.*
13. *An actus Fidei, Spei, etc.*
14. 15 et 16. *An sufficiat attritio sine amore prædominante.*
17. *An sufficiat attritio ex timore pœnarum temporalium.*
18. *An detur Sacramentum validum, et informe.*
19. *An dolor debeat præcedere confessionem.*
20. *Quantum temporis perduret dolor.*
21. *An dolor debeat elici in ordine ad confessionem.*
22. *Qui mox se reconciliat, an novum dolorem elicere debeat.*
23. *De dolore peccatorum venialium.*

8. Quoad contritionem, Trident., *sess.* 14. *c.* 4. distinguit, et dicit aliam esse contritionem *perfectam*, quæ oritur ex motivo charitatis; aliam *imperfectam*, quæ attritio nuncupatur, quæ concipitur aut ex turpitudinis peccati consideratione, aut gehennarum timore, excludens peccati voluntatem, et veniæ spem includens. Loquamur nunc de contritione *perfecta*, quomodo illa esse debeat, et quando sit necessaria ; deinde loquemur de attritione. Contritio definitur a Concilio : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* : hinc quæritur hic 1. an contritio consistat in dolore, an vero in detestatione peccatorum. Alii, ut Gonet, volunt consistere in dolore qui præsupponit detestationem ; alii in detestatione, quam subsequitur dolor ; et hæc 2. sententia est verior, et quasi communis cum Suar. Nav. Cajet. Holzm. Sporer et aliis cum s. Thoma (1) qui dicit : *Exigitur ad remissionem ut homo peccatum detestetur.* Ratio est, quia non jam dolor est causa detestationis ; sed detestatio est causa doloris. Cæterum, ut rectedicunt Frassen, Vega, Coninch. Holzm. Sporer et Croix, non est dubitandum quin in uno explicite contineatur aliud; dum qui peccatum detestatur, necessario de illo dolet ; et qui de illo dolet, necesario illud detestatur (2).

(1) Lib. 6. n. 432.

9. Quæritur 2. ex quo motivo producitur contritio perfecta ? Alii dicunt ex offensione irrogata cuicumque attributo divino, misericordiæ, justitiæ, etc.; et recte hanc sententiam dicunt Lugo et Suar. esse satis probabilem, dum qui diligit divinam misericordiam, aut justitiam, respectu ad Deum, jam diligit Deum ipsum, cum misericordia et justitia divina sint ipse Deus ; et ita contra, quem pœnitet offensæ illatæ in divinam misericordiam respectu ad Deum, jam pœnitet sui peccati, non jam ob motivum dilectionis erga seipsum, sed erga Deum. Sententia tamen communior vult contritionem procedere debere ex offensa facta in divinam bonitatem, cum contritio, ut docet Trid., oriatur ex charitate et charitas, juxta sententiam communiorem, habet pro objecto Dei bonitatem, in quantum illa comprehendit omnes divinas perfectiones ut diximus *Tr.* 4. *n.* 9. (3).

10. Quæritur. 3. Quando obliget præceptum contritionis ? Certum est obligare, 1. in periculo mortis. 2. Quando homo tenetur ad eliciendum actum amoris, quem, ut diximus (*Tr.* 4. *n.* 13.), quilibet tenetur elicere semel in mense. 3. Licet sit probabile quod extra periculum mortis non adsit præceptum speciale contritionis, unde dixit s. Thomas (4) impœnitentiam finalem non esse peccatum grave speciale, nihilominus præscindendo ab obligatione annualis confessionis, dicimus peccare graviter contra charitatem erga seipsum, qui diutius perseverat in peccato, ut dicit s. Thomas, dum qui caret gratia, non potest diutius in grave aliud peccatum non labi : *Sine gratia justificante*, ait s. Doctor (5), *quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest.* Quantum autem sit hoc longum tempus, Conc. et Ronc. putant esse hebdomadam circiter ; alii tamen communius, ut Castrop. Laym. Lugo Salmant. Henno Elbel etc., dicunt esse spatium anni. Prima opinio mihi videtur nimis rigida, sed nec acquiescere possum secundæ, saltem ob obligationem quæ adest (ut diximus) eliciendi actum charitatis semel in mense ; verum tamen est quod rudes difficulter eam obligationem advertant (6). Volunt autem nonnulli esse obligationem contritionis peccatoribus quolibet die festo, ut adimpleatur finis sanctificandi festa ; sed hoc communiter negatur, quia (ut dictum est cum s. Thoma *Tr.* 2. *n.* 28.) finis præcepti non cadit sub præcepto.

11. Quæritur 4. an in mortis articulo, qui cum sola attritione confitetur, teneatur etiam ad eliciendam contritionem ? Affirmat prima sententia cum Suar. Bonac. Conc. etc., sed secunda sententia multo communior cum Lugo Laym. Conc. Castropal. Ronc. Holzm. Salm. Becan. Sporer. etc. negat et Suarez appellat eam valde probabilem, quia dato quod

(1) 3. p. q. 87. a. 1.— (2) L. 6. n. 435. — (3) L. 6. n. 436.

(4) 2. 2. q. 14. a. 2.— (5) 1. 2. q. 109. a. 8. — (6) L. 6. n. 437. dubit. 1.

tem justæ sunt 1. si confessarius prudenter dubitat de absolutione collata ; Suar. Lugo Ronc. Bonac. Salmant. Croix etc.; 2. si dubitatur de pœnitentis dispositione, et contra adesset necessitas eum absolvendi, ut dicetur *Tract. ult., punct. 4. et 7.*, loquendo de pueris, et moribundis. Cæterum plerumque confesssarius debet esse certus de pœnitentis dispositione, ut eum licite absolvere possit ; quare recidivi, non solum in peccata mortalia, sed etiam in venialia, non possunt absolvi, nisi certa dent signa suæ dispositionis, ut dicetur *punct.* 2. præfati *Tractatus ultimi*; 3. ut dicit Bonac. recte absolvi possunt sub conditione illæ personæ piæ quæ confitentur de solis imperfectionibus, circa quas dubitatur an ob advertentiæ defectum pertingant ad venialia; et hoc non videtur improbabile, cum justa causa videatur eas ita absolvendi, ne hujusmodi animæ hujus Sacramenti fructu careant per multum tempus. Dico *per multum tempus*, quia hoc non admitterem, nisi semel in mense. Dicit præterea Sporer quod confessarius potest absolutionem impertiri, si dubitat de jurisdictione; sed hoc puto non esse admittendum, nisi cum pœnitens existeret in mortali, et alias multum temporis absolutione privarideberet. Hoc cæteroquin debet intelligi in solo dubio facti ; quia si jurisdictio est positive dubia de jure, idest si probabilis est ob dd. auctoritatem, bene potest absolute conferri : nam tunc supplet Ecclesia, semper ac gravis adest causa, ut diximus *Tr.* 1. *n.* 27. Præterea dicunt Spor. et Mazz. quod potest absolvi sub conditione pœnitens qui est in necessitate communicandi, et est dubie dispositus. Sed in hoc distinguendum est, ut diximus *Tr.* 15. *n.* 34., et videndum an dubium sit de peccati actione, aut de confessione peccati jam commissi ; quia si pœnitens est certus quod grave peccatum patravit, et ejus dispositio est dubia, ille communicare nequit, licet absolutus fuisset sub conditione; et si non potest communicare, nec etiam potest absolvi; nam tunc deest causa necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur (1). Vide *n.* 34. *Tr.* 15.

CAPUT II.

De contritione et proposito

7. Sicut superius vidimus, et sicut declaravit Trid. *sess.* 14. *cap.* 3 tres sunt partes necessariæ Pœnitentiæ, contritio nempe confessio, et satisfactio. Sigillatim erit sermo de singulis eorum in punctis distinctis. Et primo de contritione.

PUNCTUM I.

DE CONTRITIONE.

8. *In quo consistat contritio.*
9. *Ex quo motivo producitur.*
10. *Quandonam tenemur ad contritionem.*
11. *An in articulo mortis, etc.*
12. *An sufficiat dolor generalis.*
13. *An actus Fidei, Spei, etc.*
14. 15 et 16. *An sufficiat attritio sine amore prædominante.*
17. *An sufficiat attritio ex timore pœnarum temporalium.*
18. *An detur Sacramentum validum, et informe.*
19. *An dolor debeat præcedere confessionem.*
20. *Quantum temporis perduret dolor.*
21. *An dolor debeat elici in ordine ad confessionem.*
22. *Qui mox se reconciliat, an novum dolorem elicere debeat.*
23. *De dolore peccatorum venialium.*

8. Quoad contritionem, Trident., *sess.* 14. *c.* 4. distinguit, et dicit aliam esse contritionem *perfectam*, quæ oritur ex motivo charitatis; aliam *imperfectam*, quæ attritio nuncupatur, quæ concipitur aut ex turpitudinis peccati consideratione, aut gehennarum timore, excludens peccati voluntatem, et veniæ spem includens. Loquamur nunc de contritione *perfecta*, quomodo illa esse debeat, et quando sit necessaria ; deinde loquemur de attritione. Contritio definitur a Concilio : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* : hinc quæritur hic 1. an contritio consistat in dolore, an vero in detestatione peccatorum. Alii, ut Gonet, volunt consistere in dolore qui præsupponit detestationem ; alii in detestatione, quam subsequitur dolor ; et hæc 2. sententia est verior, et quasi communis cum Suar. Nav. Cajet. Holzm. Sporer et aliis cum s. Thoma (1) qui dicit : *Exigitur ad remissionem ut homo peccatum detestetur.* Ratio est, quia non jam dolor est causa detestationis ; sed detestatio est causa doloris. Cæterum, ut rectedicunt Frassen, Vega, Coninch. Holzm. Sporer et Croix, non est dubitandum quin in uno explicite contineatur aliud; dum qui peccatum detestatur, necessario de illo dolet ; et qui de illo dolet, necesario illud detestatur (2).

(1) Lib. 6. n. 432.

9. Quæritur 2. ex quo motivo producitur contritio perfecta ? Alii dicunt ex offensione irrogata cuicumque attributo divino, misericordiæ, justitiæ, etc.; et recte hanc sententiam dicunt Lugo et Suar. esse satis probabilem, dum qui diligit divinam misericordiam, aut justitiam, respectu ad Deum, jam diligit Deum ipsum, cum misericordia et justitia divina sint ipse Deus ; et ita contra, quem pœnitet offensæ illatæ in divinam misericordiam respectu ad Deum, jam pœnitet sui peccati, non jam ob motivum dilectionis erga seipsum, sed erga Deum. Sententia tamen communior vult contritionem procedere debere ex offensa facta in divinam bonitatem, cum contritio, ut docet Trid., oriatur ex charitate et charitas, juxta sententiam communiorem, habet pro objecto Dei bonitatem, in quantum illa comprehendit omnes divinas perfectiones ut diximus *Tr.* 4. *n.* 9. (3).

10. Quæritur. 3. Quando obliget præceptum contritionis ? Certum est obligare, 1. in periculo mortis. 2. Quando homo tenetur ad eliciendum actum amoris, quem, ut diximus (*Tr.* 4. *n.* 13.), quilibet tenetur elicere semel in mense. 3. Licet sit probabile quod extra periculum mortis non adsit præceptum speciale contritionis, unde dixit s. Thomas (4) impœnitentiam finalem non esse peccatum grave speciale, nihilominus præscindendo ab obligatione annualis confessionis, dicimus peccare graviter contra charitatem erga seipsum, qui diutius perseverat in peccato, ut dicit s. Thomas, dum qui caret gratia, non potest diutius in grave aliud peccatum non labi : *Sine gratia justificante*, ait s. Doctor (5), *quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest.* Quantum autem sit hoc longum tempus, Conc. et Ronc. putant esse hebdomadam circiter ; alii tamen communius, ut Castrop. Laym. Lugo Salmant. Henno Elbel etc., dicunt esse spatium anni. Prima opinio mihi videtur nimis rigida, sed nec acquiescere possum secundæ, saltem ob obligationem quæ adest (ut diximus) eliciendi actum charitatis semel in mense ; verum tamen est quod rudes difficulter eam obligationem advertant (6). Volunt autem nonnulli esse obligationem contritionis peccatoribus quolibet die festo, ut adimpleatur finis sanctificandi festa ; sed hoc communiter negatur, quia (ut dictum est cum s. Thoma *Tr.* 2. *n.* 28.) finis præcepti non cadit sub præcepto.

11. Quæritur 4. an in mortis articulo, qui cum sola attritione confitetur, teneatur etiam ad eliciendam contritionem ? Affirmat prima sententia cum Suar. Bonac. Conc. etc., sed secunda sententia multo communior cum Lugo Laym. Conc. Castropal. Ronc. Holzm. Salm. Becan. Sporer. etc. negat et Suarez appellat eam valde probabilem, quia dato quod

(1) 3. p. q. 87. a. 1.— (2) L. 6. n. 435. — (3) L. 6. n. 436.

(4) 2. 2. q. 14. a. 2.— (5) 1. 2. q. 109. a. 8. — (6) L. 6. n. 437. dubit. 1.

certa sit sententia (ut ostendemus n. 14.) sufficere ad confessionem solam attritionem, qui cum illa confessus est jam est moraliter certus de divina gratia. Hæc secunda sententia est valde probabilis ; sed non potest negari quin prima omnino moribundis suadenda sit ; tanto magis quod in extremo vitæ tenemur ad actum amoris, cui satisfieri non potest, nisi peccatum detestemur cum memoriæ occurrit, ut communiter dd. (1).

12. Quæritur 5. an ad obtinendam justificationem sufficiat dolor generalis de peccatis commissis ? In hoc quicquid dicant aliqui, qui perperam volunt actum doloris particularis pro quolibet peccato in particulari, aut saltem (dicunt alii) actualem memoriam cujuslibet peccati, certa est sententia quod sufficiat dolor omnium peccatorum quibus Deum offendit : ita Scotus Suarez Juvenin. Conc. Laym. Cajet. Holzm. Sporer Croix et alii multi ; imo Cajetanus ridiculam appelat sententiam oppositam ; et nostram expresse docet s. Thomas (2) qui dicit : *Ad justificationem non requiritur quod aliquis de singulis peccatis cogitet, sed sufficit quod cogitet de hoc, quod per culpam suam est aversus a Deo. Recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel præcedere, vel saltem sequi justificationem*, nempe (ut explicant Suar. et alii illud *sequi*) in ordine ad confessionem, quæ doloris actum sequitur. Idem docet Catechism. rom. (*De Sacram. Pœnit. part. 2. n. 30*), ubi dicit quod Deus parcit peccatori, *simul atque ille se collegerit et universa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat*, (nempe ut confiteatur) *ad Dominum se converterit*. Et ratio est clara : primo quia ex scripturis constat quod peccator remissionem obtinet statim ac ad Deum se convertit ; *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Ezech.* 33. 12. Itaque si in detestatione primi peccati homini non omnia remissa fuissent, ille reciperet remissionem illius tantum, quin remitterentur alia ; sed hoc est impossibile, quia in peccatis mortalibus non potest unum peccatum sine alio remitti. Secundo quia (et hæc est ratio intrinseca) quem pœnitet suorum peccatorum ob motivum generale, quatenus sunt offensa Dei, necessario dolet de quolibet peccato quod habet in anima, ut docet idem s. Thomas (3), qui dicit quod sicut qui diligit communitatem, diligit quemlibet illius ; ita quem pœnitet omnium peccatorum suorum, pœnitet etiam singulorum (4). Hactenus de contritione ; nunc de attritione quæ est necessaria ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Sed prius videamus circa actus fidei etc.

13. Quæritur 6. an ad obtinendam gratiam in confessione requirantur actus expliciti Fidei, et Spei ? Alii affirmant : sed alii communius negant, cæterum recte dicunt Lugo et Escob. quod pœnitens semper ac habet actum doloris, etiam explicite (non jam reflexe, sed exercite) actus fidei et spei habet, quia tunc sine dubio exercite credit, et sperat sibi per Sacramentum Pœnitentiæ in virtute meritorum Christi peccata remitti (5).

14. Quæritur 7. an ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat attritio, et an ad illam requiratur *amor inchoatus* ? Conveniunt theologi in affirmando utrumque ; sed quæstio magna est an hic amor inchoatus debeat esse charitas prædominans, qua diligitur Deus super omnia ? Ita volunt Merbes. Molin. Habert. Juven. Conc. Antoine, et alii pauci, qui dicunt talem amorem ideo dici *inchoatum*, sive initiatum, quantum est in gradu remisso ; nam, ut dicunt, cum dolor oritur ex amore intenso, tunc est contritio perfecta, quæ remittit peccata etiam extra confessionem. Sed sententia satis communis, quam nos sequimur, tenet sufficere attritionem sine charitate prædominante, quæ oritur ex timore inferni, aut gloriæ amissione, aut ex horrore erga peccati turpitudinem, lumine fidei cognitam : ita tenent Gonet Canus Petrocor. Tournel. Cabass. Wig. Abelly Nav. Suar. Tol. Lug. Laym. Salm. et alii multi cum Benedicto XIV. (1), qui asserit quod post Trident. cum plausu hanc sententiam omnes scholæ sibi adoptarunt ; unde recte dicunt Suar. Less. Castr. Filliuc. Carden. Rainaud. Lug. Prado Tanner. Viva et Croix, hanc sententiam hodie post Concilium esse moraliter certam, et oppositam non esse amplius probabilem. Et quod scholæ (saltem communius) tanquam moraliter certam habeant, constat ex Decreto Alex. VII. 1667. die 5. Maii, ubi sub excommunicatione prohibuit : *Ne quis audeat alicujus theologicæ censuræ, alterius quæ injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem ullaadis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communis videtur ; sive asserentem dilectionis necessitatem*. Attestando igitur Pontifex sententiam negantem esse communiorem inter scholasticos, consequenter testatur in scholis haberi communiter certam, dum quisque scit quod circa Sacramentorum valorem aliæ sententias, quam moraliter certas, non posse dd. amplecti. Nec præfato Decreto vetuit Pontifex sententiam oppositam posse nuncupari improbabilem ; nam improbabilitas non est nota censuræ, aut contumeliæ per Decretum vetita. Tanto magis quod (sicut infra dicemus) nos non negamus requiri in attritione initium amoris ; sed dicimus tantum non requiri charitatem prædominantem. Sed ad probationes descendamus.

15. Probatur nostra sententia 1. ex Trident *Sess. 14 c. 4* ubi loquendo de attritione ex metu gehennæ concepta, etc. sic dicit : *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. Opponunt adversarii quod Concilium non dixit : *sufficit*, sed *disponit* ; ergo, dicunt, attritio sine charitate disponit, sed non sufficit ; tanto magis quod, referente Card. Pallavicino, Concilium, post gravem theologorum dissensionem, abstulit verbum *sufficit*, quod jam exaratum erat, et in ejus locum sufficit verbum *disponit*. Sed recte respondet Gonet, quod Concilium ideo suffecit *disponit*, in quantum importabat necessario idem ac *sufficit*, quia attritio ex inferni metu concepta, cum etiam sit donum Dei, ut declaravit Concilium, etiam extra Sacramentum remote semper disponit ad gratiam ; in Sacramento igitur disponit proxime ad illam. Hoc clare patet ex iisdem verbis : *Et quamvis*, etc. : si concilium loqui intellexisset de sola dispositione remota, quin eam gratia subsequeretur, inconcludenter et perperam dixisset : *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ attritio gratiam producere non possit, tamen in Sacramento disponit ad eam impetrandam* ; sed dicere debuisset : Et quamvis attritio extra Sacramentum non disponat ad gratiam, disponit tamen ad eam impetrandam in Sacramento. Cum igitur dixit : *Quamvis sine Sacramento non possit attritio perducere peccatorem ad justificationem, tamen eum in Sacramento disponit ad impetrandam gratiam*, necessario intellexit de dispositione proxima. Hoc confirmatur clarius ex verbis quæ subjunguntur : *Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque*

(1) Ibi d. dubit. 2. — (2) De veritate q 28 a. 5. ad 4.

(3) In 4. dist. 17. q 2. a. 3. q. 3 ad 2. — (4) I. 6. n. 438. — (5) N. 439.

(1) De Synod. I. 7. c. 13. ex n. 6.

bono motu suscipientium gratiam conferre. Hæretici cum Luthero numquam Catholicos calumniati sunt, qui dicebant dari gratiam contritis, sed tantum eos qui dicebant dari attritis, ex eo quia isti bonorum motuum expertes non sunt, et sufficientem habent dispositionem ad obtinendam gratiam in Sacramento : *Tristitia* (dicebat Lutherus) *ob fœditatem peccatorum amissionem beatitudinis*, etc. *fecit magis peccatores, et tales indigne absolvuntur*, ideoque damnabat eos, *qui vocant attritionem hanc proxime disponentem ad contritionem.* Hi sunt igitur illi quos Concilium dicit falso ab hæreticis calumniari.

16. Probatur. 2. ratione, quia Sacramenta actualiter operantur quod significant ; unde verificari debet (ex se loquendo) quod, cum sacerdos dat absolutionem, eo momento peccata remittuntur ; propterea Pœnitentia nuncupatur Sacramentum mortuorum quia confert vitam gratiæ illi qui ea privatus est. Si ergo in dolore necessario exigeretur charitas prædominans, Sacramentum nunquam causaret gratiam, quia omnes accederent jam justificati, nam quilibet dolor qui ex charitate prædominante procedit, est vera contritio, ut docet s. Thomas (1) ; et hoc accidit (ut explicat Sanctus) quoties homini displiceat potius gratiæ, quam alterius boni amissio ; et cum illa sit vera contritio, quamvis exiguus sit dolor, delet peccata : *Quantumcumque parvus sit dolor* (verba Angelici), *dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Et hic certe Sanctus loquitur de dolore extra Sacramentum, sicut alibi id exprimit (2) : *Per solam contritionem dimittitur peccatum... Sed si, antequam absolvatur, habeat hoc Sacramentum in voto, jam virtus clavium operatur in ipso.* Quid clarius ? Sed quod quælibet contritio quæ oritur ex charitate prædominante deleat peccata, legitur in eodem Trident. *sess.* 14. *c.* 4. in illis verbis : *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, etc.* Hic certe non loquitur de charitate perfecta ratione intensionis, sed de charitate perfecta ratione motivi charitatis prædominantis ; nam Concilium hic distinguit eam a contritione imperfecta, quæ originem non habet ex charitate subjungendo immediate ibi : *Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur.* Et ratio est clara, quia quælibet contritio est actus formalis charitatis, et charitas non potest cum peccato conjungi, ut probatur ex sexcentis Scripturæ locis : *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8. 17. *Qui autem diligit me, diligitur a patre meo.* Joan. 14. 21. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Epist. 1. Joan. 4. 7. Et id communiter docent ss. Patres, et theologi cum s. Thoma (3) qui dicit : *Charitas non potest esse cum peccato mortali*, et pro charitate utique s. Doctor non intelligit hic intensam, sed prædominantem, dum alibi (4) declarat charitatem consistere in amando Deum super omnia, dicens : *Actus peccati mortalis contrariatur charitati... quæ consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia.* Certius hoc fit ex propos. 32. Baii damnata a Gregorio XIII. quæ dicebat : *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum.* En sic quæro : quisnam est amor, qui est plenitudo legis, nempe qui satis est ad adimplendum præceptum charitatis? Certe est ille quo diligitur Deus super omnia, ut fatentur omnes cum s. Thoma (5), qui explicans illud præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, dicit : *Cum*

(1) Suppl. q. 5. a. 3. — (2) quodlib. 4. a. 10.

(3) 2. 2. q. 45 a. 4. — (4) N. 2. 2. q. 24. a. 12 — (5) 2. 2. q. 44. a. 8. ad 2.

mandatur quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi quod Deum super omnia debemus diligere. Itaque cum certum sit charitatem prædominantem, quamvis remissam, non posse cum peccato conjungi certum est etiam quamlibet contritionem, quæ formaliter est actus charitatis, delere peccata. Igitur hoc posito, si velint ut amor inchoatus, requisitus in attritione, sit amor prædominans, hoc non recte prætenditur, quia (ut ostendimus) si hoc esset, quilibet peccator accedere deberet jam justificatus ad recipiendam absolutionem sacramentalem, adeoque nunquam accideret quod Sacramentum causaret actualem justificationem, quæ est proprius illius effectus. Si autem in attritione, pro dispositione ad gratiam obtinendam, desideratur amor inchoatus qui sit principium amoris, sicut loquitur Trid. *sess.* 6. *c.* 6., *de justif.* dum agit de dispositione eorum, qui ad obtinendam justificationem *Deum... tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* : hoc non negatur, et dicimus hoc initium jam in qualibet attritione reperiri, tum metu pœnarum a Deo infligendarum ex eo quod dicit *Ecclesiastic.* 25. 16. *Timor Dei initium dilectionis ejus ;* tum spe remissionis et beatitudinis, ex eo quod dicit s. Thomas (1) : *Ex hoc quod per aliquem speramus bona, incipimus ipsum diligere.* Sed non jam si optatur verus charitatis prædominantis actus ; hic certe non est necessarius ut in Sacramento obtineatur gratia. Adeo id verum est ut, referente eodem Pallavicino (2), ad illa verba *diligere incipiunt*, nonnulli Patres Concilii contendebant addendum esse, *per actum charitatis ;* sed obstitit Concilium, et non adjecta fuerunt.

Quidam auctor modernus libri, cui titulus *Esposizione sulla dottrina cristiana*, loquens de Sacramento Pœnitentiæ, inducit super hoc puncto aliam inauditam opinionem, et dicit : Quod si peccator, qui habet charitatem prædominantem remissam, decessurus sit ante susceptionem Sacramenti, hunc non sinet Deus damnari, quia (ut ait) horrendum videtur, quod Deus in æternum perdat, qui eum super omnia diligit. Unde censet, eo casu Deum per quandam providentiam extraordinariam illum salvare. Si auctor iste diceret, quod Deus hujusmodi peccatori decessuro ante mortem dispositionem augeret, præfata opinio videretur minus incongrua. Sed quis unquam credere poterit, quod peccator ille, eamdem dispositionem habens, nunc in odio, nunc in dilectione sit Deo? Quomodo eadem in substantia dilectio erga Deum nunc reddet eum dignum divino amore, nunc odio dignum relinquet? Demum peto, ubi fundat auctor hanc extraordinariam Dei providentiam ? super qua Scriptura, quo Ecclesiæ Canone, qua Patrum doctrina ? Gratis igitur id asserit. Potius ex eo concludendum videtur, quod si durum et horrendum est putare, quod Deus damnet eum, a quo super omnia diligitur, horrendum etiam dici debet, quod Deus hominem super omnia eum diligentem odio habeat. Vide in opere (3), ubi allatæ doctrinæ, hic strictius comprehensæ, fusius expositæ inveniuntur una cum aliis. Sed veniamus ad dubia.

17. Quæritur 8. an sufficiat attritio metu temporalium pœnarum concepta, in quantum illa sunt a Deo inflictæ ? Alii negant, dicendo dolorem debere oriri ex timore pœnarum æternarum, quia cum æterna sit pœna peccati mortalis, pœnitens debet dolorem peccatorum concipere ex timore æterni mali ; ita Canus Conc. Pasqual. etc. Sed alii communius, ut Lugo Suarez Anaclet. Viva Elbel Gobat. Croix etc., probabilius affirmant ex verbis Tridentini *sess.* 14. *c.* 4. ubi dicitur : *Attritio ex ge-*

(1) 1. 2. q. 40. a 7. — (2) Pallav. Hist. Trident. I. 8. c. 13.

(3) L. 6. ex n. 440.

hennæ et pœnarum metu concipitur. Concilium itaque distinguit alias pœnas ab illis inferni, ubi certe omnes aliæ pœnæ includuntur. Sed quia prima sententia non potest dici improbabilis, in praxi non possumus amplecti secundam (1).

18. Quæritur 9. an possit dari Sacramentum validum et informe? Casus accidere posset, si quis habens duo peccata, unum sacrilegii, alterum furti, et cum recordaretur solius sacrilegii, tantum illius se pœniteret ob supernaturalem turpitudinem illius vitii: hic quæritur an iste valide reciperet Sacramentum, adeo ut detestando postea furtum, reciperet gratiam, et postea tantum teneretur confiteri furtum? Multi id negant, et præcipue Scotistæ; sed ipsi discrepant inter se; alii enim dicunt hujusmodi Sacramentum non solum esse validum, sed etiam formatum, nempe gratiæ infusione; quia pœnitens se dolendo de offensa in Deum ob sacrilegium, et cupiendo reconciliari Deo, hic dolor et hoc desiderium efficiunt, ut ille virtualiter etiam detestetur furtum. Sed huic rationi responsio clara se offert, istum enim in tantum pœnitet offensæ in Deum ob sacrilegium, et cupit se reconciliari cum Deo, in quantum movetur ob turpitudinem sacrilegii; sed hæc non comprehendit turpitudinem furti; adeo ut posset dari casus quo pœnitens si recordaretur solius furti, turpitudo furti forsan non moveret eum ad pœnitendum; quare motivum turpitudinis sacrilegii non comprehendit virtualiter detestationem furti. Alii autem dicunt Sacramentum non solum esse informe, nempe sine gratia, sed etiam invalidum, dicentes non posse esse materiam aptam pœnitentiæ illam, quæ non potest causare gratiam. Sed huic etiam subest responsio, quod, cum concurrant partes essentiales, quæ sunt dolor, confessio et absolutio, non potest invalidum dici Sacramentum; unde libenter adhæremus sententiæ affirmativæ, et communissimæ Thomistarum cum Suarez Lugo et s. Thoma (2), et dicimus talem confessionem semper esse validam, sed gratiæ expertem (3).

19. Quæritur 10. an dolor præcedere debeat confessionem? Affirmant Laym. Castrop. Coninch. et alii; tum quia dolor debet esse sensibilis, et nequit talis fieri nisi in confessione; tum quia confessio, ut sit materia apta, debet esse dolorosa, alias esset simplex peccatorum narratio. Alii autem communius negant, ut Lugo Suarez Bonac. Holzm., etc., et ipsis valde favet Rituale dicens: *Audita confessione* (confessarius) *ad dolorem adducet*. Et recte respondent ad primam rationem, dicendo dolorem non tantum per confessionem fieri sensibilem, sed etiam aliis signis et verbis. Sed ad secundam rationem nullam convincentem afferunt responsionem; unde propter illam dico esse probabilem primam sententiam, propterea que in praxi sequendam. Conveniunt autem communiter Conc. Viv. Salm. Holzm., etc., sufficere si pœnitens post actum doloris dicat: *Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis* (4).

20. Quæritur 11. quamdiu moraliter perseveret dolor? Alii dicunt diutius, et sufficere quod non sit retractatus; sed hoc rejicitur; alii per diem, imo Croix dicit quod in praxi semper renovandus est, cum pœnitens notabiliter ad alia distractus est. Ego vero cum Ronc. non dubito asserere, quoties confessio derivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum, aut alterum diem, dum illa confessio est doloris effectus. Secus autem, si quis ex mera devotione, aut ad votum, aut pœnitentiam implendam, confiteretur (5).

21. Quæritur 12. an actus doloris debeat elici in ordine ad confessionem? Affirmant Bon. Busemb. et Conc. dum (ut dicunt) tam minister, quam suscipiens debent ordinare materiam ad Sacramentum, v. g. ablutionem ad Baptismum, tactum ad Ordinationem, et ita dolorem ad pœnitentiam; unde volunt isti quod si quis actum doloris, quin ad confessionem cogitet, elicit, debet illum renovare, dum confitetur. Alii tamen probabilius, ut Lugo, Sporer, Moja, Gobat., etc., negant, tum quia ex Trident. sufficit attritio habita, tum quia dolor saltem ordinatur ad absolutionem, cum per confessionem manifestatur. Sed quia prima sententia etiam est probabilis, ideo in praxi sequenda (1).

22. Quæritur 13. cum quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, an teneatur iterum dolorem elicere? Negant communius Lugo, Anacl. Ronc. Viva, Spor. etc., dicendo quod prior contritio, cum fuerit generalis, jam extenditur ad oblita, et eo casu sine dubio moraliter perseverat; et licet illa sint plura Sacramenta, bene tamen una et eadem materia plura Sacramenta constituere potest, sicut aqua potest esse materia plurimorum baptismorum. Sed affirmant Vasq. Bonac. et Filliuc., dicendo per absolutionem impertitam jam prius judicium completum esse, ac completum fuisse Sacramentum; unde pro posteriori Sacramento requiritur nova materia; et licet dolor perseveret, non tamen perseverat in ordine ad posteriorem absolutionem, juxta quod dictum est præcedenti numero; ille enim dolor elicitus est tantum in ordine ad priam. Et quia hæc secunda sententia est etiam probabilis, ideoque recte dicunt Croix, et Concina hanc in praxi tenendam. Intelligitur tamen hoc ante Sacramenti susceptionem, quia postquam illud susceptum est, probabiles jam sunt omnes sententiæ oppositæ trium quæsitorum antecedentium; unde post factum recte eas amplecti possumus (2).

23. Quæritur 14. quomodo eliciendus est dolor de venialibus? Extra confesssionem docet s. Thomas (3): *Sufficit aliquis motus charitatis ad eorum remissionem*; sed ad Pœnitentiæ Sacramenti susceptionem certum est apud omnes formalem dolorem requiri. Sed hic dubitatur 1. an mortaliter peccet qui venialia sine dolore confitetur? Negant Gonet, Juven. et Natalis Alexand. dicunt hi quod quoties abest animus profanandi Sacramentum, illud frustrare in materia levi non excedere levem irreverentiam; sed communiter et recte affirmant alii dd. et de Lugo priorem sententiam appellat omnino falsam, dicens injuriæ gravitatem non consistere in materia, sed in Sacramenti frustratione, in non apponendo materiam aptam, et essentialem, ut est dolor; unde sive frustretur ob gravem materiam sive ob levem, irreverentia semper est gravis (4). Dubitatur 2. an in confessione venialium sufficiat pœnitere unius tantum, quin aliorum pœniteat? Nonnulli id negant; sed etiam communiter et recte affirmant Suar. Lug. Conc. Antoine, etc. Et ratio luculenta est, quia venialia non sunt materia necessaria, sed sufficiens. Dicunt autem Castrop. Spor. Lugo, Tamb., etc. sufficere pœnitere multitudinis venialium, quin alicujus in particulari pœniteat; sed contradicunt Arriaga, et Dicast. dicentes saltem necessarium esse dolorem erga aliquod illorum, ut diximus. Sed hæ sententiæ facile conciliantur, quia impossibile est quod ille, quem multitudinis pœnitet, non doleat de ultimis quæ multitudinem constituunt, et sicut quoad speciem sufficit (ut dictum est) dolore de una peccatorum venialium specie, et non de alia, ita quoad numerum sufficit posteriorum, non autem priorum pœnitere; adeo ut tunc pœnitens in recto doleat de multitudine, et in obliquo de ultimis peccatis (5).

(1) N. 443.

(2) In 4. dist 17. quæst. 3. a 4. q. 1. — (3) 1. 6. n. 444. — (4) N. 445. — (5) N. 446.

(1) N. 447. — (2) Lib. 6. n. 448.

(3) 3. p. q. 87. a. 2. — (4) 1. 6. n. 449. — (5) N. 449. dubit. 2.

PUNCTUM II.

DE PROPOSITO

24. *Propositum I. debet esse firmum. An qui credit se lapsurum, etc.*
25. *II. Debet esse universale.*
26. *III. Debet esse efficax. An relapsus sit signum semper confessionum invaliditatis? Et an propositum debeat esse explicitum.*

24. Tres sunt conditiones veri propositi ad confessionem requisiti: Ut sit firmum, universale, et efficax. Et Primo debet esse *firmum*, ita ut pœnitens habeat firmum animum in quocumque casu non peccandi. Hic fit dubium, an valeat propositum alicujus qui non habet animum peccandi, sed credit certo quod in posterum relapsurus sit? Sanch. Laym. Nav. Sporer, etc. dicunt valere, quia propositum voluntatis bene stare potest cum judicio intellectus, quod prævidet certum relapsum ex eo, quia de sua fragilitate experimentum habet. Contra p. Conc. reprobat ut infirmum etiam propositum illius, qui timet probabiliter se ralapsurum. Hæc secunda opinio est nimis rigida, et parum rationabilis, quia timor relabendi potest simul stare cum proposito quam firmissimo. Sed nec mihi placet prima, saltem practice loquendo; nam sicut recte dicit Croix, et non distat ab eo Busembaum, in praxi qui certo credit se esse relapsurum, demonstrat suum propositum non esse satis firmum; dum non est possibile quod qui scit Deum auxilium in eum speranti, et ab eo petenti præstaturum esse, et non permissurum aliquem ultra vires tentari, proponat firmiter cuicumque malo potius se subjecturum quam Deum offendere, et postea credat se certo in eadem peccata recasurum; unde si iste hoc credit, signum est quod ejus propositum non sit firmum (1).

25. II. Propositum debet esse *universale* (intellige de mortalibus), ut docent omnes cum s. Thoma (2); nec audiendi sunt nulli aa. qui autumant, sicut valet dolor particularis, ita valere etiam propositum particulare; nam respondetur quod dolor particularis admittitur quia dolor respicit sola peccata commissa; sed non potest admitti propositum particulare, dum quilibet debet esse paratus ad evitanda omnia peccata mortalia, quæ committere potest; ideoque Trident. loquendo de dolore ait: *Dolor est detestatio de peccato commisso*; sed loquendo de proposito, dicit *cum proposito non peccandi de cætero*. Dictum est *de peccatis mortalibus*, quia quoad venialia, certum est cum s. Thomas (3) sufficere, si proponat se abstinere ab aliquo, quin proponat abstinere a cæteris (4). Cæterum (ut dicunt Suar. Croix, etc.) potest homo proponere evitare omnia peccata venialia deliberata, et in quantum ad indeliberata sufficit proponere evitare ea quantum fert humana fragilitas, ut dicit idem Angelicus loc. cit.

26. III. Debet esse *efficax*, nempe ut homo proponat non solum non committere peccata, sed etiam omnia media ad illa evitanda conducentia eligere, et præcipue omnes occasiones proximas removere. Sed hic advertendum (quicquid dicat p. Concina) relapsus non semper esse signa infirmi propositi, adeo ut semper repetendæ sint confessiones præteritæ, ut invalidæ; quia relapsus non est signum certum quod defuit voluntas, sed sæpe est signum mutatæ voluntatis, dum sæpe solent homines firmiter proponere, et postea iterum cadere; ideoque ait Rit *rom. In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur et, si expediat, communicent*. Non dicit, ut facile recidentibus absolutio danda non sit, propter dubium quod subest de eorum proposito, sed ut consulendum sit potius eis ut sæpe

(1) l. 6. n. 451.

(2) P. 3. q. 87. a. 1. ad 1. — (3) Ibid. — (4) l. 6. n. 451. v. 2, requir.

Confiteantur, et communicent: intelligitur, semper ac dignoscitur adesse debita dispositio, ut dicemus *tr. ult. punct.* 2. Et quoad repetendas confessiones præteritas, recte dicit p. Segneri, talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate confessionum præteritarum, ut esset, cum observatur quod aliquis post confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum, aut triduum, sine ulla resistentia, et quin aliquod medium adhibuerit, et quin occasionem removerit. Hic occurreret loqui de illis qui sunt in occasione proxima, et de habituatis, et recidivis, sed de his peculiaribus *Punct. 1. et 2. tr. ult.* loquemur. Restat tantum hic ut videamus, an pro confessione sufficiat propositum virtuale in dolore inclusum? Hic tres adsunt sententiæ. Sententia 1. negat cum Scoto, Cano, Cajet. Tolet. Conc., etc. qui id inferunt ex Tri., *sess.* 14. *c.* 4. ubi videtur requiri propositum formale, cum dicatur quod pars essentialis Pœnitentiæ sit *dolor cum proposito non peccandi de cætero*. Sententia 2. quam tenent Laym. Nav. Card., quam moraliter certam appellat Lugo, etc. affirmat, quoties dolor sit ex motivo universali; et etiam hæc fundatur in Concil. ubi dicitur quod attritio, si excludat voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam. Et huic sententiæ adhæsit in Concil. rom. Bened. XIII. in quo approbavit instructionem ad populum, in qua (*pag.* 440). dicitur quod qui saltem non habet attritionem cum firmo proposito, saltem implicito, amplius non peccandi, remissionem non obtinet. Sententia 3. cum Suar. Bellarmino, Bon. et Holzm. qui eam vocat communem, distinguit, et dicit, quod si pœnitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis proximis morti, tunc sufficit propositum implicitum. Secus autem dicendum de eo qui cogitat de futuro, quia (ut dicit idem Concilium) contritio continet tam cessationem a peccando, quam incœptionem novæ vitæ, juxta illud Ezechielis. *Projicite a vobis prævaricationes... et facite vobis cor novum. Ezech.* 18. 31. Cæterum, quia prima sententia est satis probabilis, ante factum illa sequenda est, sed post factum, si quis bona fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones, ut dicunt Bellarm. Suar. Vasq. Bonac. et alii communiter; dum qui probabiliter recepit Sacramentum validum, non est obigatus ad illud repetendum; nam tunc cessat periculum injuriæ Sacramenti, illud frustrandi (1).

CAPUT III.

De confessione.

PUNCTUM I.

DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS.

27. *Confessio I. debet esse vocalis II. debet esse secreta.*
28. *III. Debet esse vera. Qui mentitur in confessione, etc.*
29. *IV. Debet esse integra. De circumstantiis aggravantibus.*
30. 31. *et* 32. *De peccatis dubiis.*
33. *De peccatis dubie confessis.*
34. *Qui confessus est peccatum dubium, cum novit esse certum, etc.*
35. *Quando excuset impotentia physica mutos, surdos, ignorantes linguam, et moribundos.*
36. *De moribundo qui dedit signa per testes.*
37. *De iis qui nullum dant signum.*
38. *De iis qui in actuali peccato corripiuntur.*
39. *Quando excuset impotentia moralis.*
40. *Qui debet complicem aperire, etc.*
41. *Non potest confessarius inquirere nomen complicis.*

27. Quatuor sunt confessionis conditiones: Nempe, ut sit vocalis, secreta, vera, et integra. Et primo debet esse *vocalis*, nempe voce, dum hic est usus communis Ecclesiæ, non jam facta per signa aut scripto; habetur ex *Extrav. Inter cunctos* de privil. ubi dicitur: ***Nisi articulus ne-***

(1) Lib. 6. n. 450.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

PUNCTUM II.

DE PROPOSITO

24. *Propositum I. debet esse firmum. An qui credit se lapsurum, etc.*
25. *II. Debet esse universale.*
26. *III. Debet esse efficax. An relapsus sit signum semper confessionum invaliditatis? Et an propositum debeat esse explicitum.*

24. Tres sunt conditiones veri propositi ad confessionem requisiti: Ut sit firmum, universale, et efficax. Et Primo debet esse *firmum*, ita ut pœnitens habeat firmum animum in quocumque casu non peccandi. Hic fit dubium, an valeat propositum alicujus qui non habet animum peccandi, sed credit certo quod in posterum relapsurus sit? Sanch. Laym. Nav. Sporer, etc. dicunt valere, quia propositum voluntatis bene stare potest cum judicio intellectus, quod prævidet certum relapsum ex eo, quia de sua fragilitate experimentum habet. Contra p. Conc. reprobat ut infirmum etiam propositum illius, qui timet probabiliter se ralapsurum. Hæc secunda opinio est nimis rigida, et parum rationabilis, quia timor relabendi potest simul stare cum proposito quam firmissimo. Sed nec mihi placet prima, saltem practice loquendo; nam sicut recte dicit Croix, et non distat ab eo Busembaum, in praxi qui certo credit se esse relapsurum, demonstrat suum propositum non esse satis firmum; dum non est possibile quod qui scit Deum auxilium in eum speranti, et ab eo petenti præstaturum esse, et non permissurum aliquem ultra vires tentari, proponat firmiter cuicumque malo potius se subjecturum quam Deum offendere, et postea credat se certo in eadem peccata recasurum; unde si iste hoc credit, signum est quod ejus propositum non sit firmum (1).

25. II. Propositum debet esse *universale* (intellige de mortalibus), ut docent omnes cum s. Thoma (2); nec audiendi sunt nulli aa. qui autumant, sicut valet dolor particularis, ita valere etiam propositum particulare; nam respondetur quod dolor particularis admittitur quia dolor respicit sola peccata commissa; sed non potest admitti propositum particulare, dum quilibet debet esse paratus ad evitanda omnia peccata mortalia, quæ committere potest; ideoque Trident. loquendo de dolore ait: *Dolor est detestatio de peccato commisso*; sed loquendo de proposito, dicit *cum proposito non peccandi de cætero*. Dictum est *de peccatis mortalibus*, quia quoad venialia, certum est cum s. Thomas (3) sufficere, si proponat se abstinere ab aliquo, quin proponat abstinere a cæteris (4). Cæterum (ut dicunt Suar. Croix, etc.) potest homo proponere evitare omnia peccata venialia deliberata, et in quantum ad indeliberata sufficit proponere evitare ea quantum fert humana fragilitas, ut dicit idem Angelicus loc. cit.

26. III. Debet esse *efficax*, nempe ut homo proponat non solum non committere peccata, sed etiam omnia media ad illa evitanda conducentia eligere, et præcipue omnes occasiones proximas removere. Sed hic advertendum (quicquid dicat p. Concina) relapsus non semper esse signa infirmi propositi, adeo ut semper repetendæ sint confessiones præteritæ, ut invalidæ; quia relapsus non est signum certum quod defuit voluntas, sed sæpe est signum mutatæ voluntatis, dum sæpe solent homines firmiter proponere, et postea iterum cadere; ideoque ait Rit *rom. In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur et, si expediat, communicent*. Non dicit, ut facile recidentibus absolutio danda non sit, propter dubium quod subest de eorum proposito, sed ut consulendum sit potius eis ut sæpe

(1) l. 6. n. 451.

(2) P. 3. q. 87. a. 1. ad 1. — (3) Ibid. — (4) l. 6. n. 451. v. 2, requir.

Confiteantur, et communicent: intelligitur, semper ac dignoscitur adesse debita dispositio, ut dicemus *tr. ult. punct.* 2. Et quoad repetendas confessiones præteritas, recte dicit p. Segneri, talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate confessionum præteritarum, ut esset, cum observatur quod aliquis post confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum, aut triduum, sine ulla resistentia, et quin aliquod medium adhibuerit, et quin occasionem removerit. Hic occurreret loqui de illis qui sunt in occasione proxima, et de habituatis, et recidivis, sed de his peculiaribus *Punct. 1. et 2. tr. ult.* loquemur. Restat tantum hic ut videamus, an pro confessione sufficiat propositum virtuale in dolore inclusum? Hic tres adsunt sententiæ. Sententia 1. negat cum Scoto, Cano, Cajet. Tolet. Conc., etc. qui id inferunt ex Tri., *sess.* 14. *c.* 4. ubi videtur requiri propositum formale, cum dicatur quod pars essentialis Pœnitentiæ sit *dolor cum proposito non peccandi de cætero*. Sententia 2. quam tenent Laym. Nav. Card., quam moraliter certam appellat Lugo, etc. affirmat, quoties dolor sit ex motivo universali; et etiam hæc fundatur in Concil. ubi dicitur quod attritio, si excludat voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam. Et huic sententiæ adhæsit in Concil. rom. Bened. XIII. in quo approbavit instructionem ad populum, in qua (*pag.* 440). dicitur quod qui saltem non habet attritionem cum firmo proposito, saltem implicito, amplius non peccandi, remissionem non obtinet. Sententia 3. cum Suar. Bellarmino, Bon. et Holzm. qui eam vocat communem, distinguit, et dicit, quod si pœnitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis proximis morti, tunc sufficit propositum implicitum. Secus autem dicendum de eo qui cogitat de futuro, quia (ut dicit idem Concilium) contritio continet tam cessationem a peccando, quam incœptionem novæ vitæ, juxta illud Ezechielis. *Projicite a vobis prævaricationes... et facite vobis cor novum. Ezech.* 18. 31. Cæterum, quia prima sententia est satis probabilis, ante factum illa sequenda est, sed post factum, si quis bona fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones, ut dicunt Bellarm. Suar. Vasq. Bonac. et alii communiter; dum qui probabiliter recepit Sacramentum validum, non est obigatus ad illud repetendum; nam tunc cessat periculum injuriæ Sacramenti, illud frustrandi (1).

CAPUT III.

De confessione.

PUNCTUM I.

DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS.

27. *Confessio I. debet esse vocalis II. debet esse secreta.*
28. *III. Debet esse vera. Qui mentitur in confessione, etc.*
29. *IV. Debet esse integra. De circumstantiis aggravantibus.*
30. 31. *et* 32. *De peccatis dubiis.*
33. *De peccatis dubie confessis.*
34. *Qui confessus est peccatum dubium, cum novit esse certum, etc.*
35. *Quando excuset impotentia physica mutos, surdos, ignorantes linguam, et moribundos.*
36. *De moribundo qui dedit signa per testes.*
37. *De iis qui nullum dant signum.*
38. *De iis qui in actuali peccato corripiuntur.*
39. *Quando excuset impotentia moralis.*
40. *Qui debet complicem aperire, etc.*
41. *Non potest confessarius inquirere nomen complicis.*

27. Quatuor sunt confessionis conditiones: Nempe, ut sit vocalis, secreta, vera, et integra. Et primo debet esse *vocalis*, nempe voce, dum hic est usus communis Ecclesiæ, non jam facta per signa aut scripto; habetur ex *Extrav. Inter cunctos* de privil. ubi dicitur: ***Nisi articulus ne-***

(1) Lib. 6. n. 450.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

cessitatis occurrat, sanctificanda est oris confessio: modo nulla adsit gravis causa, v. g. nimiæ et extraordinariæ verecundiæ, aut linguæ impedimenti, et hujusmodi, quia in tali casu sufficit, postquam confessarius confessionem legerit, quod dicat pœnitens : *Me accuso de omnibus istis peccatis*; ita communiter Castr. Cano, Conc. Tamb. Salm., etc. (1). Qui autem non posset voce confiteri, tenetur saltem per signa aut scripto, cum sine periculo, et sine magno incommodo id efficere potest, prout dicemus loquendo de Muto *seq. n.* 35. ad 1 (2). 2. Debet esse *secreta*, quia nemo tenetur publice, nec per interpretem confiteri, nisi esset in mortis periculo constitutus, aut existens in mortali dubitaret de contritione sua, ut dicemus *cit. n.* 35.

28. III. Debet esse *vera*, unde graviter peccat sacrilegii qui mentitur in materia gravi, negando aut tacendo sine justa causa aliquod peccatum grave patratum, aut non adhuc confessum ; et aliquando pœnitens tenetur aperire peccata confessa ad manifestandum habitum contractum (contra id quod dicebat prop. 58. ex proscriptis ab Innoc XI.), ut confessarius possit se dirigere ad impertiendam, aut differendam absolutionem. Ita etiam peccat qui ex malitia se accusat de aliquo peccato gravi, quod non commisit ; imo iste duo committit peccata, unum contra virtutem religionis, propter injuriam quæ in Sacramentum infertur, alterum contra virtutem veracitatis, cum tale mendacium sit graviter ipsimet nocivum. Dictum est *in materia gravi*, quia negare in confessione aliquod veniale commissum, aut mortale jam confessum, aut dicere aliud mendacium leve, communis est sententia cum Suar. Lugo, Bon. Ronc. Anacl. Holzm., etc. (contra Cajet. et Armilla) non esse grave. Nec obstat id quod dicit s. Thomas (3), peccare mortaliter qui

(1) N. 429. et 493. — (2) Num. 479. — (3) 2. 2. q. 69. a. 1.

negat veritatem quam confiteri debet; quia ibi loquitur Sanctus de confessione, quæ fieri debet in foro externo, non autem de sacramentali, ubi certum est non teneri nos ad confitendas nec culpas veniales, nec graves jam confessas, nisi cum hoc expediret ad recipiendam absolutionem (4).

29. IV. Confessio debet esse *integra*. Et hic distinguenda est integritas materialis a formali. Per se loquendo confessio debet esse materialiter integra, nam pœnitens tenetur ad explicandas tam species peccatorum, quam eorum numerum. Jam *tr.* 3, *punct.* 3. locuti fuimus de distinctione specifica et numerica peccatorum, et ex quibus radicibus desumenda sit. Sed hic quæritur an teneamur confiteri non solum circumstantias speciem mutantes, sed etiam notabiliter aggravantes ? Tres adsunt sententiæ probabiles. Prima affirmat cum Soto, Suar. Gonet, Sanchez, Concina, etc., dicentes eamdem rationem, quæ obligat ad explicandas circumstantias mutantes speciem, obligare etiam ad aggravantes, dum utræque mutant notabiliter confessarii judicium. Secunda sententia, quam tenent Layman Sporer Busemb. etc., etiam affirmat, sed tantum de illis circumstantiis quæ respiciunt integritatem substantialem peccati, ut est quantitas furti, et gradus conjunctionis in incestu : secus (ut dicunt) confessarius debitum judicium substantiæ peccati formare non potest. Tertia sententia communior et probabilior, quam tenent s. Antoninus, s. Bonaventura, s. Bernard. Sotus, Cabass. Lugo, Castrop. Bonac. Ronc. Holzm. Salm. et alii, absolute id negat; et hanc sententiam tenet s. Thomas (5), qui dicit : *Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt, et hoc probabilius est :* et in

(4) l. 6. n. 495 ad 497. — (5) In 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5.

responso ad 2. subjungit: *Unde sufficit quod* (sacerdos) *cognoscat quantitatem quæ ex specie peccati consurgit*. Ratio est 1. quia Tridentinum *sess*. 14. *cap* 5. non imponit ut confiteantur nisi solas circumstantias, quæ mutant speciem, dicens, quod sine earum notitia non potest confessarius recte judicare ; ergo e converso juxta Concil. cum explicantur illæ, confessarius jam recte judicium ferre potest. 2. Quia obligatio confitendi circumstantias aggravantes esset pœnitentibus nimiæ angustiæ, cum possint ipsi dubitare an circumstantiæ omissæ essent leves, aut notabiliter aggravantes, et an sint sufficienter expressæ. 3. Quia (et hæc est ratio potissima aliarum) talis lex confitendi circumstantias aggravantes, uti dicunt Cabassut. Lugo, Roncagl. et Salmantic. cum Lambert. (1), est dubia, et nemo tenetur ad leges dubias, uti ostensum est in *tr.* 1. *n.* 33. cum s. Thoma (2), qui dicit : *Nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientia illius præcepti*. Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles, quia hoc procedit cum agitur de valore Sacramenti, secus de integritate : et in quantum ad valorem, certum est sufficere integritatem formalem. Nihilominus recte advertunt Lug. Castrop. Salmant., etc. quod in quantum ad furtum, licet pœnitens per se non teneatur ad explicandum quantitatem, plerumque tamen tenetur confessarius ad eam investigandam, ut se dirigat ad absolutionem impertiendam, et circa quantitatem et modum restitutionis (3).

30. Præterea quæritur an adsit obligatio confitendi mortalia dubia ? Sed hic quæsita distinguenda sunt ; hinc quæritur 1. an confitenda sint peccata positive dubia, nempe cum probabile est ea commissa fuisse, et probabile non fuisse ? In eo casu affirmant Merbes. Habert, et Com., quia ut hi auctores dicunt, *in dubiis via tutior est eligenda*. Sed communiter id negant Silvester, Sylvius, Gerson., Sanchez. Suarez, Bonac. Anacl. Ronc. Salmant., Holzm. et alii plurimi, propter generalem rationem, quod licite sequi possumus opiniones vere probabiles, ut ostensum est *tr.* 1. *ex n.* 33. Et ad regulam oppositam respondetur cum s. Antonino, ut ibidem *n.* 36. Recte tamen advertunt Sanch. Viva. Holzm., etc. quod in mortis articulo in tali dubio quilibet aut debet contritionem elicere, aut accipere absolutionem confitendo saltem aliam materiam certam (4).

31. Quæritur 2. an confitenda sint peccata negative dubia, nempe quorum nulla apparet ratio affirmandi, vel negandi ? Affirmant cum communiori Busemb. Dian. Tambur., etc., dicendo Trident *sess*. 14. *c.* 5 præcipere pœnitentibus confessionem omnium mortalium, *quorum conscientiam habent* : ergo (dicunt) utique confitenda sunt peccata dubia, quæ dubia sunt in conscientia. Sed negant probabilius Merbes. Habert, Coninch. March. Holzm. Croix, Mazzotta, etc., et hanc sententiam probabilem vocant Layman, et Viva cum s. Antonino, Ledesm. Palud. etc. Ratio 1. est quia Concilium non jam imponit, ut supponunt advarsarii, confessionem peccatorum, ut sunt in conscientia, sed peccatorum, *quorum* (pœnitentes) *conscientiam habent*, dicere intendens eorum quorum pœnitentes certam habent scientiam, cum *conscientia* (sicut explicat s. Bernard.) significat cordis scientiam; unde perperam dicitur quis habere conscientiam illius peccati, cujus nullam habet rationem illud commisisse. Tanto magis, quod Trident. loco cit. subjungit: *Nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut... quisque... ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum morta-*

(1) Notif. 80. n. 19. — (2) De veritate qu. 17. a 2. — (3) Vide l. 6. n. 468.

(4) N. 473.

liter offendisse meminerit ; qui negative dubitat, non potest dici quod recordetur commisisse peccatum. Ratio 2. est quia (sicut superius diximus) non debet onus certum pro lege dubia imponi ; contra nulla adest lex certa confitendi peccata dubia (1). Et hoc currit. etiamsi quis vellet communicare, ut diximus *tr.* 15. *n.* 34. quicquid dictum sit in opere (2).

32. Cæterum regulariter loquendo, consultius est pœnitentibus suadere ut peccata dubia confiteantur, ad majorem quæ conscientiæ quietem, modo non sint scrupulosi, ut diximus *tract.* 1. *n.* 10. *et* 11. Insuper sapienter dicunt Salm. Scholastici, Habert, Bonac. Suar. Croix et alii, quod personæ probatæ pietatis, quæ diutius nunquam, aut valde rarius mortali alicui assentitæ sunt, istæ cum dubitant de consensu, præcipue si recordantur in principio restitisse, aut dubitant si fuerint in perfecta vigilia, possunt certo sibi statuere mortaliter non peccasse, cum (sicut dicunt Salm. et Habert) moraliter impossibile est, quod voluntas in bono proposito ita obfirmata, mutetur, quin clare hoc percipiat. Dicit p. Alvarez, quod peccatum mortale est monstrum ita horribile, ut in animam, quæ ab eo per multum temporis abhorruit, se introducendo, non potest se in eam introducere, quin anima dilucide illud cognoscat ; sicut contra, loquendo de iis qui ex habitu mortalibus consentiunt, in dubio præsumuntur illi consensisse, quia si restitissent, utique de conatu in tentatione repellenda adhibito recordarentur : unde recte concludit Croix, quod in tali materia difficulter datur dubium negativum, dum præsumptio bonæ aut malæ vitæ recte fundat credulitatem dissensus, aut consensus præstiti (3).

33. Quæritur 3. an pœnitens teneatur confiteri peccatum certe commissum, sed in dubio, an de illo nec ne confessus sit ? Si dubium est negativum, certum est apud omnes eum teneri. Contra si dubium est positivum, adeo ut probabiliter credat de eo confessum esse, adest sententia non teneri ad illud confitendum ; et hanc tuentur Suar. Navar. Silvest. Bonac. Lugo, Salm. Croix, etc. Verum sicut mihi probabilis minime visa fuit opinio relata *tract.* 1. *n.* 17. *in fin.* eorum auctorum, qui dicebant non esse obligationem implendi vota quæ probabiliter impleta sunt, ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum probabiliter confessum, cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia. Non autem reprobo id quod iidem citati auctores tradunt, nempe quod ille qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe jam de illo confessum fuisse. Et subjungit p. Concina, quod illi qui diutius vitam rectam duxerunt, licet antea in vitiis habituati fuerint, si postea ipsi dubitant aliquod peccatum aut circumstantiam omisisse in confessione generali, aut particulari, debita diligentia præcedente, confessarius debet imponere ut amplius de illis non confiteantur, et ut nunquam ad illa animum addicant. Et loquendo de scrupulosis (ut dicunt communiter dd.), hi non tenentur aliquod peccatum confiteri, nisi certi ita sint, ut juramento possint affirmare illud peccatum fuisse mortale, et quod nunquam confessi sunt (4) ; vide dicta *tract.* 1. *n.* 10. *et* 11.

34. Quæritur 4. an qui confessus est peccatum uti dubium, teneatur iterum confiteri, cum advertit illud certum? Negant Holzm. Spor. Tamb. Elbel, etc., quia illud peccatum (ut dicunt) est jam directe absolutum. Sed vera, et communissima sententia

(1) N. 474. dubit. 2. — (2) N. 475. — (3) Lib. 6. n. 476. v. item.

(4) N. 477.

Sanch. Card. Conc. Busemb. Viva, Diana, etc., affirmat ; quia licet peccatum fuerit directe absolutum, non tamen fuit, sicut erat in conscientia, explicatum cum commissum fuit, et sicut est in præsenti juxta suam cognitam gravitatem, et juxta confessionem a Trident. *sess.* 14. *c.* 5. præceptam. Opponunt : Ergo si quis confitetur commisisse decem peccata circiter, et postea recordatur certo fuisse undecim, hic teneretur ad repetendam confessionem. Sed respondetur quod in illo *circiter* jam includitur numerus undecimus : contra in dubia accusatione non includitur certa : nec dubia potest unquam pro certa sumi. Cæterum probabiliter dicunt Coninch. Suar. Sanch. Salmant., etc., quod si quis confitetur peccatum, quod ille nec confessarius ut grave cognoscit, non tenebitur postea illud repetere, cum cognoscet certo illud esse grave in suo genere, quia in tali casu pœnitens exponit peccatum ut est in conscientia (1).

35. Hactenus de integritate materiali ; sed aliquando in confessione sufficit integritas formalis, nempe quod pœnitens confiteatur juxta quod nunc moraliter potest, remanente cæteroquin sibi obligatione faciendi postea confessionem materialiter integram ; cum impedimentum fuerit remotum, et urgeat præceptum iterum confitendi. Itaque excusat ab integritate materiali impotentia tam physica quam moralis. Et primo ob impotentiam physicam excusantur 1. muti, quibus tam in morte, quam in præcepto paschali sufficit signis, modo quo possunt, explicare unum peccatum dumtaxat (2). An autem muti scribere scientes teneantur confiteri sua peccata scribendo ; negant Castrop. Cajet. Nav. Valent. et alii, dicendo quod talis modus est periculo manifestationis obnoxius. Sed communiter, et probabiliter affirmant Lugo, Bonac. Anaclet. Croix, Salm., etc. cum s. Thoma (3), dum qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Intelligitur modo hæc media non sint notabiliter difficilia ; quapropter non tenetur mutus ad scribendam confessionem, cum extraordinario incommodo aut periculo esset illi, ut peccata sua ab aliis cognoscantur (4). 2. Surdi, qui confessarii interrogationibus respondere nequeunt, nec uti deberent, peccata sua explicare sciunt : intelligitur hoc de omnino surdis, quia surdastri debent adduci in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur. 3. Illi qui linguam patriam ignorant. Isti tempore præcepti, aut alterius necessitatis, possunt absolvi manifestando tantum signis peccatorum suorum dolorem ; nec tenentur per interpretem confiteri, ut dicunt Suar. Vasquez, Lugo, etc. An autem teneantur confiteri sic in morte. Alii affirmant ; sed alii, ut Sot. Cajet. Castr. Salm. Viva, etc. probabiliter negant, nisi esset quod dubitarent de contritione sua ; quia tunc tenentur ad confitendum cum sola attritione quam haberent, ut per Sacramentum gratiam perciperent ; sed tunc sufficiet ipsis, ut confessario per interpretem aliquod veniale manifestent (5). 4. Moribundi ; sed hic multa secernenda sunt. Si moribundus sui compos est, sed nequit loqui, quoties ipsæ pœnitentiæ dat signa, aut ostendit velle absolutionem, bene potest absolvi, et quoties repetit signa ; quia tunc jam adest confessio in illa expostulatione quam facit de absolutione, aut in illo signo quod dat doloris sui, quo jam confitetur se esse peccatorem ; unde tunc directe absolutionem recipit super peccatis omnibus sub generica peccati ratione, licet ipse teneatur, cum poterit, ad ea in particulari explicanda, ut confessionem materialiter integram faciat (6).

36. Sed hic quæritur 1. an possit

(1) N. 478. — (2) L. 6. n. 479.

(3) In 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad. 2. — (4) L. 6. n. 479. v. quær. — (5) N. 479 v. 2. surdus. — (6) N. 480.

absolvi moribundus sensibus destitutus, cum adstantes testificantur illum confessionem petivisse, aut pœnitentiæ signa dedisse ? Negant Cano, Ledesm. Alvar., etc. Sed est communis sententia opposita, quæ tenenda est, quia tunc per testes satis sensibiliter confessario fit nota infirmi confessio; ita docent Bellarm. Sotus, Suar. Lugo, Conc. Salm., etc. cum s. Thoma (1), qui dicit : *Si infirmus qui petit Unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, ungat eum sacerdos ; quia in tali casu debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi.* Et hoc currit, ut dicit s. Antoninus, relatus in Sacerdotali romano apud Lugo, etiamsi infirmus diutius fuerit habituatus in peccatis, et confessus non sit. Hoc probatur ex Concil. Arausicano in *can. Qui recedunt* 26. *q.* 6. et ex Concil. 3. et 4. Carthaginensibus, et a s. Leone Papa in *can.* 15. *Qui* 26. *qu.* 6. et denique ex Ritual. rom. (*de Sacrament. Pœnitent. §. Ordin. min.*) ubi dicitur : *Etiamsi confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Et hæc sententia habet locum, ut probabiliter dicunt Lugo, Dicast. et Croix, licet unus tantum testis adsit, et etiamsi sit mediatus, qui testetur signa a moribundo data. Nec obstat decretum Clementis VIII. quo proscripta fuit confessio facta in absentia confessarii, dum (ut testantur Bell. Suar. et Petrus Lombardo) idem Pontifex declaravit non intellexisse comprehendere moribundos, imo expresse dixit hos in nostro casu debere omnino absolvi (2). An autem talis absolutio debeat absolute dari, sententia communior affirmat, dicendo quod in tali necessitate Sacramenta debent absolute conferri, quoties de materiæ valore probabilitas habetur : sub conditione autem quoties prudens tantum dubium habetur : sed Suar. s. Anton. Bon. Wigandt, et Croix tenent dandam esse in nostro casu sub conditione ; et hæc opinio mihi videtur tuta, præcipue cum dubitatur (prout facile dubitari potest in rudibus) an pœnitens nec ne rite actum doloris elicuerit (3).

37. Quæritur 2. an possit absolvi sub conditione moribundus sensibus destitutus, qui nulla dat, nec dedit, pœnitentiæ signa. Multi negant, ut Lugo, Busemb. Petroc. Abel. Laym. Roncagl., etc., quia tunc, ut dicunt, deest materia sensibilis Sacramenti ; sed communius et probabilius affirmant Merbesius, Molin. Carden. Pontius, Salmeron. Juvenin. Conc. et Croix, et clare id docet etiam s. Augustinus (4), qui dicit : *Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit ; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia* (5). Opponitur : Sed in tali casu ubinam est materia sensibilis Sacramenti ? Respondent Gonet et Juvenin ; sed eorum responsiones parum satisfaciunt, ut videre est in opere. Melius respondent Molfes. Aver. Salm. Viva, et alii, quod in tali casu jam prudens dubium habetur, quod moribundus antequam sensibus destitueretur, aut in aliqua intervalli luce, suæ damnationis periculum agnoscens, velit, ac etiam petat absolutionem signis sensibilibus, v. g. suspiriis, oculorum aut oris motibus, aut saltem respiratione anxia quam ostendit, licet hujusmodi signa non possint perspicue percipi, sed ipsa aut eorum dubium jam sufficiunt ad dandam absolutionem sub conditione ; in casu enim necessitatis urgentis bene licet uti materia etiam dubia : quod utique principium certum est apud theologos, ut testatur Juven. Imo possumus uti tunc opinionibus etiam tenuiter probabilibus, sicut communiter docent Sot. Navar. Carden. Sanch. Viva, Gobat. Croix, etc., quia necessitas efficit ut in quocumque dubio licite ministretur Sacramentum sub conditione, dum per conditionem jam reparatur Sacramenti injuria, et eodem tempore prospicitur proximi saluti. Et hic præterea advertendum est cum Suar. Vasq. Viva Mazzot. et aliis communiter, quod sacerdotes (cum possunt) tenentur sub gravia absolvere infirmos, ut deducitur ex *can. Si presbyter*, 26. *q.* 6. ubi Julius Papa dicit : *Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* Contra etiam advertit Ronc., loquendo generaliter de moribundis, quod non debet intra breve temporis spatium sæpius replicari absolutio, nisi novum et certum doloris signum habeatur, quam bis aut ter intra aliquam proportionatam distantiam, quia revera tunc cessat necessitas. Non negatur tamen quod si sensuum destitutio diutius perseverat, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. gr. ter aut quater in die (1).

38. Quæritur 3. an possit dari absolutio conditionata peccatori, qui sensibus destituitur in actu peccati, v. g. in adulterio, vel duello ? Negant Habert, Gonet, Juvenin et Conc., sed affirmant Pontius, Carden. Holzman. Stoz. Gormaz et alii. Dicunt hi quod semper ac constet hujusmodi peccatorem fuisse catholicum, debere absolvi sub conditione in mortis momento ; et recte dicunt Merbes. et Du-Pasquier, quod possumus hac uti opinione, potissimum ob s Augustini auctoritatem (2) dicentis : *Qui... retinent adulterina consortia, si desperati et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad Baptismum statuerint retineri ? Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Et dicendo Sanctus, *Quis enim novit, utrum*, etc. supponit certo tales peccatores nullum certum suæ conversionis signum præstitisse. Hanc sententiam puto sufficienter probabilem ratione eadem superiori quæsito adducta, quia de quolibet Catholico prudens potest esse præsumptio, quod si unquam ille aliquo usus rationis intervallo donetur, optet modo meliori quo potest, damnationem suam aufugere. Dictum est *Catholico*, dum (ut bene notat Hozlm.) hæreticus moribundus, licet det signa pœnitentiæ, non potest absolvi, nisi expresse absolutionem petat ; nam alias non potest prudenter præsumi ea signa dare in ordinem ad confessionem, a qua hæretici vehementer abhorrent (3).

39. Secundo loco ob impotentiam *moralem* excusatur pœnitens ab integritate materiali, et ei sufficiet formalis in pluribus casibus : 1. Si est scrupulosus et jugiter præteritarum confessionum timore vexatur, ut docent communiter Laym. Illsung. Elbel, et Holzm. 2. Si infirmus, confesso uno vel altero peccato, deficeret, aut in periculo deficiendi esset. 3. Si dum affertur Viaticum, confessarius adverteret confessiones præteritas fuisse nullas, et infirmus non posset tunc integre confiteri, nisi cum periculo sine absolutione decedendi; aut scandali, ut superiori *tract. n.* 15. *n.* 24. dictum est. Et idem dicit probabiliter Ronc. cum urgens esset necessitas celebrandi, aut communicandi, et tempus finiendæ confessionis non suppeteret. Idem currit pro sacerdote habente reservatum, et in celebrandi necessitate constituto, si non adesset confessarius facultate præditus, ut in antecedenti *tract. n.* 27. diximus. 4. Si sacerdos esset in mortis periculo antequam absolutionem impertiatur. 5. Cum grave adest periculum infectionis, quia tunc confessarius potest absolvere pœnitentem infectum, audito uno tantum pec-

(1) Opusc. 6. de Sacra Unct. — (2) L. 6 n. 481

(3) Ibid. v utrum. — (4) L. 1. de Adult. c. 28 — (5) L. 6. n. 482.

(1) N. 482. v. sed dices. — (2) Lib. 1. de Adult. Coniug. c. 28.

(3) L. 6. n. 483.

cato. Conc. Wigandt, Bonac. Elbel, et alii. Sed si confessarius vellet audire totam confessionem, tenetur infirmus integre confiteri (1). 6. Si imminet naufragium, aut prælium: quia sufficit cuique tantum veniale confiteri, aut se peccatorem esse in generali ; et potest tunc sacerdos absolvere omnes in generali ; dicendo *Ego vos absolvo*, etc.; præcisus pœnitentium concursus, alia non interveniente causa, non est ratio sufficiens ad dimidiandam confessionem, ut ex prop. 59. damn. ab Innoc. XI. (2). 7. Si ex confessione alicujus peccati prudenter pœnitens posset timere grave damnum spirituale, aut temporale, proprium aut alienum, v. g. revelationis, scandali sui, aut confessarii, mortis, aut infamiæ. Sed intelligitur cum urget necessitas confitendi ob mortis periculum, aut satisfaciendi Communioni paschali ; aut (dicunt Lugo, Henriq., etc.) si pœnitens esset in mortali, et ceteroquin ei expectandum esset per biduum, aut triduum, ut confiteretur ; imo etiamsi per unum diem, sicut dicunt Suar. et Escob. (licet in alia re) ut dicetur in *append.* 3. *de Examine Ordinand. n.* 20. 8. Denique si non posset peccatum confiteri quin sigillum sacramentale revelet (3).

40. Tenent autem nonnulli dd. ut Navarr. Innoc. Hostiensis, etc. quod pœnitens debeat peccatum suum reticere, si non potest illud confiteri quin complicem manifestet confessario ; nam (ut dicunt) præceptum naturale proximi famam servandi præferendum est præcepto positivo integritatis confessionis. Sed hoc negatur cum communi sententia s. Bonaventuræ, s. Antonin. Gonet, Conc. Suar., etc. cum s. Thoma (4) qui dicit : *Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cumqua peccavit, necesse est, ut exprimat.* Et idem dicit s. Bern. (*de Forma bon. vitæ.*) Ratio est ; quia ex una parte integritas confessionis, quoties potest, servanda est : contra (ut dicit s. Thomas) manifestare alterius peccatum vacat culpa, cum justa intercedit causa : ultra quam quod complex peccando amisit jus ad famam, in quantum ad confessionem, quam illius peccati facere debet. Hoc tamen intelligendum, cum confitendum est mortale ; non ut confiteatur veniale, aut mortale jam confessum, non licet alterius grave peccatum patefacere, ut dicunt Lug. Ronc. Viva et Tamb. contra Renzi (4). Et etiam in primo casu quo mortale non adhuc est confessum, tenetur pœnitens alium inquirere confessarium, cui complex est ignotus ; modo (excipiunt dd.) ad hoc faciendum ei incommodum spirituale, aut temporale patiendum non sit, ut esset 1. Si jam suum declarasset peccatum confessario, cui notus esset complex, ac propterea obligaretur bis ad confitendam culpam suam. 2. Si esset in celebrandi, aut communicandi necessitate. 3. Si ad perquirendum alium confessarium longe ei proficiscendum esset, aut ne indulgentias amitteret ; aut si ei gravi esset incommodo conscientiam suam alii quam confessario ordinario manifestare : aut si omitenda esset consueta Communio et tanto magis si cæteroquin ei ultra biduum (ut dicunt Lugo Viva et Renzi) in mortali perseverandum esset. Henriq. putat diuturnam esse bidui dilationem. Imo Antoine absolute dicit excusare ab obligatione perquirendi alium confessarium unius diei dilationem. Præterea sæpe excusantur matres et uxores in referendis apud confessarium filiorum et virorum peccatis, dum hoc ei confert ad sedandum dolorem, aut ad consilium melius capiendum de modo quo se gerere debeant. Insuper auctores excusant pœnitentem, si judicaret illum confessarium doctiorem, aut saltem suæ conscientiæ magis conscium, adeo ut melius posset

(1) N. 484. et 485. — (2) N. 456. — (3) 487. et 488. — (4) Opusc. 12. q. 7. (5) L. 6. n. 489.

illum dirigere, et animæ suæ paci consulere ; tanto magis, quod multi dd. graves, ut dictum est *Tr.* 11 *n.* 11. tenent non esse culpam gravem etiam sine causa uni vel alteri viro prudenti proximi delictum manifestare (1) ; sed hæc esset causa cur etiam a veniali excusaretur.

41. Advertendum hic denique, quod licet pœnitens posset in casibus præfatis licite complicem detegere confessario, nihilominus non licet confessario a pœnitente complicis nomen exquirere, licet hoc bono fide efficeret, ut eum corrigat, aut damnum impediat ; dum Benedict. XIV. in Bulla *Ubi primum* edita 3. junii 1746. hoc appellat detestabile : et detestabilius, si confessarius absolutionem negaret ei qui complicem manifestare recusaret. Hinc Pontifex declarat, hoc esse peccatum mortale, et imponit hujusmodi confessario suspensionem (sed ferendæ sententiæ) ab audiendis confessionibus ; et excommunicationem papalem ipso facto in præsumentes docere oppositum ; et insuper aliis (non autem pœnitentibus), qui scirent aliquem confessarium propter hoc absolutionem denegasse imponit denuntiationis obligationem, modo ille ex simplicitate hoc non effecerit. Recte tamen dicit p. Concina, non intelligi per hoc vetitum fuisse confessario circumstantias ad confessionis integritatem necessarias exquirere, prout sunt illæ quæ mutant speciem, aut expediat eas scire ad pœnitentis directionem; quare bene potest confessarius interrogare de conjunctionis gradu, si complex sit in peccato turpi, an sit ligatus voto castitatis, an sit famula, si in eadem domo commoretur (2). Præterea dicit p. Mazzotta, quod si a complice gravia timerentur damna, quæ solus confessarius avertere posset, tunc complex manifestandus est. Addit auctor Commentarii in Antoine, non potest absolvi pœnitens, qui nollet complicem patefacere, cum hoc est necessarium ad publicum damnum reparandum. Ego tamen dico, quod in tali casu nunquam licet confessario stante præfata Pontificis prohibitione, interrogare de complicis nomine ; tantum poterit ille tunc obligare pœnitentem in generali, ut revelet complicem alicui qui malum impedire potest ; sed si pœnitens sponte sua confessarium rogaret, ut ipse sibi susciperet has partes et ex se revelaret complicem, tunc confessarius non peccat, et utique potest uti ea notitia, ut remedium afferat, licet plerumque non expediat ut confessarii hoc onus corrigendi ex confessionis notitia sibi assumant, quia hoc difficulter accidit sine scandali periculo, aut sacri ministerii dedecore.

(1) N. 490. — (2) Lib. 6. n. 491. et 492.

PUNCTUM II.

QUANDONAM CONFESSIO SIT INVALIDA, ET QUOMODO REVALIDANDA EST.

42. *Quandonam confessio sit nulla ex parte confessarii.*
43. *Quandonam ex parte pœnitentis. De complice in peccato turpi.*
44. *Quomodo convalidanda confessio apud eumdem confessarium ; et an sufficiat recordari pœnitentiæ impositæ.*
45. *De rudibus qui non explicarunt nec species, nec numerum.*
46. *Quando repetenda est confessio.*

42. Confessio potest esse invalida, aut ex parte confessarii, aut ex parte pœnitentis : ex parte confessarii, 1. Si ille caret jurisdictione ; 2. si deficit in danda, aut in proferenda absolutione ; 3. si nullum pœnitentis peccatum intellexit : dico *nullum*, quia si aliquod intellexit, valida est absolutio, si pœnitens bona fide eam recipit ; tantum huic restat obligatio confitendi peccata, quæ confessarius non audivit. Secus autem si eam recipit in mala fide, cum jam advertit, confessarium aut non audire, aut dormire, aut esse ignarum, aut peccati gravitatem non concipere aut facilem esse in absolvendis.

etiam indispositis, quia tunc cum pœnitens peccet in eadem confessione, quam facit, illa certe nulla est. Si autem tu cum confiteris, peracta confessione, cognoscere es confessarium aliquod peccatum non audivisse, sed nescis quodnam sit, tunc dicunt communissime Sanch. Tamb. Salm. Lug. Dicast., etc., quod si confessio est brevis, teneris eam repetere, secus autem si fuit longa, quia eo casu præsumitur Deus non obligare ad integritatem confessionis cum tanto incommodo (1). Dicunt autem Suarez Sot. Castrop. Lugo Salm. etc. confessionem bona fide factam confessario nescienti distinguere nec species, nec numerum peccatorum, esse validam, nec repetendam. Ego dico hoc intelligendum in casu quo non constat de omissione; quia si constat quod defuit integritas hæc, semper supplenda est, ut dicunt ipsi Salm. et Lugo; quandoquidem licet prior confessio fuerit valida, saltem est invalida secunda, in qua defectus animadvertitur (2).

43. Ex parte autem pœnitentis est invalida confessio, 1. si ille est excommunicatus, nam excommunicatio privat cujuscumque Sacramenti perceptione; 2. si ex malitia aut culpabili negligentia omittit aliquod grave peccatum confiteri; 3. si debitum dolorem aut propositum non habet; præcipue si restituere non vult, ut debet, bona, honorem, aut famam ablatam: aut si occasionem proximam voluntariam nolit auferre; 4. si confitetur aliquod peccatum turpe apud eumdem complicem: nam, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Bulla *Sacramentum pœnitentiæ* data 1. jun. 1741., confessarius omni privatus fuit jurisdictione erga complicem sui peccati turpis, præterquam in casu mortis, et quando nullus alius sacerdos etiam simplex adesset; alioquin ille absolvendo incurrit papalem excommunicationem, ut fuse dicetur loquendo *de Jurisdictione confessarii n.* 95. (3).

44. Hinc quæritur, quomodo repetenda est confessio invalida, cum apud eumdem confessarium fiet? Oportet hic prius advertere, quod cum absolutio dilata est, non opus est ut confessarius distincte reminiscatur peccatorum, quæ jam confessa fuerunt, nec ut confessionem repetere faciat, sed sufficit ut in confuso recordetur status pœnitentis; ut communiter Silv. Suar. Nav. Conc. Laym. Croix etc. (4). Fit attamen dubium an hoc sufficiat, cum confessio fuerit nulla? Distinguunt Suar. et Coninch. et dicunt quod tunc tantum sufficit, cum confessio invalida fuit solo confessarii defectu circa suum officium, v. g. si absolutionem non dedit aut sibi defuit animus absolvendi: secus autem cum fuit nulla defectu alicujus partis essentialis, ut si defuit dispositio in pœnitente, aut jurisdictio in confessario; quia tunc cum confessio fuerit sacrilega, aut facta apud non judicem, non est sacramentalis. Hæc sententia est probabilis, nihilominus opposita est communis cum Navar. s. Antonin. Silvest. Vasq. Medina Lug. Laym. Sa Bonac. Valent. Tamburin. Aver. Croix Salm. etc., et est valde probabilis. Hi dd. dicunt, quacumque ex parte veniat defectus, necesse non esse confessionem repetere, sed sufficere quod pœnitens in genere iterum se accuset de peccatis jam patefactis, et quod confessarius pœnitentis status recordetur: aut ad summum illius conscientiæ in confuso reassumat notitiam. Ratio est 1. quia talis confessio non fuit jam simplex narratio, sed cum facta fuerit in ordine ad recipiendam absolutionem bene potest illa vere dici sacramentalis; dum jam obligat ad sigillum sacramentale. 2. Quia quamvis talis confessio non fuisset sacramentalis, saltem ejus ratificatio, iterum pœnitente se accu-

(1) N. 498 et 499. — (2) N. 500. v. eodem.

(3) L. 6. n. 501. — (4) N. 502. v. quær.

sante de peccatis confessis, conjuncta cum cognitione quam confessarius de illis prius habuit, reputatur utique sufficiens ad efficiendam illam validam, et integram. Imo hoc admittit Card. de Lugo, etiamsi pœnitens antecedenter peccata sua ob simplicem narrationem confessario declarasset; sed huic acquiescere nequeo, quia tunc dico quod neutra confessio potest dici sacramentalis; non quidem prior, quia illa non fuit facta in ordine ad absolutionem: non secunda, quia non adest confessio cujuslibet peccati in particulari, sicut requirit Trident.; tantum hoc posset admitti, si confessarius, dum pœnitens se accusat de peccatis narratis, distinctam eorum haberet notitiam (1). Addunt multi graves dd. ut Tol. Vasq. Laym. Sa Busemb. quod cum adfuerit confessio facta in ordine ad absolutionem, non solum sufficit memoria in confuso illius, sed etiam solius pœnitentiæ impositæ; quia ex sola pœnitentiæ notitia potest confessarius debitum formare judicium pœnitentis status. Addunt Castropal. s. Antonin. Silv. etc. apud Croix. sufficere etiam solius pœnitentiæ adimpletæ reminisci, licet nec confessarius, nec pœnitens recordentur quænam fuerit; sed hæc opinio mihi videtur nimis extensa, quia sacerdos, ut diximus, debet judicium formare saltem in confuso de statu pœnitentis, tam ad dandam absolutionem quam ad pœnitentiam injungendam, quæ in tali casu utique debet imponi ad faciendum Sacramentum integrum (2).

45. Dicit Tambur. et adhæret p. Segneri (in sua *Instructione ad confessarios*) rudes et pueros qui semper in confuso confessi sunt sine specierum et numeri peccatorum distinctione, sed in bona fide, hos non teneri ad repetendas confessiones. Sed hæc opinio nescio quomodo possit admitti, dum isti, ut dicunt Lugo, Navar. Bonac. Salm., etc., semper tenentur ad explicandas species, et numerum omissum, cum id animadvertunt; quia licet eorum confessiones validæ fuerint, tamen semper remanet obligatio ad reintegrandam confessionem materialiter (3). Admittunt tamen Salm. cum Dicast. Fagund. Henriq. opinionem Tamb. in casu quo rudis dudum semper conformem vitam duxisset, adeo ut ex confessione unius anni possit judicari de præteritis. Sed hoc dico posse admitti quando confessarius a principio confessionis comprehendisset hanc vitæ uniformitatem etiam pro annis præteritis; secus autem quando in fine confessionis cognoscere et defectum præteritarum, et illius novissimæ confessionis notitia distincta peccatorum in ejus mente non restaret; nam licet confessario sufficiat ad dandam absolutionem notitia confusa status pœnitentis, nihilominus semper opus est ut judicium peccatorum in particulari semel formaverit (4).

46. Cæterum recte dicunt Filiuc. Gobat. Holzm. Elbel. Croix, Mazz. cum p. Segneri in dubio non teneri pœnitentes ad repetendas confessiones, quoties præsumptio et per consequens possessio stat pro illarum valore, nisi de nullitate constet. Nec obstat dicere quod cum adest præceptum, et dubitatur de ejus satisfactione, possessio est pro obligatione; nam respondetur hoc habere locum cum dubitatur de actu satisfactionis; sed non cum est certum opus fuisse adimpletum, quia tunc in dubio possessio stat pro valore actus, juxta principium communiter receptum a dd.; ita Laym. Croix, Spor. et Mazzotta cum Navar. qui dicit: *Præsumptio pro actus valore præponderat aliis* (5). Et circa obligationem repetendæ confessionis, optimam regulam exhibet Habert. et sic dicit: Si observetur quod pœnitens

(1) N. 502. dubi. 1. — (2) Ib dubit. 2. et 3.

(3) L. 6. n. 504. et ib. v. dicit 2. — (4) Ib. v. dicunt 3. — (5) N. 507.

post confessionem occasiones vitavit, et pro aliquo tempore tentationibus obstitit, bene possunt judicari validæ confessiones ; secus autem, si observatur quod paulo post, oblata sibi prima occasione, facile, ut prius, lapsus est ; dum illi, quem vere pœnitet, et qui firmiter vitam in melius mutare statuit, impossibile est quod ita faciliter recidat, quin saltem per aliquod tempus perseveret, aut quin prius saltem multam præstiterit resistentiam ; unde fit quod si quis post confessionem statim sine ullo conatu labitur, signum moraliter certum exhibet, ejus confessiones præteritas nullas fuisse, quia deerat dolor et propositum (1).

CAPUT IV.

De satisfactione, sive de pœnitentia.

Quoniam si peccatori remittitur culpa, non semper tota pœna remittitur, sed plerumque ei remanet satisfacienda ; ideoque tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ est satisfactio sacramentalis, quæ dicitur pars non essentialis, (quia sine hac etiam potest esse validum Sacramentum) sed integralis, nam inservit ut Sacramentum fiat integrum.

PUNCTUM I.

DE IMPOSITIONE PŒNITENTIÆ.

47. *De obligatione imponendi pœnitentiam. An post absolutionem, etc.*
48. *Pœnitentia debet imponi ex obligatione.*
49. *Quando possit diminui. De infirmis corpore.*
50. *et* 51. *De infirmis spiritu,*
52. 53. *et* 54. *Quæ species pœnitentiarum debeant imponi.*

47. Circa hoc multa adnotanda sunt. Notandum 1. confessarium in danda absolutione teneri imponere pœnitentiam, ut declarat Trident. *Sess.* 14. *c.* 8. : unde peccat, si eam non imponit, et quidem graviter, cum confessio est de mortalibus ; si est de venialibus, aut de mortalibus jam confesssis, probabile est (ut dicunt Lugo, Dicast. Salm. Mazzotta, etc.) non peecare graviter (2). Et licet pœnitens statim post absolutionem alterius peccati confiteatur, confessarius pariter debet imponere novam pœnitentiam, saltem levem. Dicunt Bon. Croix et Mazzot. sufficere tunc ei imponere denuo priorem pœnitentiam ; sed recte hoc negant Castrop. Ronc., etc. quia licet possit imponi opus debitum ex alio præcepto, sicut infra dicetur nihilominus non posset imponi opus debitum eodem titulo pœnitentiæ (3). Pœnitentia plerumque imponenda est ante absolutionem, ut videat quomodo eam pœnitens acceptet ; sed potest aliquando imponi immediate post absolutionem ; tunc enim moraliter cum illa unitur : ita communissime Busemb. Salm. Viva, Diana, Sporer, etc. (4).

48. Notandum 2. pœnitentiam semper debere imponi sub aliqua obligatione. Sed fit dubium an confessarius possit imponere pœnitentiam gravem sub levi obligatione ? Negant Bonac. Coninch., etc., dicentes materiam gravem sub levi obligatione imponere solius legislatoris, esse non autem simplicis ministri, qualis est confessarius. Sed communius et probabilius affirmant Suar. Filliuc. Henriq. Fag. Busemb. Segneri, Tamb. Dicast., etc., quia in Pœnitentiæ Sacramento sacerdos non simplicis ministri Jesu Christi fungitur officio, sicut in cæteris Sacramentis, sed est verus judex a Salvatore constitutus cum facultate solvendi a peccatis, et ligandi per pœnitentiam, adeo ut obligatio hujus totaliter dependeat ex confessarii præcepto (5).

49. Notandum 3. circa quantitatem pœnitentiæ, illam debere esse proportionatam culpis ; sed in hoc attendenda sunt verba Tridentini, *sess.* 14. *c.* 8. ubi sic dicitur : *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate, criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Itaque quantitas pœnitentiæ a Concilio remittitur confessarii arbitrio, *quantum spiritus et prudentia suggesserit*. Hinc fit quod pœnitentia multis de causis potest minui. 1. Si pœnitens accessit valde contritus ; aut si ille prius multas pœnales patravit actiones (1). 2. Tempore jubilæi aut indulgentiarum plenariarum ; sed semper tunc debet imponi aliqua pœnitentia, ut declaravit Benedictus XIV, tum quia nemo potest securus esse plenariam indulgentiam lucrari, tum quia semper integrandum est Sacramentum (2). Et cum pœnitens indiget pœnitentia medicinali, hæc omnino imponenda est, ut bene advertit Mazzot. 3. Si pœnitens sit infirmus corpore, cum advertat Rituale rom., infirmis tunc non esse imponendam gravem pœnitentiam, sed tantum pro tempore cum convaluerint. Quod si infirmus sit constitutus in mortis periculo aut sensibus destitutus, tunc potest absolvi sine ulla pœnitentia ; licet semper expediat aliquam levem ei imponere, ut osculari Crucifixum, aut invocare nomina Jesu et Mariæ, saltem in corde, etc. Non expedit infirmo pro pœnitentia imponere ut patienter infirmitatis incommoda sufferat, hoc enim potest esse illi multorum scrupulorum occasio. Contra recte advertunt Salm. quod si infirmus possit satisfacere per eleemosynas, istas utique esse a confessario injungendas, dum quilibet tenetur eam facere, quam potest, pœnitentiam (3).

50. Potest 4. minui pœnitentia, si pœnitens est infirmus spiritu ; adeo ut prudenter timeatur ne ille non adimpleat pœnitentiam proportionatam ; ita docent communiter Suar. Scot. Navar. Laym. Abelly, Castr. Habert, Gonet, Gerson. Cajet. Natalis ab Alex. Antoine, Anacl. ; ita etiam *s. Carolus Borrom. in Instruction. ad confessarios*, qui monet confessarios, ut minuant pœnitentiam juxta dispositiones pœnitentium, eos admonendo *Hoc factum esse* (sunt sua verba) *ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant* (nota) *cum periculo salutis suæ*. Idem docet s. Thomas, cujus verba mox infra referemus. Verum est quod in Trid. dicatur, quod pœnitentia debeat delictorum qualitati correspondere ; sed mox subjungit, quod debeant esse *pro pœnitentium facultate salutares et convenientes*. *Salutares*, nempe utiles pœnitentis saluti : *et convenientes*, nempe proportionatæ, non solum peccatis sed etiam pœnitentis viribus. Hinc non solum non essent salutares, nec convenientes illæ pœnitentiæ, quibus pœnitentis vires ob spiritus imbecillitatem pares non sunt ; sed potius essent ei perniciei, quam saluti. In hoc Sacramento potius attenditur emendatio, quam satisfactio ; propterea ait Rit. romanum. (*de Sacramento Pœnitentiæ*) quod confessarius in danda pœnitentia debet rationem habere pœnitentis dispositionis. Et s. Thomas (4) dicit : *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem... ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur : ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus desperet, et a pœnitentia totaliter recedat*. Et alibi (5) dicit, quod sicut parvus extinguitur ignis, si multa ligna superimponantur ; ita accidere potest, quod parvus pœnitentis affectus contritionis extinguatur pondere pœnitentiæ ; et subjungit : *Melius est quod sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset sibi injungenda, et injungat nihilominus quoa*

(1) N. 505. v. et quoad.

(1) N. 507 — (2) N. 519. — (3) L. 6. n. 507.

(2) L. 6. n. 506. — (3) N. 513. dubit 2. — (4) N. 514. v. 8. et si. — (5) N. 518.

(4) Suppl. quæst. 18. art. 4. — (5) Quodlib. 3. a. 28.

post confessionem occasiones vitavit, et pro aliquo tempore tentationibus obstitit, bene possunt judicari validæ confessiones ; secus autem, si observatur quod paulo post, oblata sibi prima occasione, facile, ut prius, lapsus est ; dum illi, quem vere pœnitet, et qui firmiter vitam in melius mutare statuit, impossibile est quod ita faciliter recidat, quin saltem per aliquod tempus perseveret, aut quin prius saltem multam præstiterit resistentiam ; unde fit quod si quis post confessionem statim sine ullo conatu labitur, signum moraliter certum exhibet, ejus confessiones præteritas nullas fuisse, quia deerat dolor et propositum (1).

CAPUT IV.

De satisfactione, sive de pœnitentia.

Quoniam si peccatori remittitur culpa, non semper tota pœna remittitur, sed plerumque ei remanet satisfacienda ; ideoque tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ est satisfactio sacramentalis, quæ dicitur pars non essentialis, (quia sine hac etiam potest esse validum Sacramentum) sed integralis, nam inservit ut Sacramentum fiat integrum.

PUNCTUM I.

DE IMPOSITIONE PŒNITENTIÆ.

47. *De obligatione imponendi pœnitentiam. An post absolutionem, etc.*
48. *Pœnitentia debet imponi ex obligatione.*
49. *Quando possit diminui. De infirmis corpore.*
50. *et* 51. *De infirmis spiritu,*
52. 53. *et* 54. *Quæ species pœnitentiarum debeant imponi.*

47. Circa hoc multa adnotanda sunt. Notandum 1. confessarium in danda absolutione teneri imponere pœnitentiam, ut declarat Trident. *Sess.* 14. *c.* 8. : unde peccat, si eam non imponit, et quidem graviter, cum confessio est de mortalibus ; si est de venialibus, aut de mortalibus jam confesssis, probabile est (ut dicunt Lugo, Dicast. Salm. Mazzotta, etc.) non peecare graviter (2). Et licet pœnitens statim post absolutionem alterius peccati confiteatur, confessarius pariter debet imponere novam pœnitentiam, saltem levem. Dicunt Bon. Croix et Mazzot. sufficere tunc ei imponere denuo priorem pœnitentiam ; sed recte hoc negant Castrop. Ronc., etc. quia licet possit imponi opus debitum ex alio præcepto, sicut infra dicetur nihilominus non posset imponi opus debitum eodem titulo pœnitentiæ (3). Pœnitentia plerumque imponenda est ante absolutionem, ut videat quomodo eam pœnitens acceptet ; sed potest aliquando imponi immediate post absolutionem ; tunc enim moraliter cum illa unitur : ita communissime Busemb. Salm. Viva, Diana, Sporer, etc. (4).

48. Notandum 2. pœnitentiam semper debere imponi sub aliqua obligatione. Sed fit dubium an confessarius possit imponere pœnitentiam gravem sub levi obligatione ? Negant Bonac. Coninch., etc., dicentes materiam gravem sub levi obligatione imponere solius legislatoris, esse non autem simplicis ministri, qualis est confessarius. Sed communius et probabilius affirmant Suar. Filliuc. Henriq. Fag. Busemb. Segneri, Tamb. Dicast., etc., quia in Pœnitentiæ Sacramento sacerdos non simplicis ministri Jesu Christi fungitur officio, sicut in cæteris Sacramentis, sed est verus judex a Salvatore constitutus cum facultate solvendi a peccatis, et ligandi per pœnitentiam, adeo ut obligatio hujus totaliter dependeat ex confessarii præcepto (5).

49. Notandum 3. circa quantitatem pœnitentiæ, illam debere esse proportionatam culpis ; sed in hoc attendenda sunt verba Tridentini, *sess.* 14. *c.* 8. ubi sic dicitur : *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate, criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Itaque quantitas pœnitentiæ a Concilio remittitur confessarii arbitrio, *quantum spiritus et prudentia suggesserit*. Hinc fit quod pœnitentia multis de causis potest minui. 1. Si pœnitens accessit valde contritus ; aut si ille prius multas pœnales patravit actiones (1). 2. Tempore jubilæi aut indulgentiarum plenariarum ; sed semper tunc debet imponi aliqua pœnitentia, ut declaravit Benedictus XIV, tum quia nemo potest securus esse plenariam indulgentiam lucrari, tum quia semper integrandum est Sacramentum (2). Et cum pœnitens indiget pœnitentia medicinali, hæc omnino imponenda est, ut bene advertit Mazzot. 3. Si pœnitens sit infirmus corpore, cum advertat Rituale rom., infirmis tunc non esse imponendam gravem pœnitentiam, sed tantum pro tempore cum convaluerint. Quod si infirmus sit constitutus in mortis periculo aut sensibus destitutus, tunc potest absolvi sine ulla pœnitentia ; licet semper expediat aliquam levem ei imponere, ut osculari Crucifixum, aut invocare nomina Jesu et Mariæ, saltem in corde, etc. Non expedit infirmo pro pœnitentia imponere ut patienter infirmitatis incommoda sufferat, hoc enim potest esse illi multorum scrupulorum occasio. Contra recte advertunt Salm. quod si infirmus possit satisfacere per eleemosynas, istas utique esse a confessario injungendas, dum quilibet tenetur eam facere, quam potest, pœnitentiam (3).

50. Potest 4. minui pœnitentia, si pœnitens est infirmus spiritu ; adeo ut prudenter timeatur ne ille non adimpleat pœnitentiam proportionatam ; ita docent communiter Suar. Scot. Navar. Laym. Abelly, Castr. Habert, Gonet, Gerson. Cajet. Natalis ab Alex. Antoine, Anacl. ; ita etiam *s. Carolus Borrom. in Instruction. ad confessarios*, qui monet confessarios, ut minuant pœnitentiam juxta dispositiones pœnitentium, eos admonendo *Hoc factum esse* (sunt sua verba) *ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant* (nota) *cum periculo salutis suæ*. Idem docet s. Thomas, cujus verba mox infra referemus. Verum est quod in Trid. dicatur, quod pœnitentia debeat delictorum qualitati correspondere ; sed mox subjungit, quod debeant esse *pro pœnitentium facultate salutares et convenientes*. *Salutares*, nempe utiles pœnitentis saluti : *et convenientes*, nempe proportionatæ, non solum peccatis sed etiam pœnitentis viribus. Hinc non solum non essent salutares, nec convenientes illæ pœnitentiæ, quibus pœnitentis vires ob spiritus imbecillitatem pares non sunt ; sed potius essent ei perniciei, quam saluti. In hoc Sacramento potius attenditur emendatio, quam satisfactio ; propterea ait Rit. romanum. (*de Sacramento Pœnitentiæ*) quod confessarius in danda pœnitentia debet rationem habere pœnitentis dispositionis. Et s. Thomas (4) dicit : *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem... ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur : ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus desperet, et a pœnitentia totaliter recedat*. Et alibi (5) dicit, quod sicut parvus extinguitur ignis, si multa ligna superimponantur ; ita accidere potest, quod parvus pœnitentis affectus contritionis extinguatur pondere pœnitentiæ ; et subjungit : *Melius est quod sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset sibi injungenda, et injungat nihilominus quoa*

(1) N. 505. v. et quoad.

(1) N. 507 — (2) N. 519. — (3) L. 6. n. 507.

(2) L. 6. n. 506. — (3) N. 513. dubit 2. — (4) N. 514. v. 8. et si. — (5) N. 518.

(4) Suppl. quæst. 18. art. 4. — (5) Quodlib. 3. a. 28.

pœnitens tolerabiliter ferat. Et alibi (1) addit : *Tutius est imponere minorem debito, quam majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam propter nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur.* Id prius tradidit Chrysostomus in *cap. Aliquot*, 12. *caus.* 26. *q.* 7. dicens : *Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse habet, ut aut fascem abjiciat, aut sub pondere confringatur : sic et homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* Idem etiam dicunt Gerson. Cajet. et præcipue s. Antonin. (2) qui dicit. quod debet imponi illa pœnitentia quam judicatur pœnitens executurus, et quam ille tunc libenter acceptat. Et si pœnitens protestatur sibi non esse vires sufficientes ad pœnitentiam convenientem, concludit tandem s. Anton. : *Tunc quantumcumque deliquerit, non debet sine absolutione dimitti.* Sufficiens tunc erit, ait Sanctus, ut ei imponatur in generali quicquid boni egerit sub iisdem verbis Ritualis : *Quicquid boni feceris etc.*, quæ opera cum Sacramento Pœnitentiæ conjuncta, ut docet Angelicus (3), ob Sacramenti virtutem, majorem acquirent valorem ad satisfaciendum pro peccatis commissis. Item probabiliter addunt multi dd. Lugo, Petroc. Croix, et Salm. cum eodem s. Antonin. (4) esse justam causam ad minuendam pœnitentiam judicare pœnitentem ita melius erga pœnitentiam affici studio. O quam pulchrum est consilium *sancti Thomæ a Villanova* (5), *facilem unam injunxeris, acriorem consulueris!* Expedit ut pœnitenti comprehendere facias pœnitentiam quam mereretur ; cui potest conducere etiam indicare pœnitentias antiquas Canonum pœnitentialium (hæ inveniuntur in opere (6) adnotatæ). Juvabit pariter, ut dicit s. Thomas de Villanova, suadere pœnitenti graviorem pœnitentiam, sed postea imponere ei oportet eam tantum, quam prudenter judicabit confessarius ab eo adimpletam iri. Insinuat s. Franciscus de Sales (7), et idem dicit Rit. parisien. (8) expedire, ideoque a pœnitente expetere, an valeat ipse eam pœnitentiam exequi ; secus commutetur. Idem admonuit s. Carolus Borromæus, dicendo : *Talem imponat pœnitentiam qualem a pœnitente præstari posse judicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, aave dubitet pœnitentiam sibi impositam peragere ; alioquin eam mutabit, aut mimuet.* Confert etiam plerumque inter opera injuncta aliquam gravem pœnitentiam imponere, sed non sub gravi (ut *n. precedenti* dictum est) ; aut aliquod opus aliunde præceptum, aut debitum, ut infra dicemus.

51. Ex quo deducitur quam imprudenter se gerunt confessarii, qui pœnitentiam viribus pœnitentium imparem injungunt. Quot istorum multoties non dubitant faciliter recidivos indispositos absolvere, et etiam eos qui in proxima peccandi occasione versantur, et insipienter postea putant iis mederi imponendo gravissimas pœnitentias, licet videant quod illi eas adimplere non possint : imponunt v. g. ut octavo quoque die per annum confiteantur : ut quindecim decades Rosarii quolibet die recitet ille, qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare : imponunt jejunia, disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet ? Eveniet quod licet inviti acceptent quod

(3) Opusc. 65. §. 4. — (2) 3. part tit. 16. c. 20. et in opere morali l. 6. n. 540 per totum. — (3) Quodlib. 3. a. 28. — (4) vide ibidem — (5) Serm. Fer. 6. post Dom. Lætare.

(6) L. 6. n. 530 — (7) Instruct. ad confess. c. 8. — (8) L. 6. n. 509.

imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil horum executioni demandant ; et credendo in novum peccatum esse delapsos. imo putando (præcipue rudes) nullius fuisse momenti confessionem factam, quia pœnitentiæ impositæ non satisfecerunt, propterea ad pristinum perditum vivendi modum redeunt : et ob pœnitentiæ impositæ pondus perterriti a confessione horrent, et ita in peccatis tabescere pergunt. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed melius dicendæ essent inconvenientissimæ. Cæterum extra casum gravissimæ infirmitatis, aut compunctionis extraordinariæ, non bene ageret confessarius, si pro culpis gravibus adjungeret levem satisfactionem, levem inducentem obligationem : etenim licet (cum expedit) possit adjungi opus quod, habita peccatorum ratione, sit leve, attamen semper debet imponi gravis satisfactio, quæ obliget sub gravi (1).

52. Notandum 4. circa qualitatem pœnitentiæ, non imponendas pœnitentias perpetuas, aut valde onerosas, ut ingredi religionem, et tanto minus matrimonio ligari, quod omnimodam requirit libertatem ; item non imponantur vota perpetua ; imo licet pœnitens vellet vovere, v. g. de non relabendo, ei non permittatur nisi ad tempus ; ut videat quomodo illud observet. Loquendo autem de pœnitentia conditionata, v. g. aut de jejunando, aut de eleemosynam elargiendo quoties cadet, potest utique illa imponi, et cum imponitur, tenetur pœnitens eam acceptare et exequi, ut recte dicunt Suar. Laym. Bonac. Salm. et Aversa (contra Dianam, etc.) ; sed non expedit eam ad longum tempus imponere, quia postea faciliter negligitur et peccata multiplicantur ; potest igitur imponi tantum ad breve tempus, ut ad mensem, aut ad aliam confessionem (2)

(1) N. 510. in fine. v. ex. his et 518. — (2) L. 6. n. 514.

Item advertendum, non esse imponendas pœnitentias publicas pro peccatis occultis ; tenetur autem confessarius has imponere, si alia via occurri non possit scandalo dato, vel honori alicujus palam detracto ; sed non est adstringendus pœnitens ad publicam pœnitentiam, si ipse renuit, et alio modo possit scandalum reparare, nimirum Sacramenta frequentando, ecclesias visitando, ad aliquam congregationem se aggregando, etc. (3).

53. Notandum 5. opera satisfactoria debere esse pœnalia, nam (ut advertit Trident. *sess.* 14. *cap.* 8.) satisfactio non solum debet esse medicinalis in novæ vitæ custodiam, sed etiam ultrix in peccatorum commissorum satisfactionem. Hæc pœnalia opera reducuntur ad jejunium, eleemosynam, et orationem. Sub jejunii nomine veniunt omnia sensuum mortificationum genera. Sub orationis nomine etiam veniunt confessiones, Communiones, ecclesiarum visitationes, et etiam actus interni charitatis, contritionis, aut meditationis, qui actus utique possunt imponi in pœnitentiam, juxta communem dd (4). Advertunt tamen tam orationem, quam eleemosynam, et quodcumque opus bonum valere pro opere pœnali, ut communiter docent theologi ; nam respectu nostri filiorum Adam post statum naturæ lapsæ quæcumque actio virtuosa habet rationem pœnæ, quia propter justitiam originalem amissam, omnes proni sumus in malum, et proprias commoditates ; ita Valent. Castrop. Laym. Pitig. Salm. cum multis aliis (5). Idem novissime scripsit doctus auctor *Instruct. pro novis Confessariis* (6), qui ait : *Hic advertendum nos haud*

(3) N. 512. — (4) N. 514. dubit. 1. — (5) Valent. t. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 3. Castrop. dist. un. p. 21. §. 3. n. 1. Laym. tr. 6. de Sacram. Pœnit. c. 15. n. 9. Pitig. 2. p. dist. 45. quæst. 1. a. 3. concl. 1 Salmant. tract. 6. de Pœnit c. 10. n. 26. — (6) Instr. pro nov. conf. p. 1. c. 16. n. 375.

dicere, nec inutilem reputare pœnitentiam illam, quæcumque illa sit, quæ injungitur in Sacramento, cum certum sit, quod etiam signum crucis cum Sacramento conjunctum est efficax ad satisfaciendum ; tanto magis quia in statu præsentis naturæ lapsæ omne opus bonum est quodammodo affligens, et pœnale. Hoc etiam confirmatur ex s. Francisco de Sales (1), qui sic ait : *Alius patitur in jejunando, alius infirmis inserviendo, audiendo confessiones, concionando, orando, et similibus actibus. Hæc pœna* (orandi) *præstat ulteri pœnæ* (jejunandi) ; *etenim oratio, præterquam quod domat corpus, affert fructus desiderabiliores*. Præsertim confirmatur e s. Thoma, qui dicit : *Quælibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis*, ut dicit Gregorius (*super Ezech. homil.* 17.) : *Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur fortitudo carnis* (2). Potest etiam imponi in pœnitentiam aliquod opus ad quod pœnitens tenetur, ut interesse Sacro die festivo, jejunare in vigiliis, sicut etiam communiter dicunt Sot. Suar. Laym. Sanch. Valent., etc., quia cum tale opus sit satisfactorium, tunc per Sacramentum elevatur ad meritum satisfactionis sacramentalis. Hoc potest fieri, cum dignoscitur pœnitens valde debilis spiritu ; cæterum regulariter loquendo debet imponi aliquod opus liberum ; ideoque quoties confessarius non se manifestat, intelligitur impositum opus distinctum. Attamen si confessarius imponit adesse Sacro per mensem, non tenetur die festivo duobus adesse ; ita communiter Castrop. Bonacin. Coninch. Laym. Sanch. Croix, Salmant., etc. Potest etiam imponi opus aliis applicandum, ut animabus purgatorii, ut probabilius dicunt Lugo, Tournel. Busemb., etc. (3). Potest etiam imponi abstineri ab aliquo opere bono, v. gr. a Communione, et jejunio, sicut probabiliter tenent Suar. Mol. Lugo, Sporer, et Salm., quia talis cessatio utique potest esse actus virtutis, saltem ut experiatur obedientia erga seipsum confessarium. Sed hoc non est practicandum, nisi cum animabus devotis, et nec cum ipsis quidem, cum possit aliis ingeri suspicio talem cessationem esse pœnitentiam a confessario impositam (4). Non potest autem pœnitens satisfacere per alios, sicut dicebat propos. 15. damn. ab Alexandro VII. Potest vero confessarius hoc concedere pœnitenti, ut dicunt Sot. Suar. etc., cum s. Thoma ; nam tunc non opus jam, sed hujus procuratio esset satisfactio sacramentalis, sicut notant Laym. Vasq. Bon., etc. cum Mazzotta (5).

54. Circa praxim regula hujus requirit, ut imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynæ pro peccatis avaritiæ, oratio pro blasphemiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti. Quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas ; nihilominus praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil, aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæ solent esse, nimirum aggregari ad aliquam congregationem : quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum s. Philippo Nerio : *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar* ; visitare quotidie sanctissimum Sacramentum, et imaginem quoque Mariæ sanctissimæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando. Rosarii saltem tertiam partem, et ter Salutationem angelicam mane, meridie et vesperi, dicendo : *Mater mea, adjuva me hodie, ne in Deum peccem*

(1) Introd. ad vitam devotam, c. 23. — (2) S. Thom. S up. q. 15. art. 3. ad 4. — (3) L. 6. n. 514. dubit. 2.

(4). ib. v. 7. potest — (5) de Pœnit. qu. 5. in fin.

Hanc tamen pœnitentiam, ter recitandi Salutationem angelicam cum prædicta supplicatione, ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis, qui eam non solebant frequentare) : cum cubitum iverint, dicere in lecto : *Si nunc mihi morandum fuisset in inferni igne ;* aut dicere : *Veniet dies quo mihi in hoc tecto moriendum erit* : qui legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem. Monet autem s. Franciscus Salesius (1), non esse gravandum pœnitentem multis rebus, ne confundatur et terrefiat.

PUNCTUM II

DE ACCEPTATIONE ET SATISFACTIONE PŒNITENTIÆ.

55. *Obligatio acceptandi pœnitentiam.*
56. *Obligatio adimplendi eam.*
57. *Qui differt pœnitentiam.*
58. *An requiratur intentio satisfaciendi.*
59. *Si pœnitens obliviscatur pœnitentiæ.*
60. *Quid si adimpleat in mortali.*
61. *Qui possit mutare pœnitentiam.*

55. Quoad pœnitentiæ acceptationem, communiter docent dd. teneri sub gravi pœnitentem eam acceptare cum illa est rationabilis, quia in hoc confessarius est verus ejus judex, cui ille parere debet. Unde Suar. et Bonac. post Trid. vocant temerariam opinionem Navar. et Cajet., etc. qui dicebant pœnitentem posse pœnitentiam recusare, ut eam in purgatorio satisfaciat (2). Dicit Busemb. cum Soto, et Reginal. quod si pœnitens nollet aliam acceptare pœnitentiam quam levem, licet mereatur gravem, posset utique confessarius eum absolvere. Sed ego nec huic acquiesco, juxta quod diximus *n.* 51. *in fine*, et juxta id quod docet Lugo ; quia sicut peccaret confessarius, qui sine justa causa (ut infirmitatis) vellet levem pœnitentiam pro culpis gravibus imponere, ita etiam peccat pœnitens, qui graves culpas afferendo, non vult acceptare nisi levem pœnitentiam. Cæterum probabiliter dicunt Suar. Layman, Concina, Busemb. Elbel, Holzm. et Sporer, quod si pœnitens putaret illam pœnitentiam nimis gravem respectu sui peccati, aut saltem suarum virium, et confessarius nollet eam moderari, bene potest illo, recusata absolutione, alium quærere confessarium (3).

56. Quoad autem pœnitentiæ satisfactionem, notandum 1. jam peccare graviter qui pœnitentiam gravem sibi impositam pro peccatis gravibus non adimplet ; sed contra peccat tantum venialiter, qui levem omittit pœnitentiam pro culpis levibus impositam, aut pro peccatis jam alias confessis juxta communem. Nec obstat dicere quod Sacramentum restaret incompletum ; quia cum sit essentialiter hoc completum, obligatio illud integrandi non est nisi levis, cum materia non est nisi levis ; sed Rosarium B. V. licet quinque decadum, non potest esse tale. Dubium majus fit, si imponatur pro pœnitentia materia gravis pro culpis levibus aut jam confessis ? Volunt tunc Bonac. Conc. et Roncag. debere sub gravi eam adimpleri ; sed probabiliter hoc negant Sotus, Navar. Laym. Lugo, Sporer, Croix, etc. Ratio est quia in tali casu, sicut confessarius non potest imponere sub gravi obligatione gravem pœnitentiam, ita nec pœnitens tenetur sub gravi eam satisfacere. Non nego tamen cum Roncagl. quod si casu illa peccata, licet venialia, valde disponerent ad mortale, bene potest confessarius imponere pœnitentiam gravem, ut liberet pœnitentem a periculo mortalis et tunc pœnitens tenetur, si cupit absolvi, ad eam acceptandam, et satisfaciendam sub gravi obligatione (4). An autem circumstantiæ pœnitentiæ, v. gr. flexis genibus, nudis pedibus, etc. importent obligationem gravem, aut levem, hoc dependet ex gravi molestia, quam se

(1) Instruct. Conf. c. 8. — (2) L. 6. n. 516.

(3) L. 6. n. 516. — (4) N. 517.

cum affert circumstantia, ut communiter dicunt dd. (1).

57. Notandum 2. quod licet non adsit obligatio adimplendi pœnitentiam ante Communionem, ut requirebat propositio 22. damnata ab Alexandro VIII, nihilominus peccat qui diutius eam differt, v. g. per annum, et etiam per sex menses, ut recte dicit Mazzotta; sed neutiquam qui per mensem eam differt, modo pœnitentia non sit medicinalis, ut advertunt idem Mazzotta et Croix; et modo in posterum posset eam adimplere. Cæterum non peccat graviter qui jejunium feriæ sextæ in sabbatum transferret, aut qui Communionem singulorum mensium ad 6. aut 8. dies alios transferret, ut probabiliter dicunt contra Salmant. et Lugo) Suarez, Castrop. Spor. Holz. Mazzot cum Ronc. (qui tamen recte excipit, si pœnitentia esset medicinalis). Imo Croix cum Gob. Steph., etc. putat non esse mortale, si ex 10. Communionibus unam omitteret (2). Cæterum qui omittit die statuto pœnitentiam adimplere, non ideo deobligatus ab illa restat; nam quando a confessario assignatur dies, semper ille intelligitur accessorie destinatus, nempe ad sollicitandam, non autem ad liniendam obligationem (3). Dicunt tamen Bonac. Coninch. Gobat., etc. apud Mazzotta (4), quod si confessarius imponit Communionem singulis B. Virginis festis, aut jejunium quolibet sabbato in ejus honorem, elapso illo die, terminatur obligatio, quia tunc videtur confessarius velle obligare jejunium tantum ad diem illum. Non dubitatur autem quin possit pœnitentiæ satisfieri eodem tempore quo alteri satisfit præcepto, prout Rosarium recitare dum in festo auditur Sacrum, etc. sicut dictum fuit *tr.* 2. *n.* 30. Sed cum confessarius imponit duas audire Missas eodem die, intelligitur successive, non autem eodem tempore, ut recte dicit Mazzotta (5) cum Croix.

58. Quæritur 1. an pœnitentiæ debeat satisfieri cum intentione ei satisfaciendi? Alii affirmant, ut Vasq. cum Mazzotta (6), dicendo quod in cæteris præceptis sufficit ponere opus præceptum, sed in hoc requiritur amplius intentio integrum efficiendi Sacramentum. Sed probabiliter negant Sanch. et Lug. (7) cum Suar. et cum communi, ut asserit. Utitur Lugo alia ratione; sed illa quæ apud me majorem vim facit, est quod pœnitens in acceptando pœnitentiam utique animum eam adimplendi habet, unde quoties ille ponit opus injunctum, saltem ponit id ex intentione habituali habita, et non retractata pœnitentiæ satisfaciendi; et in hoc cur non sufficit intentio habitualis, cum habitualis sufficit ad suscipiendum quodlibet Sacramentum? Propterea quisque in quolibet satisfactorio opere, quod ponit, semper intendit voluntate generali satisfacere prius operi debito, quam aliis subrogationis.

59. Quæritur 2. ad quid teneatur pœnitens, qui oblitus est pœnitentiæ? Alii, ut Busemb. s. Anton., etc., volunt teneri ad repetendam confessionem, ut Sacramentum faciat integrum; sed communiter, et valde et forte magis probabiliter negant Suar Vasq. Laym. Castrop. et alii, et hoc etiamsi culpabiliter oblitus fuisset, ut dicunt Sot. Navar. Lugo, Salm. Croix, et Holzm., quia in tali casu pœnitentia reddita est impossibilis, et ex altera est valde dubia lex, an repetenda sint peccata jam semel directe remissa, ut integretur Sacramentum. Attamen si pœnitens putaret confessarium reminici posse pœnitentiæ impositæ, teneretur certe eumdem adire, ut eum de illa interroget (8).

60. Quæritur 3. an pœnitens in mortali existens possit pœnitentiæ

(1) ib. v. an autem. — (2) N. 521. — (3) N. 525. — (4) De Pœnit. qu. 5. v. dico 4. — (5) Loc. cit. — (6) Ibid. — (7) de Pœnit. d. 24. n. 3. — (8) L. 6 n. 520.

satisfacere? Alii negant, sed communissime affirmant Suar. Nav. Lugo. Conc. Ronc. Salm. etc., quia ex regula generali s. Thomæ pluries repetita, finis præcepti non cadit sub præcepto. Opponunt hic quemdam textum ejusdem Angelici: sed s. Doctor ibi aliud non dicit quam illud opus in peccato factum merito carere, sed non dicit non satisfacere (1). Communis autem est sententia apud omnes, quod pœnitens, satisfaciendo pœnitentiæ in peccato mortali, non peccet mortaliter. Cæterum judico esse probabile cum Suar. Laym. Bonacin. etc. (contra alios) istum saltem peccare venialiter, dum satisfaciendo in mortali impedimentum ponit effectui partiali Sacramenti (2).

61. Quæritur 4. quisnam possit pœnitentiam mutare? Certum est, et commune apud dd. (quicquid dicat Diana cum paucioribus) pœnitentem non posse ex se pœnitentiam mutare etiam in opus evidenter melius; sicut non potest pœnitentia nisi a confessario imponi; ita nec potest nisi ab eo solo mutari (3). Dubium fit an possit mutari ab alio confessario, quin repetantur peccata? Negant probabiliter Castr. Lugo, Laym, Concina, Holzm Spor., etc., dicendo pœnitentem debere tunc iterum confessionem repetere apud illum confessarium, saltem in confuso, ut ei det notitiam status suæ conscientiæ. Sed multi alii etiam probabiliter affirmant, ut Tolet. Navar. Bonac. Sa, et probabile dicunt idem Lugo, Laym. Salm. Holzm. Sporer, etc. Ratio est quia in hac posteriori confessione non agitur de peccatorum in priori confessione adductorum judicio faciendo, cum illud jam absolutum sit; sed tantum de imbecillitate pœnitentis priori pœnitentiæ satisfaciendi. Opponitur: sed pœnitentia debet esse medicinalis, et quomodo medicinam præscribet qui infirmi vulnus ignorat? Respondetur quod confessarius ex eadem pœnitentia imposita potest peccatorum, pro quibus illa imposita erat, materiam argumentari, et ita potest se dirigere in commutando aut diminuendo eam (4). Et probabiliter dicunt Nav. Spor. et Tamb. confessarium non requisitum, a pœnitente posse ex se mutare ei pœnitentiam, cum prævidet quod ille verisimiliter perget eam negligere (5). Nonnulli dd. ut Castrop. Sanch. Bonac., etc. permittunt etiam confessario inferiori posse pœnitentiam a Superiore ob casus reservatos impositam permutare. Sed hoc recte negant Gonet, Suar. Lug. Holzm. Spor. Conc. Coninch. Valenz. Renzi, etc., quia inferior non habet facultatem mutandi sententiam Superioris in judicio prius formato; tantum hoc posset admitti cum Suar. Bonac. Renzi, Med., etc., cum pœnitens difficulter posset ad Superiorem redire, et contra gravis adesset causa ut mutetur pœnitentia, quia tunc merito præsumitur Superioris conniventia (6). Dubitatur autem an pœnitentia possit mutari extra confessionem? Respondetur. quod si confessarius est alius, certum est non posse fieri; si autem est idem, alii aa. admittunt posse id fieri etiam post 8. dies; sed merito hoc negat sententia communior Bonac. Suar. Nav. Salm., etc. qui vix id permittunt confessario immediate post absolutionem, antequam a confessario discedat pœnitens (7). Attamen facta commutatione semper potest pœnitens eligere, primam pœnitentiam, uti docent Suar. Less. Bonac. et alii cum p. Mazzotta (8).

(1) N. 522. — (2) N. 523. — (3) N. 528. resp. 3. — (4) L. 6. n. 529. dubit. 4. — (5) Ib. in fin. — (6) Ib. dubit. 2. — (7) Ib. dubit. 3. — (8) De Pœn qu. 5. c. 2.

PUNCTUM III.

DE SATISFACTIONE PER INDULGENTIAS.

62. *De indulgentiis.*
63. *An quis possit lucrari plenariam ex parte.*
64. *De jubilæo, et de pluribus declaratis circa jubilæum a Benedicto XIV.*

65. *An opera debeant omnia in una hebdomada adimpleri; et hic de oratione, et eleemosyna, et etiam de commutatione.*
66. *An ex invalida confessione auferatur reservatio, et censura.*
67. *An peccet absolutus postea non adimplendo opera.*
68. *Qui reservati obliviscitur.*
69. *Qui peccat in confidentiam jubilæi.*
70. *An antequam damno satisfiat, etc.*
71. *In jubilæo a quibus casibus, et censuris potest absolvi.*
72. *Nonnulla circa annum sanctum adnotantur*

62. Loquendo de indulgentiis in generali, indulgentia definitur: *Gratia qua remittitur pœna temporalis, opere præscripto præstito; idque per absolutionem in subditos, per suffragium in defunctos.* Declaravit autem Trident *sess.* 25. *Decr. de Indulg.* Ecclesiam a Deo habere facultatem indulgentias concedendi, et eam ab antiquis temporibus illis usam fuisse; unde Concilium excommunicatione damnat eum qui inutiles esse indulgentias diceret, aut qui eam potestatem in Ecclesia esse negaret. Ad lucrandas indulgentias tria requiruntur: 1. Ut adsit causa rationabilis, et proportionata. 2. Ut opera præscripta adimpleantur. 3. Ut persona sit in gratia, saltem cum ultimum opus præscriptum ponit: alioquin non lucrabitur indulgentiam, neque pro se, neque pro defunctis, quicquid dicant alii (1). Deinde notandum 1. indulgentiam non spirare morte concedentis, nisi adsit clausula, *Ad beneplacitum nostrum.* Notandum 2. indulgentias intelligi debere, ut Indulti verba sonant, quia error, licet communis esset, hoc non supplet. Contra, cum sint gratiæ, large interpretandæ sunt; unde fit, quod si tempus non determinatur, perpetuæ intelligendæ sunt. Notandum 3. indulgentiam esse alteram *plenariam*, sive *totalem*, quæ ab omni pœna liberat: alteram *partialem*, ut sunt *septenæ et quadragenæ*, quibus intelligitur tolli illa pœna, quæ tolleretur per jejunium illorum annorum, aut dierum, qui in Indulto ex primuntur (2).

63. Dicit autem Busemb. non lucrari indulgentiam plenariam eum, qui ab omni culpa, etiam veniali, non est immunis. Sed multi alii aa., ut Laym. Wigandt, Sporer, Viva, Pellizar. et Renzi, tenent quod quamvis peccatum sit veniale, si non est remissum quoad culpam, neque remitti potest quoad pœnam, ut certum est cum s. Thom. (3); nihilominus veniale non remissum non impedit, quominus remittatur pœna debita aliis peccatis jam remissis; quia sicut non repugnat, ut remittatur culpa unius venialis, quin remittatur culpa aliorum; ita etiam de pœna dici potest, et non sine ratione talis esse præsumitur Pontificis intentio (4). In sequenti numero, loquendo de jubilæo, dicemus alia quæ etiam ad hanc indulgentiarum materiam pertinent.

64. Procedendo igitur ad loquendum de jubilæo, antequam ad dubia, quæ super hac re occurunt, descendamus, multa hic adnotare oportet, quæ declaravit Benedictus XIV. in sua Constitutione, *Inter præteritos*, edita die 3 decemb. 1749. (5); in qua (ut ipse alibi declarat) voluit de medio tollere multas quæstiones, quas super hac re dd. agitabant. Ea, quæ declarata fuerunt, sunt sequentia: 1. Clausula *Vere pœnitentibus, et confessis*, in jubilæo intelligenda est de vera confessione, contra opinantes non opus esse confiteri eum, qui a culpis gravibus erat immunis; ita in jubilæo; sed pro aliis indulgentiis ait Pontifex hoc pendere ab Indulti verbis, an requirant confessionem uti conditionem, an uti dispositionem (nota quod Clemens XIII. declaravit, semper requiri confessionem ad lucrandas indulgentias). 2. Omnes visitationes ecclesiarum præscriptæ debent uno die compleri, incipiendo a media ad mediam noctem, aut a vesperis ad vesperas alterius diei. 3. Indulgentiæ concessæ. *Ad beneplacitum nostrum*, morte Pontificis spirant. 4. Indulgentiæ pro vivis non possunt applicari pro defunctis. 5. In jubilæo non potest absolvi hæresis externa. 6. Clausula, *Commutatio votorum fiat dispensando*, intelligitur, ut commutatio non sit multo inferior opere promisso. 7. Facultas commutandi opera pia non intelligitur in confessionem, aut Communionem (præterquam cum pueris), nec in orationem necessariam in visitatione; nec cætera opera præscripta possunt commutari in ea quæ alia causa jam debentur. 8. In quolibet jubilæo vetitum est confessario absolvere proprium complicem in peccato turpi. 9. Jubilæi facultate non gaudent, qui perati non sunt ad illud lucrandum, et ad operibus præscriptis satisfaciendum. 10. Vota tantum intra confessionem commutari possunt. 11. In jubilæo a confessario semper debet aliqua injungi pœnitentia in confessione. 12. Non possunt commutari vota in damnum tertii, et præcipue votum perseverantiæ quod in aliquibus congregationibus emittitur, nam illud contractus naturam assumit. 13. Qui in mortale post confessionem labitur, iterum confiteri debet, si indulgentias jubilæi lucrari cupit, ut saltem ultimum opus injunctum in statu gratiæ ponatur; sed non adest obligatio replicandi visitationes. 14. Ad lucrandas indulgentias sufficit oratio vocalis; et qui mentaliter orat, adjungat aliquam vocalem. 15. Facultate jubilæi semel tantum quis gaudere potest; sed indulgentias, qui opera præscripta repetit, utique pluries lucrari potest hoc tamen non intelligitur de indulgentiis concessis visitantibus præscriptis diebus aliquam ecclesiam. 16. In concessione facultatis absolvendi a censuris *Bullæ Cœnæ* non includitur facultas absolvendi ab hæresi externa. 17. Qui jam est absolutus a censuris, aut dispensatus a voto, non reincidit in eas, si jubilæum non lucratur. 18. Facultas data Monialibus eligendi confessarium intelligitur de approbato ad Moniales (1). Notandum hic denique quod Regulares possunt confiteri apud quemcumque sacerdotem ab Ordinario approbatum etiam secularem, ut declaratum fuit a Gregor. XIII. apud Peyrinum (2), et etiam ab Alexandro VII. in Constitutione Unigenitus.

65. Quæritur 1. an ad lucrandum jubilæum omnino in alterutra hebdomada omnia opera præscripta perfici debeant? Negant Castrop. Bonac., etc.; consentit Laym. si aliqua adfuerit causa. Sed affirmant Sanch. Lugo, Spor. Renzi, Viva, etc., et his ego etiam adhæreo, tum quia talis est usus fidelium, tum quia videtur is esse Indulti sensus, cum ibi conceditur jubilæum ei qui perficit opera diebus *alterius* (non autem dicitur *utriusque*) *ex duabus hebdomadis*. Probabilissimum tamen est confessionem, et Communionem posse fieri tam in prima, quam in Dominica immediate sequenti (3). Dicunt Sanch. Ugol. Busemb., etc. quod qui jubilæum in patria lucrari neglexisset, bene posset illud postea lucrari alibi ubi etiam illud duraret. Dicunt insuper Bonac. et Diana posse lucrari etiam in patria, cum ille ex invincibili ignorantia ignoraverit jubilæum publicatum fuisse (4). Loquendo hic de opere injuncto ad lucrandum jubilæum, quoad orationem vocalem in visitatione alii requirunt 7. *Pater* et *Ave*; alii dicunt sufficere quinque. Circa autem eleemosynam, quanta esse debeat, duo consideranda sunt: primo verba indulti, si dicant *uniuscujusque facultate*, aut *prout devotio suggeret*: secundo causa, quia si elee-

(1) Lib. 6. n. 533.

(2) Lib. 6. n. 534 et 535. — (3) Suppl. q. 27. a. 1 — (4) N. 534. v. certum. — (5) In Bull. tom. 3. p. 440. et edit. Mechl. t. 8. p. 6.

(1) Fusius l. 6. n. 536. — (2) Peyr. de privileg. reg. 4. t. 3. c. 4. n. 8. — (3) l. 6. n. 537. — (4) n. 535. v. 4. qui.

mosyna imponitur in subsidium alicujus piæ operæ, tunc debet esse uniuscujusque viribus correspondens; si autem dumtaxat ad exercendam misericordiam, tunc sufficit quamcumque parvam summam præstare. Etiam pauperes debent eleemosynam largiri; sed pro Religiosis, filiis familias, et pro uxoribus, sufficit ut cum intelligentia eorum a Superioribus pro ipsis præstetur. Denique quoad jejunia, si quis applicare vellet jejunia ad quæ ex voto, vel alia lege tenetur, hæc utique non sufficiunt (1). Advertendum quod cum datur facultas opera præscripta commutandi, hoc potest efficere quilibet confessarius (etiam extra confessionem), ut declaratur in Bulla indulgentiarum Gregorii XIII. cum ibi dicatur, quod nomine confessarii venit quilibet approbatus; ita Busemb. cum Henriq. et Præpos. (2).

66. Quæritur 2. an ob confessionem invalidam in jubilæo auferatur reservatio peccatorum, et an a censuris absolvatur? Cum confessio est nulla culpabiliter, nempe sacrilega, omnino negandum est cum Lugo, et Viva, etc., quicquid dicant alii; tum ex regula illa quod *fraus nulli patrocinari debet*; tum magis quia Pontifex in cit. Bulla declaravit non posse facultatibus gaudere, nisi eum, *qui ad consequendum jubilæum præparatus sit*. Si vero confessio sit nulla ex defectu doloris, sed culpa haud cognita, tunc volunt Lugo, Coninch. Viva, etc. reservationem auferri, quia tunc pœnitenti verus est animus jubilæum lucrandi. Sed hoc non obstante, negant Bonac. Rodriq. Reginald., etc., et huic sententiæ ego adhæreo, dum Benedict. XIV. in Constitut. supra cit. n. 64. *Inter præteritos* §. 62. declaravit quod facultates conceduntur *velut præparatio ad consecutionem jubilæi*: igitur non præsumitur Pontificis voluntas esse, ut facultatibus gaudeant ii quos facultates non præparant ad consequendum jubilæum (3).

67. Quæritur 3. an peccet graviter qui, postquam a reservatis absolutus fuit, reliqua opera præscripta negligit? affirmant Suar. Vasq. Fill. etc.; sed communius negant Sanch. Lug. Bonac. Castrop. Spor. Salm., etc.; quia in tali casu non apparet talem adesse obligationem, nec ex jubilæi natura, nec ex Pontificis, aut confessarii præcepto. Cæterum, ut declaravit idem Pontifex, iste in reservationem, aut censuras minime reincideret (4).

68. Quæritur 4. an qui confitetur in jubilæo, et reservati obliviscitur, possit a quocumque confessario absolvi? Certum est quod possit, si confessarius jubilæi expresse eum a reservatis oblitis absolvere intellexit; secus autem, si hoc non intellexit; ita Bonac. Vasq. Sayr., etc.; sed probabilius affirmant Nav. Sanch. Suar. Viva, Croix, etc., dum præsumitur confessarius omnia beneficia, quæ potest, pœnitenti suo conferre velle. Et idem probabiliter dicunt Less. Castrop. Sanch. Spor. Viva, etc. contra alios, de votorum commutatione; quia vi jubilæi pœnitens quoddam acquisivit jus ad talem commutationem. Omnes autem conveniunt, quod si quis cœpit confessionem intra jubilæum, potest deinde absolvi ab eodem confessario; et etiam a reservatis post jubilæum commissis, ut probabiliter dicunt Sanch. Viv. Bos. et alii (5); idem probabiliter dicunt Suar. Sanch. et Emanuel. (contra Conc.) de eo, qui confitetur animo consequendi jubilæum, et deinde non consequitur; dum per absolutionem jam absolute aufertur reservatio quin ab eventu futuro pendeat (6). Si vero pœnitens confitetur Superiori extra jubilæum, et recordatur reservati, vide dicenda *n.* 140.

69. Quæritur 5. an possit absolvi

(1) n. 538. quær. 11. et 12. — (2) n. 534. v. 15. quando.

(3) l. 6. n. 537. quær. 2. et v. si autem — (4) ib. quær. 3. — (5) n. 537. quær. 4. in fin. (6) ib. quær. 5.

a reservatis peccans in jubilæi confidentiam? Alii negant, et probabiliter, quia non præsumitur Pontifex velle fovere iniquitatem. Sed alii communius et probabilius id affirmant, quia non limitanda est facultas sine limitatione concessa. Nec dicere valet ita fovere iniquitatem ea remedia, quæ Superiores peccantibus præparant (1).

70. Quæritur 6. an virtute jubilæi possit absolvi a censuris, qui aliquem damnificavit, antequam satisfecerit, si adest clausula: *Non absolvatur, nisi satisfacta parte*? Affirmant aliqui dd. dicendo præfatam clausulam potius importare suasionem, quam conditionem; sed negant Suar. Vasq. Spor. Viva, etc., et hodie omnino hoc tenendum est, ut declaravit Benedictus in præfata Bulla. Si tamen debitor omnino satisfaciendo non esset, potest utique absolvi; modo satisfaciendi, cum poterit, juramentum præstet, ut in eadem Bulla cautum est. Quod si, cum possit, non satisfaceret, aliqui volunt reincidere in censuras; sed probabilius est oppositum cum Sa, Bos. Spor. Viva, etc.; nam ex *cap. Ad reprimendam de Offic. Ord.* reincidentia non incurritur, nisi in lege exprimatur. Cæterum, debitor penitus ab omni satisfaciendi debito liberabitur si pars læsa remittat injuriam; sed hic bene advertit Croix cum Filluc. et Bonac. contra Vivam et Dianam, 1. non sufficere monachi offensi remissionem, si injuria in totum monasterium redundat; 2. debitorem liberari, si offensus justam satisfactionem respuit; 3. si debitor non possit tunc sine gravissimo damno suo absolute satisfacere (2), sed hoc intelligendum juxta dicta *tr.* 10. *n.* 55 et 117.

71. Quæritur 7. a quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore jubilæi? Communis est sententia, cum Suar. Laym Vasq. Spor. Viva, etc., facultatem in jubilæo concessam absolvendi a papalibus, intelligi etiam de episcopalibus; et licet hæretici non possint absolvi, possunt tamen absolvi eorum fautores, et ii qui legunt vel imprimunt libros de hæresi tractantes, et etiam blasphemi hæreticales: ita Lug. Sanch. Bos. Suar. Viva, Croix, etc., quia talia peccata non sunt proprie hæresis formalis (3). Possunt etiam absolvi publici clericorum percussores, et alii nominatim excommunicati, vel suspensi: sed circa censuras nominatim inflictas ab homine, declaravit Papa ab istis posse absolvi tantum ad effectum indulgentias consequendi (4). Et quoad irregularitates, dixit quod præscindendo a quæstione, an irregularitates ex delicto habeant rationem censuræ sive pœnæ, super illis dispensari possit tantum, quæ ob censuræ violationem incursæ sunt (5).

72. Loquendo de jubilæo anni sancti, præcipue notandum est 1. quod eo tempore omnes indulgentiæ pro vivis suscipiuntur; non autem pro defunctis, et pro constitutis in mortis articulo, ut apparet ex Decreto Urbani VIII. apud Busemb. nec indulgentiæ concessæ particularibus ab aliis quam a Papa. Notandum 2. quod in anno sancto suspenditur etiam facultas absolvendi a casibus papalibus, et dispensandi a votis, etc., concessa in ordine ad lucrandum indulgentiam plenariam. Sed non suspenditur facultas data Episcopis a Trident. in *cap.* 5. *Liceat, sess.* 24.; nec facultas dispensandi super impedimentis matrimonii, aut petendi debitum, etc., quæ facultates Episcopis competunt de jure communi; ita Busemb. cum Zerol. et Quint. (6). Addit Busem. cum Sanch. et aliis, nec suspendi facultates Regularibus concessas vi suorum privilegiorum absolvendi a reservatis, etc.; sed Benedictus XIV. in cit. Constit. declaravit oppositum, dicens suspendi om-

(1) lb. quær 6. — (2) lb. quær. 7.

(3) l. 6. n. 537. quær. 8. — (4) ibid. v. sed hic dubit. 1. — (5) ib. dubit. 2. — (6) n. 535. resp. 2.

nes facultates tam ad effectum indulgentiarum, quam ob alias causas (1). Idem declaravit ibidem quod per verbum *incolæ* intelliguntur morantes in urbe Romæ, animo ibi per majorem anni partem morandi.

CAPUT V.

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

73. Minister Sacram. Pœnitentiæ nullus alius quam sacerdos esse potest, nam solis sacerdotibus data fuit peccata remittendi potestas : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc. Joan.* 20. 22. 23. Et quod dicit s. Th. post sententiarum magistrum, nempe quod in necessitate debeat pœnitens cui potest, etiam non sacerdoti, confiteri, quia tunc supplet Deus, intelligitur, ut explicant alii dd., non de præcepto, sed ut tali actu humilitatis excitetur ad contritionem, aut ut solamen, aut consilium recipiat. Dicunt dumtaxat multi cum s. Antonin. Panorm. Ledesm. Sanch., etc., quod in mortis articulo, si desit sacerdos, possunt clerici absolvere a censuris, ne infirmus sepultura, et suffragiis careat ; sed probabilius id negant Lug. Laym. Castrop. Salmant., etc., quia hoc nunquam in Ecclesia fuit in usu : tanto magis quod juxta Rit. si excommunicatus cum pœnitentiæ signis decesserit, potest absolvi ejus cadaver ab habente facultatem. Ad hoc autem, ut sacerdos valide hoc Sacramentum ministrare possit, præter Ordinis potestatem requiritur, ut habeat ab Ecclesia jurisdictionis potestatem, et juxta Trid. etiam Episcopi approbationem. Hoc tamen non currit pro Regularibus ; dum hi confiteri possunt cuicumque sacerdoti, etiam non approbato, modo a Prælato suo eis concedatur Monialibus exceptis, quæ, licet exemptæ, sicut statuit Greg. XV., non possunt confiteri, nisi sacerdotibus approbatis pro ipsis ab Ordinario loci (2).

(1) n. 536. ad 6. — (2) l. 6. n. 539. et seq.

PUNCTUM I.

DE APPROBATIONE CONFESSARII.

74. *Necessitas approbationis Non est necessarium examen.*
75. *Si approbatio injuste revocatur. An successor possit ad examen revocare. etc.*
76. *An sacerdos simplex possit absolvere a venialibus.*
77. *An parochus possit sibi adsciscere parochum alterius diœcesis.*
78. *An ejusdem diœcesis.*
79. *Quinam Episcopus approbare potest.*
80. *An regulares approbati in una diœcesi, etc.*

74. Approbatio non est jam jurisdictionis collatio, sed est judicium a Trident. requisitum de sacerdotis habilitate ad jurisdictionem recipiendam. Super hoc notanda sunt 1. quod licet peccaret Episcopus, qui injuste approbationem alicui negaret, nihilominus sine hac nemo potest confessiones audire, uti constat ex propositione 13. damnata ab Alexand. VII. quæ dicebat : *Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Et in quantum ad Regularium privilegia quæ opponuntur, respondent. Salm. privilegia loqui, cum ipsis negata est injuste jurisdictio, non autem approbatio (3). 2. Ad approbationem non requiri necessario examen, sed sufficere prudens Episcopi judicium de habilitate sacerdotis; ita Laym. Coninch. et Busemb. Dicunt item Salmant. quod licet Prælatus interne aliquem reprobaret, tamen approbaret eum externe, hoc sufficeret ad e. conferendam jurisdictionem (4). Notandum 3. quod Episcopus potest hanc dare approbationem etiam per alios, nam hic est actus non Ordinis, sed jurisdictionis (5).

75. Notandum 4. approbationem posse limitari quoad personas et tempus et locum. Si autem data esset

(3) n. 546. — (4) n. 545. — (5). n. 550. v. 3. episc.

absolute, non dubitatur quin peccaret Episcopus, si justa non existente causa eam revocaret. Dubium restat an talis revocatio injusta non solum esset illicita, sed etiam invalida ? Alii negant ; sed affirmant Suar. Lugo Castrop. Conc. Salm., etc., dicendo quod sine justa causa non potest privari confessarius jure suo jam acquisito. Cæterum recte advertit Lugo, quod in dubio revocatio præsumi debet justa ; et hoc posito, sententia præfata difficulter potest deduci in praxim, dum Episcopo in revocanda approbatione multæ possunt esse causæ, quæ confessario ignotæ sunt (1). Notandum 5. Episcopum successorem ex juxta causa ad examen revocare posse omnes confessarios approbatos a prædecessore, etiam parochos, modo vehemens eorum imperitiæ adsit suspicio, ut decrevit S. C. 15. Jan. 1667. (2): et etiam mendicantes, ut recte dicunt (contra aliquos) Suar. et Lugo ; et super hoc refert Cabas. Alexand. VII 30. Jan. 1656. in causa Episcopi Andegav. quæ cum diversis Ordinibus regularibus agebatur, damnasse ut erroneam hanc propositionem : *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Et præterea refert decisum fuisse in Concilio status Galliæ Episcopum non teneri reddere rationem revocationis approbationum (3). Notetur hic insuper S. Pium V. in Constitut. Romani Pontificis, dixisse quod regulares approbati ab Episcopo prædecessore, *ab Episcopo successore examinari de novo poterunt, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari.* Hinc inferunt multi aa. ut Silv. Mirand. Fagund. Cespida Nicolius, et alii apud Ferraris, Vicarium Capitularem non posse auferre facultatem Regularibus ab Episcopo approbatis, nec ad examen revocare,

(1) N. 551. — (2) apud Lambert. notif. 9. n. 16. — (3) l. 6. n. 552.

modo approbatio ab Episcopo data non esset cum clausula, *Ad beneplacitum nostrum* ; tunc enim morte Episcopi expirat. Nunc restant hic discutienda 4. dubia.

76. Dubitatur 1. an confessiones venialium factæ sacerdoti simplici sint illicitæ ac invalidæ ? Quod sint illicitæ hodie in dubium revocari nequit post Decr. Innoc. XI. apud Bonac. (4) 12. febr. 1679. in quo non solum præceptum fuit Episcopis : *Ne permittant, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo* ; Sed præterea hoc vetitum fuit ipsis sacerdotibus, cum ibi dicatur : *Si quicumque sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem reddituros.* Dubium ergo restat, an hujusmodi confessiones sint etiam invalidæ ? Communissima est sententia quæ negat ; sed cum valde probabile sit talem facultatem non habere sacerdotes simplices directe a Jesu Christo (ut dicunt alii), sed ab Ecclesia, ut tenent Suar. Lugo Bonac. Conc. Ronc., etc., puto valde probabile esse cum p. Conc. Platel., etc., tales confessiones post Decr. Innoc. XI. hodie esse etiam nullas ; nam non præsumitur Eeclesia velle jurisdictionem conferre eis, quibus expresse illa talis jurisdictionis prohibet usum (5).

77. Dubitatur 2. an parochus possit adsciscere parochos alterius diœcesis ad audiendas confessiones in sua ecclesia ? Affirmant Castr. Suar. Vasq. Lug. Wigandt, Conc. Bonac., etc., dicendo quod parochus in collatione parochiæ approbatur pro tota Ecclesia, ex eo quod dicit Trident. (*sess* 23. *cap.* 15.) : *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat.* Ex quo inferunt omnem parochum approbationem universalem pro tota Ecclesia accipere. Sed probabilius hoc negant Laym. Barb. Piasec. Garc. Croix, etc. cum Lamb.

(4) Bonac. t. 1. d. 5. q. 7. p. 2. — (5) l. 6. n. 543. v. quær.

nes facultates tam ad effectum indulgentiarum, quam ob alias causas (1). Idem declaravit ibidem quod per verbum *incolæ* intelliguntur morantes in urbe Romæ, animo ibi per majorem anni partem morandi.

CAPUT V.

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

73. Minister Sacram. Pœnitentiæ nullus alius quam sacerdos esse potest, nam solis sacerdotibus data fuit peccata remittendi potestas : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc. Joan.* 20. 22. 23. Et quod dicit s. Th. post sententiarum magistrum, nempe quod in necessitate debeat pœnitens cui potest, etiam non sacerdoti, confiteri, quia tunc supplet Deus, intelligitur, ut explicant alii dd., non de præcepto, sed ut tali actu humilitatis excitetur ad contritionem, aut ut solamen, aut consilium recipiat. Dicunt dumtaxat multi cum s. Antonin. Panorm. Ledesm. Sanch., etc., quod in mortis articulo, si desit sacerdos, possunt clerici absolvere a censuris, ne infirmus sepultura, et suffragiis careat ; sed probabilius id negant Lug. Laym. Castrop. Salmant., etc., quia hoc nunquam in Ecclesia fuit in usu : tanto magis quod juxta Rit. si excommunicatus cum pœnitentiæ signis decesserit, potest absolvi ejus cadaver ab habente facultatem. Ad hoc autem, ut sacerdos valide hoc Sacramentum ministrare possit, præter Ordinis potestatem requiritur, ut habeat ab Ecclesia jurisdictionis potestatem, et juxta Trid. etiam Episcopi approbationem. Hoc tamen non currit pro Regularibus ; dum hi confiteri possunt cuicumque sacerdoti, etiam non approbato, modo a Prælato suo eis concedatur Monialibus exceptis, quæ, licet exemptæ, sicut statuit Greg. XV., non possunt confiteri, nisi sacerdotibus approbatis pro ipsis ab Ordinario loci (2).

(1) n. 536. ad 6. — (2) l. 6. n. 539. et seq.

PUNCTUM I.

DE APPROBATIONE CONFESSARII.

74. *Necessitas approbationis Non est necessarium examen.*
75. *Si approbatio injuste revocatur. An successor possit ad examen revocare. etc.*
76. *An sacerdos simplex possit absolvere a venialibus.*
77. *An parochus possit sibi adsciscere parochum alterius diœcesis.*
78. *An ejusdem diœcesis.*
79. *Quinam Episcopus approbare potest.*
80. *An regulares approbati in una diœcesi, etc.*

74. Approbatio non est jam jurisdictionis collatio, sed est judicium a Trident. requisitum de sacerdotis habilitate ad jurisdictionem recipiendam. Super hoc notanda sunt 1. quod licet peccaret Episcopus, qui injuste approbationem alicui negaret, nihilominus sine hac nemo potest confessiones audire, uti constat ex propositione 13. damnata ab Alexand. VII. quæ dicebat : *Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Et in quantum ad Regularium privilegia quæ opponuntur, respondent. Salm. privilegia loqui, cum ipsis negata est injuste jurisdictio, non autem approbatio (3). 2. Ad approbationem non requiri necessario examen, sed sufficere prudens Episcopi judicium de habilitate sacerdotis; ita Laym. Coninch. et Busemb. Dicunt item Salmant. quod licet Prælatus interne aliquem reprobaret, tamen approbaret eum externe, hoc sufficeret ad e. conferendam jurisdictionem (4). Notandum 3. quod Episcopus potest hanc dare approbationem etiam per alios, nam hic est actus non Ordinis, sed jurisdictionis (5).

75. Notandum 4. approbationem posse limitari quoad personas et tempus et locum. Si autem data esset

(3) n. 546. — (4) n. 545. — (5). n. 550. v. 3. episc.

absolute, non dubitatur quin peccaret Episcopus, si justa non existente causa eam revocaret. Dubium restat an talis revocatio injusta non solum esset illicita, sed etiam invalida ? Alii negant ; sed affirmant Suar. Lugo Castrop. Conc. Salm., etc., dicendo quod sine justa causa non potest privari confessarius jure suo jam acquisito. Cæterum recte advertit Lugo, quod in dubio revocatio præsumi debet justa ; et hoc posito, sententia præfata difficulter potest deduci in praxim, dum Episcopo in revocanda approbatione multæ possunt esse causæ, quæ confessario ignotæ sunt (1). Notandum 5. Episcopum successorem ex juxta causa ad examen revocare posse omnes confessarios approbatos a prædecessore, etiam parochos, modo vehemens eorum imperitiæ adsit suspicio, ut decrevit S. C. 15. Jan. 1667. (2): et etiam mendicantes, ut recte dicunt (contra aliquos) Suar. et Lugo ; et super hoc refert Cabas. Alexand. VII 30. Jan. 1656. in causa Episcopi Andegav. quæ cum diversis Ordinibus regularibus agebatur, damnasse ut erroneam hanc propositionem : *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Et præterea refert decisum fuisse in Concilio status Galliæ Episcopum non teneri reddere rationem revocationis approbationum (3). Notetur hic insuper S. Pium V. in Constitut. Romani Pontificis, dixisse quod regulares approbati ab Episcopo prædecessore, *ab Episcopo successore examinari de novo poterunt, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari.* Hinc inferunt multi aa. ut Silv. Mirand. Fagund. Cespida Nicolius, et alii apud Ferraris, Vicarium Capitularem non posse auferre facultatem Regularibus ab Episcopo approbatis, nec ad examen revocare,

(1) N. 551. — (2) apud Lambert. notif. 9. n. 16. — (3) l. 6. n. 552.

modo approbatio ab Episcopo data non esset cum clausula, *Ad beneplacitum nostrum* ; tunc enim morte Episcopi expirat. Nunc restant hic discutienda 4. dubia.

76. Dubitatur 1. an confessiones venialium factæ sacerdoti simplici sint illicitæ ac invalidæ ? Quod sint illicitæ hodie in dubium revocari nequit post Decr. Innoc. XI. apud Bonac. (4) 12. febr. 1679. in quo non solum præceptum fuit Episcopis : *Ne permittant, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo* ; Sed præterea hoc vetitum fuit ipsis sacerdotibus, cum ibi dicatur : *Si quicumque sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem reddituros.* Dubium ergo restat, an hujusmodi confessiones sint etiam invalidæ ? Communissima est sententia quæ negat ; sed cum valde probabile sit talem facultatem non habere sacerdotes simplices directe a Jesu Christo (ut dicunt alii), sed ab Ecclesia, ut tenent Suar. Lugo Bonac. Conc. Ronc., etc., puto valde probabile esse cum p. Conc. Platel., etc., tales confessiones post Decr. Innoc. XI. hodie esse etiam nullas ; nam non præsumitur Eeclesia velle jurisdictionem conferre eis, quibus expresse illa talis jurisdictionis prohibet usum (5).

77. Dubitatur 2. an parochus possit adsciscere parochos alterius diœcesis ad audiendas confessiones in sua ecclesia ? Affirmant Castr. Suar. Vasq. Lug. Wigandt, Conc. Bonac., etc., dicendo quod parochus in collatione parochiæ approbatur pro tota Ecclesia, ex eo quod dicit Trident. (*sess* 23. *cap.* 15.) : *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat.* Ex quo inferunt omnem parochum approbationem universalem pro tota Ecclesia accipere. Sed probabilius hoc negant Laym. Barb. Piasec. Garc. Croix, etc. cum Lamb.

(4) Bonac. t. 1. d. 5. q. 7. p. 2. — (5) l. 6. n. 543. v. quær.

(1), nam per verba aliata non intellexit Concil. dare parochis approbationem universalem, sed tantum declaravit quemlibet parochum, collata sibi cura, sine alia approbatione approbatum remanere a Concilii dispositione ; non autem ab Ecclesia, et pro tota Ecclesia sed a suo Episcopo et juxta ejus voluntatem, ut confessiones suarum ovium audiat. Et super hoc adsunt plures declarationes S. C. (2). Advertendum hic obiter parochum, qui a cura se abdicavit, non posse confessiones audire sine speciali Episcopi approbatione (3).

78. Dubitatur 3. an parochus possit sibi adsciscere alium parochum alterius parochiæ, sed ejusdem diœcesis ? Affirmant communius, præter citatos dd. Castropal., Croix, et Mazz. ; sed probabiliter hoc etiam negant Barbosa cum Piasec. Homob. et cum altera declaratione S. C. Et ratio est, cum probabilius sit, ut dictum est, parochum non approbari ab Ecclesia universali, sed ut dictum est, a suo Episcopo, et pro ejus voluntate, quoties nescit Episcopum voluntatem habuisse, se pro tota diœcesi approbandi, ille non potest, confessiones audire, nisi tantum in sua parochia ; dum facile esse potest quod Episcopus eum idoneum judicaverit pro uno, et non pro alio loco ; nempe pro oppido, et non pro civitate. Recte tamen dicunt Bonac. Cler. et Lambert. (4) sententiam oppositam bene practicari posse ubi sic fert usus ; imo Wigandt absolute id admittit, quia dicit talem esse consuetudinem multarum diœcesium.

79. Dubitatur 4. a quonam Episcopo obtinenda sit approbatio ? Sub nomine Episcopi venit quilibet alius Prælatus jurisdictione episcopali gaudens, ut gaudent nonnulli Abbates, et capitula Sedibus vacantibus. Venit etiam Episcopus confirmatus, licet non consecratus, sed non qui tantum est electus, aut si Episcopatu se abdicavit. Leg. Salm. et Croix (5). Sed quod magis refert, est ut sciatur quinam intelligatur pro Episcopo proprio, a quo approbatio impertienda est? Alii intelligunt ordinarium pœnitentis, alii ordinarium sacerdotis ; sed hodie (quicquid dicat Mazzotta) procul dubio intelligendus est ordinarius loci ubi confessiones audiuntur ex Bulla, *Cum sicut*, Innocent. XII. 19. aprilis 1700. relata per extensum a Salmant. (6) (et confirmata Benedicto XIV. in Bulla *Apostolica indulta*, dat. 5. aug. 1744.) ubi declaratum fuit, *quosvis confessarios non posse audire confessiones sæcularium in vim Bullæ* Cruciatæ *sine approbatione Ordinarii loci ; secus* (dixit) *invalide sunt confessiones, et confessarii suspensi ;* et concludit his verbis : *Reprobata tanquam falsa et temeraria quacumque contraria opinione*. Hoc non obstante p. Mazzotta sustinere contendit improbabilem non esse priorem opinionem, nempe intelligi etiam ordinarium pœnitentis, dicendo Bullam Innocentii probabiliter intelligi tantum pro iis confessariis, qui absolvunt contra voluntatem suorum Ordinariorum. Sed nescio quomodo hæc interpretatio locum habere possit, dum expresse Bulla dicit, nullas esse confessiones, quæ fiunt *sine approbatione Ordinarii loci, in quo ipsi pœnitentes degunt*. Et si hoc currit pro iis qui privilegio gaudent *Cruciatæ*, tanto magis valebit pro eo qui nullo fruitur privilegio. et ita mecum sentiunt Ronc. et Salm. qui scripserunt post Bullam Innoc. se revocando ab eo quod prius docuerant in *Tract de Pœnitent.* (7). Dicunt tamen Salm. hoc currere pro iis, qui privilegio *Cruciatæ* donati sunt, non autem jubilæi, aut hujusmodi, sed Benedictus XIV. in alia Bulla *Benedictus Deus* data 25. dec. 1750. §. 4. declaravit etiam in

(1) Notif. 86. n. 7. — (2) l. 6. n. 544. hic dubit. 1. — (3) n. 542. v. 2. etiam. — (4) Notif 86. n. 13.

(5) l. 6. n. 547. — (6) tract. 18. de privil. c. 4. n. 80. — (7) l. 6. n. 548. v. tertia sentent.

jubilæo Seculares alium non posse eligere sibi confessarium quam a loci Ordinario approbatum et Moniales non alium quam approbatum pro Monialibus (1). Advertendum contra valde probabile esse cum Croix et Salm. (qui hanc sententiam, ut communem habent) parochum posse ubique locorum confessiones suorum subditorum audire. Et circa hoc adest declarat. S. C. (2).

80. Quoad Regulares autem ante Innoc. XII. declaraverat Innoc. X. suo Brevi (3). Regulares etiam exemptos, qui confessiones secularium audire cupiunt, approbandos esse ab Ordinario loci : *Regulares in una diœcesi approbatos non posse in alia confessiones audire, sine approbatione Episcopi illius*, sunt verba Brevis, quod postea confirmatum fuit ab Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici Ministerii*, et deinde in quadam alia Bulla a Benedicto XIII. (4).

PUNCTUM II.

DE JURISDICTIONE CONFESSARII.

81. *Quisnam habet jurisdictionem ordinariam, et quisnam delegatam.*
82. *An delegata spiret morte, etc. Si habetur a principe aut ad causarum universitatem.*
83. *De consensu præsumpto Episcopi.*
84. *Qui absolvit cum jurisdictione dubia.*
85. *Quis potest sibi eligere confessarium.*
86. *Quilibet potest confiteri approbato.*
87. *Cuinam confiteri possunt peregrini.*
88. *Cuinam Religiosi.*
89. *Cui Moniales.*
90. *De titulo colorato, et de errore communi.*
91. *De jurisdictione probabili.*
92. *An excommunicati, etc. possint absolvere moribundos.*
93. *An sacerdotes simplices coram approbatis.*
94. *Casus excepti.*
95. *De confessario complice in peccato turpi.*
96. *An confessarii simplices coram Superiore possint absolvere etc.*
97. *An a casibus papalibus.*
98. *An moribundus teneatur per litteras facultatem petere a Superiore.*

(1) Ibid. — (2) n. 548. v. quær. — (3) Ap. Salm. tr. 6. de Pœnit. c. 11. n. 93. — (4) l. 6. n. 549.

81. Jam dictum est alteram esse potestatem Ordinis, quam circa peccatorum absolutionem recipit quilibet sacerdos a Jesu Christo, cum sacerdotio initiatur : alteram potestatem jurisdictionis, quæ ei ab Ecclesia confertur, ut exerceat Ordinis potestatem erga subditos suos super quos Ecclesia auctoritatem ei concedit. Hæc autem potestas jurisdictionis altera est ordinaria, altera delegata. *Ordinaria* est illa quam habent omnes pastores, ut sunt Papa, Episcopi, Archiepiscopi (cum visitant subditos Suffraganeorum suorum), parochi, et Prælati Religionum. De vicariis generalibus Episcoporum dubitarunt nonnulli aa., an ipsi habeant jurisdictionem ordinariam in foro sacramentali, adeo ut possint confessiones excipere, et aliis facultatem dare, dicendo eorum potestatem esse tantum circa causas fori externi. Sed affirmat sententia communissima, et verior, cum Fagnan. Hostien. Nav. Azor. Silv. Sanch. Bos. Salm. et aliis, quia vicarii habent talem jurisdictionem non jam ab Episcopo, sed a Canone, sive a lege, dum ipsi cum Episcopis unum constituunt tribunal, ut apparet ex *cap. 2. de Consuet. in* 6. et *cap. Romana, de Appellat. in* 6. (5). *Delegata* autem est illa quæ concedilur ab iis qui habent ordinariam ut a Papa qui pro tota Ecclesia concedere potest, ab Episcopis pro sua diœcesi, a Prælatis pro suis ordinibus, et a parochis pro suis parochiis. Papa delegare potest facultatem contra consensum Episcoporum et aliorum Prælatorum, et Episcopi et Prælati contra consensum parochorum et inferiorum Prælatorum, sed non e converso (6).

82. Notandum 1. jurisdictionem externam terminari morte concedentis, non autem internam, ut dicit Busemb.

(5) l. 6. n. 557. et 558. — (6) ibid. v. delegata.

cum aliis ; sed melius distinguunt Sanch. et Salm. dicendo hoc currere cum delegatio est generalis (sive sit a Papa, aut ab Episcopo) ; secus autem cum est particularis pro particulari casu aut persona (1). Notandum 2. quod delegatus non potest subdelegare, nisi id sibi expresse concessum est. Excipitur 1. si quis esset delegatus a principe ; sed hoc intelligitur, ut explicant Laym. et Castr. (2), cum talis delegatio facta est ab cui pro officio, non autem cum electa est persona intuitu peritiæ suæ, aut cum ei commissa est alicujus causæ expeditio. 2. Si quis est delegatus ad causarum universitatem, licet non a principe ; sed in hoc pariter distinguere oportet cum Laym. (3), duobus modis posse alicui delegari jurisdictionem ad causarum universitatem. Primo cum ei committitur aliquod officium cui annexa est jurisdictio, et hoc etiam, licet officium non sit proprium, sed vicarii, verbi gratia, viceparochi, aut vicerectoris, in locum parochi absentis, aut non adhuc sacerdotis. Talis vicarius utique potest jurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una aut altera causa, ut communiter dicunt dd., quia huic non solum commissum est parochi exercitium, sed etiam officium, cui officio non solum competit solus usus, sed etiam jurisdictionis delegatio ; ita Laym. Castr. Sanch. Coninch. Silv. et alii cum s. Thoma (4) qui dicit : *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem*. Secundo cum alicui delegata est, non officium, sed jurisdictio tanquam privilegium perpetuum officio suo, aut jurisdictioni annexum, quia tunc talis jurisdictio judicatur tanquam ordinaria, prout est facultas *can.* 6. *Liceat* concessa Episcopis a Trident. *Sess.* 24. Dicunt autem Rod. Beja et Viva, cum Navar. Peirin. Naldo, Bord., etc. quod si Episcopus dat facultatem alicui confessario absolvendi ab omnibus reservatis, posset hic subdelegare talem facultatem alteri in aliquo particulari casu ; sed melius Laym. et Castrop. cum Coninch. hoc admittunt, si talis facultas concessa est ratione officii ; v. g. parochi, aut viceparochi, ut superius dictum est, non autem cum alicui ratione suæ peritiæ, aut probitatis concessa est ; nam facultas subdelegandi competit tantum illi cui committitur officium, non autem cui committitur solus usus exercitii jurisdictionis (5).

83. Notandum 3. ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum non sufficere internum Episcopi consensum, nec præsumptum de futuro, sive sit ratihabitio, nempe quod si sciret, utique assentiretur ; quia talis voluntas interpretativa non sufficit ad conferendam pro tempore præsenti jurisdictionem. Sed sufficit contra consensus præsumptus de præsenti, signis externis patefactus, ut esset si quis, Episcopo præsente, et non contradicente, confessiones audiret (6).

84. Notandum 4. peccare sacerdotem qui absolveret ex dubia jurisdictione. Sed excipiunt casus in quibus urgeret aliqua necessitas, ut esset (sicut dicunt Elbel, Bus. Bolzm. etc.) : 1. si adesset periculum mortis. 2. Si pœnitens deberet satisfacere præcepto annuæ confessionis, et non adesset confessarius qui haberet jurisdictionem certam. 3. Si pœnitens celebrare deberet ; aut communicare, et secus incurreret infamiæ notam, aut, addunt Salm., si sacerdos deberet ex obligatione eo die celebrare. Sed in hoc advertere oportet quod dictum est *Tract. præcedenti num.* 34., quia si quis certus esset de peccato mortali, et non esset certus de contritione, in tali casu recipiendo absolutionem dubiam, non posset communicare ; tunc enim possideret præceptum de se probando, quod impor-

(1) n. 559. — (2) Laym. de pœnit. c. 10. n. 14. et Castr. eod. tit. d. un. p. 13. n. 15. — (3) loc. cit. n. 12. v. duobus — (4) quodlib. 12. a. 31.

(5) l. 6. n. 566. — (6) n. 570.

tat absolutionem certam, non vero dubiam. Cæterum in casibus allatis dicunt aa. citati posse confessarium conditionatam dare absolutionem, *si possum*. Advertunt Suar. Conc. Reg. et Busemb. expedire tunc quod pœnitens se accuset de aliquo peccato veniali, ut directe ab illo absolvatur, et indirecte ab aliis (1).

85. Notandum 5. Possunt sibi eligere confessarium ratione suorum privilegiorum, 1. Reges, et principes (nempe qui supremo gaudent dominio). 2. Pontificis domestici (2). 3. Episcopi, etiamsi tutelares sint, ut dicit Busemb. Sed in hoc animadverti debet olim ex *cap. fin de Pœnit.* tam Episcopos quam Superiores regulares, ac etiam Prælatos minores exemptos (intelliguntur Prælati rom. Curiæ et Superiores regulares locales) potuisse sibi in confessarium eligere quemlibet sacerdotem ; nihilominus S. C. declaravit, ut refert Fagnan., quod Episcopi confiteri nequeunt, nisi approbatis ab Ordinariis domicilii ipsorum sacerdotum, sicut explicat Card. de Lugo, et hoc confirmatum fuit a Gregorio XIII. 1. decemb. 1532. ut refert Fagnan. et Pitton. (3). Concessum est tamen Episcopis secum conducere confessarium jam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena diœcesi. Et idem currit pro Cardinalibus, qui præterea Romæ degentes possunt sibi et familiæ suæ confessarium eligere, et eum quocumque eunt, conducere. Quoad parochos autem damnata fuit ab Alexandr. VII. prop. 16. quæ dicebat, ecs cuicumque sacerdoti confiteri posse (4). Loquendo communiter de aliis, dixerunt nonnulli aa. posse aliquem confiteri simplici sacerdoti, si approbatus esset indoctus, aut incurreret periculum gravis damni, si confiteretur approbato, aut si ille nollet ejus audire confessionem ; sed omnes istæ opiniones communiter refelluntur (5). Notandum etiam hic capellanos castrorum non posse milites in stationibus commorantes absolvere sine Pontificis facultate, aut sine Ordinarii licentia, ut pluries declaravit S. C. (6).

86. Notandum 6. hodie certum esse (quicquid olim erat in usu) cuilibet sæculari licere confiteri cuicumque confessario approbato, etiam contradicente parocho, et etiam pro adimplendo præcepto annuæ confessionis. Nec obstat quod dixit Joannes Launojus, confessionem præceptam juxta Concil. Later. in *cap. Omnis, de Pœn. et remis.* faciendam esse proprio parocho, cum ibi dicatur, *confiteatur proprio sacerdoti*, dum pro sacerdote *proprio*, ut declaravit Clemens VIII. et Clemens X. in Bulla *Suprema* (7), intelligitur de quocumque confessario approbato ; et Joan. XXII. in Extrav. *Vas electionis*, damnavit Joan. Poliacum, qui docuerat nullas fuisse confessiones proprio parocho non factas (8).

87. Notandum 7. certum etiam et commune esse hodie apud dd., ut docent Castrop. Vasq. Suarez, Conc. Lugo, Bonac. Salm., etc., peregrinos ratione conniventiæ Episcoporum, sive melius ex consuetudine universali, posse confiteri cuicumque confessario approbato pro loco ubi illi reperiuntur ; et talis consuetudo currit, etiamsi peregrinus proficiscatur e patria fine alibi confitendi, ut dicunt Pontius Fill. Renzi Tambur. Mazz., etc. (9) : vetitum fuit a Clemente X. dumtaxat in alienam diœcesim proficisci in fraudem reservationis ; de quo in seq. *cap.* 7. *num.* 135 *et* 136.

88. Notandum 8. Religiosos sine licentia Prælatorum suorum non posse aliis sacerdotibus extra ordinem suum confiteri, ex privilegio quo gaudent ordines dato ab Innoc. IV, et aliis Pontificibus ; et novissime concessum etiam fuit a Bened. XIV. per

(1) n. 571. — (2) n. 565. — (3) in dubit. hic 1. — (4) ib. dubit. 2. — (5) n. 568.

(6) Apud Zacch. ad Croix l. 6. p. 2. n. 1518. — (7) apud Lambert. notif 18 n. 7. — (8) l. 6. n. 564. v. ex conces. et n. 574. — (9) n. 569. v. communiter.

Brev. *Quod communi*, 30. mart 1742. Capuccinis, quibus vi suarum regularum vetitum erat confiteri aliis ; sed hi non possunt confiteri nisi approbatis ab Ordinariis loci, vel Regularibus approbatis a Superioribus regularibus. Sed loquendo de Religiosis peregrinantibus, advertendum quod hi, si socium sui ordinis habent, modo ille sit idoneus, huic confiteri debent. Si autem deesset socius, aut alius sacerdos idoneus sui ordinis, confiteri possunt cuilibet idoneo sacerdoti regulari aut seculari. Hoc totum commune est apud dd. Laym. Ronc. Salm. Tamb. Croix etc., et certum est ex verbis Innoc. VIII. mox referendis. Dubium restat an confiteri debeant sacerdoti approbato ? ita volunt Wigandt Conc. Antoine, cum aliis paucioribus ; sed communissima et verior est sententia opposita, quæ id negat cum Suarez Escob. Castrop. Ronc. Bordon. Salm. Mazzot Rodr. Tamb. etc. (exceptis Cappuccinis qui, ut paulo antedictum est, ex Bulla Bened. XIV. debent confiteri approbatis). Et id probatur perspicue ex concessionibus Sixti IV. et clarius Innoc. VIII. qui sic dicit : *Nos igitur fratribus hujusmodi quos itinerari et per eorum superiores mitti contigerit, ut si aliquem presbyterum idoneum ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcumque presbyterum idoneum religiosum vel secularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire licite possit.* Et recte dicunt Salm. cum s. Antonin. Soto et Silv. quod per to *quemcumque alium presbyterum* intelligitur quicumque sacerdos simplex idoneus ; nam hæc præsumitur etiam esse voluntas Prælatorum in danda suis subditus licentia foras proficiscendi, juxta communem consuetudinem (1). Advertit tamen Bus. hoc intelligi pro non reservatis (2).

89 Circa autem confessiones Monialium plura hic notanda sunt : I. Confessarii Monialium indigent speciali electione, aut saltem approbatione Episcopi loci, licet Moniales sint exemptæ, et subjectæ Regularibus, ex Bulla Gregor. XV. *Inscrutabilis*, et ex Bulla Innoc. XIII. *Apostolici*, confirmatis a Bened. XIII. in Bulla Pastoralis ; et hoc etiam pro confessione venialium, ut declaravit S. C. II. Elapso triennio hujusmodi confessarii suspensi remanent, nisi accedat licentia S. C. ut etiam declaravit S. C., et hoc etiam currit pro confessariis conservatoriorum. Si autem confessarius destinatus esset pro supplemento, probabiliter dicit p. de Alex. Tianen. cum aliis, quod potest confirmari pro alio triennio : quia ista prohibitio, prout odiosa, stricte sumenda est de electione ordinaria. Notat insuper præfatus auctor, quod alicubi ob confessariorum idoneorum deficientiam permittunt Episcopi illos ultra triennium pergere ad earum confessiones audiendas : advertit item Bord. quod licite possint aliquando Moniales respuere confessarium designatum, si justa accedit causa, v. g. si confessarius nimio rigore vir esset, aut suorum propinquorum inimicus, etc. III. Ob diversa Decreta S. C. apud p. de Alex. nequeunt esse Monialium confessarii 1. Vicarii generales. 2. Parochi, cum cura notabiliter paterretur detrimentum 3. Regulares. 4. Canonici Pœnitentiarii. Probabiliter tamen dicit præfatus auctor de Alex. permissum esse Episcopo hos eligere, si ita expedire judicaret. IV. Episcopi et Regularium Prælati tenentur bis aut ter in anno exhibere Monialibus sibi subjectis confessarium extraordinarium; ut præcipue statuit Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici ministerii*, extensa a Benedicto XIII. ad totum christianum orbem, et ut novissime confirmavit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis*, 5. Augusti 1748. Dicit Bus. cum Quintanad. Moniales, si eis non exhibetur extraordinarius, posse sibi eligere confessarium, et

(1) n. 575. — (2) n. 574. in fin.

citat quamdam declarationem S. C. apud Barbos. ; sed hæc opinio merito rejicitur a p. de Alex. tanto magis quod hodie præfatus Benedictus declaravit in allata Bulla, quod Moniales, tam claustrales quam conservatoriorum, si extraordinarium non obtinent, possunt ad Pœnitentiarium majorem recurrere, qui eis illum assignare debebit. Insuper præcipitur in dicta Bulla *Pastoralis*, quod quælibet Monialis, licet confiteri nolit, teneatur saltem se præsentare ad extraordinarium. Præterea ibi præcipitur, ut in mortis articulo cuilibet moniali concedatur confessarius particularis, si eum illa expostulat ; et si Monasterium est exemptum, et Prælatus regularis illum non concedit, cum assignet Episcopus ; et cum Episcopus nec eum designaret, recurratur ad Pœnitentiarium majorem. Insuper ibi disponitur quod si qua Monialis recusabit ordinario confessario confiteri, Episcopus pro certis vicibus ei deputet alium (et in hoc Papa hortatur Episcopos, ne difficiles sint aliquando concedere dictos extraordinarios illis qui efflagitant). Et si monasterium est exemptum, deputetur a Prælato regulari ; et cum ille recusaret, concedatur ab Episcopo, et ipso negligente, concedatur a Pœnitentiario majori. Denique præcipitur ut Prælati regulares bis aut ter in anno assignent Monialibus sibi subjectis confessarium extraordinarium ex approbatis ab Episcopo pro Monialibus, qui (nota) saltem semel sit secularis aut alterius ordinis : secus eum eligat Episcopus; et Papa præcipit ut eo tempore omnino sit prohibitum ordinario confessiones alicujus audire, ne Abbatissæ quidem, aut novitiarum (1).

90. Restant nunc discutienda multa dubia. Quæritur I. an in errore communi suppleat Ecclesia jurisdictionem quæ deest confessario ? Si error communis est adjunctus cum titulo colorato, sive putativo, certum est apud omnes Ecclesiam supplere ; ita Sot. Navar. Cajet. Sanch. Cardenas Concin. Antoine, etc., et probatur ex lege *Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* et ex *cap. Infamis* 3. *q.* 7. Ratio est, quia alias multæ animæ perirent, ideoque rationabiliter præsumitur Ecclesia supplere; advertit tamen Sanch. hoc non currere cum titulus est fictus, sed cum vere est collatus a Superiore, licet sit tantum putativus, quia forte Superiori prohibitum est illum conferre, sicut dicitur in *Novella* 44. *cap.* 1. *Auth. de Tabell.* Sed magis dubium est, an Ecclesia suppleat jurisdictionem, cum solus intervenit error communis, sine titulo colorato ? Negant Busemb. Concina Ronc. Sporer Holzm., etc. dum dicunt quod secus sacerdotes impii hinc occasionem sumerent se simulandi confessarios esse, et errores disseminandi. Sed hæc ratio non convincit, quia quamvis Ecclesia his negaret jurisdictionem, nec damnum impediret ; quare probabiliter affirmant Lugo Less. Ronc. Castrop. Sanch., etc., et dicunt probabile esse iidem Ronc. Spor. et Holzm. cum Carden. Viva Hen. Elbel, dum eadem ratio boni communis, quæ pro titulo colorato affertur, currit etiam pro errore communi (2).

91. Quæritur 2. an liceat confessario absolvere cum jurisdictione probabili ? Hic tres adsunt sententiæ. Prima est pauciorum, nempe Eliz. Conc. et Antoine, qui absolute negant : dicunt hi quod ex propositione 1. proscripta ab Innoc. XI non licet uti opinione probabili in Sacramentis conferendis. Secunda est communis et communiter affirmat cum Less. Filliuc. Cardena Lugo Sanch. Bonac. Castr. Salm. Viva Croix, etc. ; et moraliter certam appellant Sanch Cardenas Dicast. Tamb. Gormaz, etc. Alii assignant rationem erroris communis, sed hæc non convincit ; ratio vera est consuetudo universalis, quæ est in Ec-

(1) lib. 6. n. 576. et seq.

(2) l. 6. n. 572.

clesia in absolvendo cum jurisdictione probabili, ut testantur aa. citati; et consuetudo utique dat jurisdictionem, sicut docent etiam communiter Suar. Barbos. Carden. Quaranta et Pelliz. Et probatur aperte ex *cap. Contingat, de foro compet.* ubi sic habetur : *Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia, vel consuetudine* (nota) *speciali jurisdictionem hujusmodi noscuntur sibi vindicare.* Neque hic obstat dicta prop. damnata quam opponunt, nam (ut bene respondent Viva et Wig. cum Gonet.) propositio loquitur de opinionibus circa ea, in quibus nil potest Ecclesia, ut circa materiam et formam Sacramentorum ; sed circa jurisdictionem supplere quidem potest Ecclesia præsumitur eam certe supplere ob bonum animarum : quare confessarius in tali eventu non absolvit cum sententia probabili, sed cum certa. Tertia denique sententia, quam nos sequimur cum Suar. Marchan. Gobat, Wigandt Holzm. Barb. Sporer Elbel, et aliis, dicit tunc tantum licere aliquem absolvere cum opinione probabili, cum concurrit aliqua causa graviter rationabilis; aliter non præsumi debet Ecclesiam favere velle ni iniæ confessariorum libertati. Causa autem rationabilis esset 1. Si pœnitens præcipue istius confessarii auxilio indigeret. 2. Si complex peccati sit cognitus confessario qui habet jurisdictionem certam. 3. Si alias adesset periculum faciendi confessionem sacrilegam. 4. Si pœnitens timeret incurrere aversionem aut suspicionem nocivam, si confiteretur confessario certam habenti jurisdictionem ; aut si alias diutius a confessione abstinere deberet. 5. Si urgeret præceptum annuæ confessionis, aut lucrandi indulgentias peculiares (1). Addo, si jam pœnitens aperuisset confessario aliquod suum grave peccatum, et dubitaretur an illud sit nec ne reservatum, ut dicetur *n.* 142.

(1) n. 573.

92. Quæritur 3. an in articulo mortis possint omnes simplices sacerdotes absolvere, etiam hæretici, schismatici, aut excommunicati vitandi ? Jam compertum est in morte omnes sacerdotes etiam degradatos posse absolvere a quocumque peccato, et censura reservata. Et hoc non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, ut sententia communissima et verior asserit : ita Navar. Silv. Suar. Sanch. Lugo Castr. Salm., etc. contra Sotum et Canum; nam in hac materia idem est de articulo ac de periculo, ut patet ex *cap. Si quis cadente, 29. caus. 17. q. 4.* ubi dicitur : *Nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo.* Et ratio est, quia quilibet fidelis tam tenetur ad confitendum in articulo, quam in periculo mortis. Tale periculum autem judicatur esse in prælio, in longa navigatione, in parte difficili, et in omni periculoso morbo ; ita Sanch. et Salm. qui dicunt idem de quocumque qui esset in periculo probabili incidendi in amentiam, aut esset captivus apud Turcas, et timeret futurum esse, ut eo nullus adventaret sacerdos, ut confiteri posset (2). Sed veniamus ad quæsitum, an sacerdotes ab Ecclesia abscissi, ut sunt hæretici, schismatici et excommunicati vitandi, possint moribundos absolvere ? Affirmant Sanch. Suar. Navar. Lugo Salm. et alii et probant ex Trid. *sess. 14. cap. 7.* ubi dicitur : *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis ; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Sed negant Fagnan. Petrocor. Concina etc. cum declaratione S. C. Et pro hac sententia est s. Thomas (3) qui, loquendo de abscissis ab Ecclesiæ communione, dicit, hos tantum posse baptizare in mortis articulo, sed in nullo casu posse aliud ministrare Sacramentum.

(2) l. 6. n. 561. — (3) p. p. q. 82 a 7. ad 2.

Nec obstat Concil. quia, ut aiunt, ibi nova lex non conditur, sed tantum declaratur jus antiquum, cum dicatur : *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, etc. Atque probat Fagnan. sicut etiam declaravit S. C. et idem Nav. fatetur, olim communem fuisse sententiam cum Magistro sententiarum s. T. oma Scoto s. Antonin. Ricar. Turrecr. excommunicatos in nullo casu posse absolvere (1). Attamen p. Lucius Ferraris in sua *Biblioth. verb. Moribundus n.* 32. advertit, quod p. Franciscus Campioni in *Instruct. ad Confess. c. 41. n. 12.* refert ex Card. Albitio *part. 1 de Inconst. in Fide c. 13. et 19.*, quod prædicta declaratio sacræ Congregationis Conc. adducta a Fagnano non reperitur in Concilii regestis : signum quod vel non emanarit, vel expuncta fuerit, uti contraria communi sententiæ, occasione cujusdam Episcopi, cui respondenti affirmative objecta fuit doctrina Fagnani ; at dubio delato ad Innocentium XI., hic jussit supprimi quæstionem, nec amplius dubitari moribundum in defectu alterius sacerdotis valide et licite absolvi ab excommunicato vitando, degradato, aut hæretico.

93. Quæritur 4. an sacerdos simplex possit absolvere moribundum coram approbato ? Prima sententia communissima negat cum Mol. Sanch. Azor. Bonac. Cardena Lugo Laym. Salmant., etc., et probatur ex Trident. loco cit. ubi dicitur : *Verumtamen pie admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum*, et sequuntur alia verba superius relata. Ex præfato textu infertur 1. Concil. novam non condidisse legem, sed declarasse antiquam, et antiqua lex erat quod sacerdotes simplices tunc tantum absolvere possent moribundos, cum deerant approbati, juxta textus ab aa. cit. allatos. 2. Quod in tantum Ecclesia dat facultatem sacerdotibus simplicibus, in quantum adest necessitas extrema, *ne aliquis pereat* ; sed cessat hæc ratio, cum adest approbatus. Contra secunda sententia affirmat cum Nav. Barb. Sayr. Sa etc., et probabilem appellant Lugo Viv. Sporer, etc., dicendo verba Concilii esse generalia ; *Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Ad Canones antiquos respondent, eos non loqui de absolutione sacramentali, sed de sola reconciliatione peccatorum publicorum. Hoc non obstante, judico non esse recedendum a sententia opposita; 1. quia in Rit. rom. (*de Pœnit. sub init*). hoc declaratur expresse, dum dicitur : *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest absolvere.* Et quod Rituale declaret antiquum Ecclesiæ usum, constat ex eo quod Paulus V. in sua Bulla dicit, ubi præcipit inviolabiliter observari Rituale, cum in eo contineantur ea *quæ catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit.* 2. Quia præfata verba Concil. *atque ideo*, etc. ut dicunt Fagnan. Petrocor. et Auctor. *de Offic. confess.* apud Croix, non jam ad quoslibet referuntur sacerdotes, sed ad eos dumtaxat de quibus loquitur Concilium in præfato *cap. 7.*, nempe de iis *qui ordinariam, aut subdelegatam habent jurisdictionem ;* tanto magis quod in fine dicti capitis addit : *Extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores pro beneficio absolutionis accedant.* En sermo est de simplicibus confessariis (de quibus tantum dici potest quod nihil possunt in reservatis), non jam de simplici sacerdote ; et ita declaravit S. C. Conc. ut refert Fagnan. Quod autem sacerdotes etiam simplices possint absolvere in morte deficientibus approbatis; dicimus hoc non haberi a Trident., sed ab aliis Canonibus, et communi Ecclesiæ consuetudine (2).

94. Probabiliter tamen conveniunt

(1) lib. 6. n. 560.

(2) l. 6. n. 562.

dd. primæ sententiæ in dicendo, quod sacerdos simplex potest absolvere etiam præsente approbato in sequentibus casibus : 1. Si approbatus non potest, nec vult absolvere. 2. Si is sit nominatim excommunicatus, aut suspensus. 3. Si sit approbatus tantum in aliena diœcesi. 4. Si moribundus ita horreret confiteri approbato, ut esset in periculo sacrilege confitendi, ut dicunt Croix, et Mazzot. ex S. Thom. Et putat Sporer, idem esse, si infirmus confiteri non posset approbato sine magna difficultate vel incommodo, aut si ipse putaret simplicem confessarium fore sibi utiliorem. 5. Si confessio jam inchoata esset apud simplicem, quia tunc ille jam acquisivit jurisdictionem; secus autem, si infirmus jam absolutus fuisset (modo non esset circumstantia peccati jam confessi); et secus etiam, si infirmus aliqua excommunicatione reservata esset ligatus, quia tunc, licet confessionem incœpisset apud simplicem, præsente Superiore, debet a Superiore prius ab excommunicatione absolvi, et postea confessionem apud simplicem persolvere. 6. Si approbatus fuisset complex in peccato turpi pœnitentis, sicut declaravit Benedictus XIV (1). Sed super hoc puncto complicis opus est majore distinctione.

95. Præfatus Pontifex in duabus Bullis (quarum altera incipit *Sacramentum*, et altera *Apostolici*) dixit confessarium erga complicem *in peccato turpi contra sextum præceptum* privari omni jurisdictione, et excommunicationem papalem incurrere, si excipere audeat illius confessionem. Excipit solam extremam necessitatem mortis, in qua permittit absolvere complicem ; modo alius desit sacerdos, etiam simplex, qui infirmum absolvere valeat; aut modo ille sacerdos non possit infirmi confessionem excipere sine gravi scandalo, et infamia approbati. Addit tamen Pontifex quod ille (si potest) tenetur removere tale periculum scandali aut infamiæ, sub pœna ejusdem excommunicationis, licet, si illud non removeret, valida esset absolutio (2). Circa hujusmodi Bullas advertendum 1. quod nomine *peccati turpis* contra sextum præceptum, non solum intelligendum est peccatum fornicationis, etc. consummatum, sed etiam tactus, et colloquium obscœnum, quoties mortale attingit. Ita dicunt Salmant. (3). Contra vero non comprehenduntur culpæ veniales, sive tales sint ob parvitatem materiæ, sive ob defectum deliberationis ; ita Salmant. *ibid. n.* 277. Idemque recte dicunt *n.* 278. de mortalibus internis, vel non plene externe significatis, quoniam etiam actio debet esse externe gravis. Nec comprehenduntur mortalia dubia facti vel juris : Salmant. *ibid. n.* 280. (vide id quod dicetur hic infra *n.* 142). Nec cum dubium vertitur, an pœnitens ipse quoque graviter peccaverit, quia Bulla intelligitur de complici formali in peccato mortali turpi ; Salmant. *cit. num.* 280. et *num.* 241. Advertendum 2. absolutionem impertitam a confessario complici, si pœnitens non adhuc ab alio de peccato turpi absolutus est, esse invalidam etiam quoad alia peccata ; secus autem si ab alio jam absolutus fuisset. Hæc duo videntur certa. Sed concurrunt duo dubia, an incurrat excommunicationem confessarius qui jam non absolvit, sed tantum audit complicem suum in confessione, et fingit eum absolvere? Ego dudum fui pro affirmativa sententia, ex quodam acræ Pœnitentiariæ responso ; sed postea lecta Bulla, *Inter præteritos*, ejusdem Pontificis, inveni declaratum oppositum, cum dicatur ibi : *Non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit pœnitentis, eumque* (nota) *absolvit ; vel in articulo mortis absolvit, cum alius sacerdos non desit, excommunicationis majoris pœna a nobis imposita fuit.* Alterum dubium est, an Episcopus virtute cap. 6. *Liceat*, Sess 24. Trident. possit absolvere confessarium qui absolvit complicem suum in peccato turpi. Vide dicenda *Tr.* 20. *de Privil. n.* 37. (1).

(1) n. 563.

(2) n. 563. v. probabiliter in fine, et fusius n. 553. — (3) Append de Bull. Cruc. cap. 6. p. 169 ex n. 262.

96. Quæritur 5. an præsente Superiore, possit in articulo mortis quilibet confessarius approbatus absolvere infirmum a peccatis, et censuris reservatis ? Respondetur distinguendo; Quoad peccata utique potest, quia in morte cessat omnis reservatio, ut declaravit Concilium, adeo ut recte dicunt Suar. Salmant. Palud. Navar. Granad. Præpos., etc., moribundo a reservatis absoluto, nullam restare obligationem, si convaluerit, se præsentandi superiori (sed hoc non currit si pœnitens est absolutus in aliqua necessitate, non quidem mortis) (2). Præterea dicunt Suarez, Lugo, Sanchez, Salmant., etc., quod si moribundus habet reservata, et adest confessarius approbatus, non potest sacerdos simplex absolvere, licet confessarius ille careat facultate super reservatis ; dum in mortis articulo (ut supra dictum est) cessat omnis reservatio. Quoad autem censuras reservatas, confessarius simplex non potest coram Superiore absolvere quia, cum certum sit moribundum si convaluerit, teneri Superiorem adire, non jam ut denuo absolvatur, sed ut suam obedientiam ostendat, et ut pœnitentiam majorem recipiat, si Superior ei illam imponit, secus si non se præsentet, in eamdem incidit censuram, ut docent communiter Suar. Sanch. Salm., etc. ex *cap. Eos qui de Sent. Excom. in* 6. Hinc fit quod si Superior adest, ab eo a censuris infirmus absolvendus est (3).

97. Quæritur 6. an præsente Episcopo possit quilibet confessarius absolvere moribundum a papalibus ? Alii dd. distinguunt, ut Mol. Suar. Sanch., et dicunt non posse, si casus est occultus; quia tunc Episcopus super illo ordinaria procedit jurisdictione ex *cap.* 6. *Liceat ;* et idem dicunt de percussione publica clerici juxta caput *Ea noscitur de sent. excom.*, ubi dicitur ob talem excommunicationem, si nequeat adiri Pontifex, adeundum esse Episcopum. Contra affirmant posse simplicem confessarium absolvere etiam præsente Episcopo, si casus est publicus (intellige præter clerici percussionem), quia tunc eadem ac Episcopus est prædictus facultate confessarius simplex. Sed hanc secundam partem communissime negant Navar. Castrop. Coninch. Avil. Sayr. Corn. Hurtad. Salmant., etc dicentes præfatum textum in *cap. Ea noscitur*, non solum valere pro publica clerici percussione, sed etiam pro qualibet censura papali, dum pro istis eadem currit ratio; et sicut in quæstio antecedenti probavimus, non possunt censuræ absolvi, præsente Superiore. Sed hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam, cum certum non sit textum præfatum ad omnes extendi censuras (4).

98. Quæritur 7. an confessarius possit absolvere moribundum a censuris papalibus, cum ille posset facultatem ab Episcopo per litteras impetrare ? Negant Lugo Bonac. Suar. Croix, etc.; sed communius et probabilius affirmant Azor. Castrop. Sanch. Valenza, Conc. Carden. Salm. Viva, etc., tum quia in petenda facultate per litteras potest subesse periculum manifestationis; tum quia in *cap. Quamvis, de sent. Excom.* impeditus dicitur quicumque aliquo est præpeditus impedimento, quominus Pontificem adire possit (5).

(1) l. 6. n. 551. 555. et 556. — (2) n. 561. — (3) n. 563. dubit. 1. et n. 567.

(4) l. 6. n. 563. dubit. 2. — (5) ib. dubit. 3.

CAPUT VI.

De officio et aliis muneribus confessarii.

99. et 100. *De scientia necessaria confessario.*

101. *Quot sunt munera confessarii.*

dd. primæ sententiæ in dicendo, quod sacerdos simplex potest absolvere etiam præsente approbato in sequentibus casibus : 1. Si approbatus non potest, nec vult absolvere. 2. Si is sit nominatim excommunicatus, aut suspensus. 3. Si sit approbatus tantum in aliena diœcesi. 4. Si moribundus ita horreret confiteri approbato, ut esset in periculo sacrilege confitendi, ut dicunt Croix, et Mazzot. ex S. Thom. Et putat Sporer, idem esse, si infirmus confiteri non posset approbato sine magna difficultate vel incommodo, aut si ipse putaret simplicem confessarium fore sibi utiliorem. 5. Si confessio jam inchoata esset apud simplicem, quia tunc ille jam acquisivit jurisdictionem; secus autem, si infirmus jam absolutus fuisset (modo non esset circumstantia peccati jam confessi); et secus etiam, si infirmus aliqua excommunicatione reservata esset ligatus, quia tunc, licet confessionem incœpisset apud simplicem, præsente Superiore, debet a Superiore prius ab excommunicatione absolvi, et postea confessionem apud simplicem persolvere. 6. Si approbatus fuisset complex in peccato turpi pœnitentis, sicut declaravit Benedictus XIV (1). Sed super hoc puncto complicis opus est majore distinctione.

95. Præfatus Pontifex in duabus Bullis (quarum altera incipit *Sacramentum*, et altera *Apostolici*) dixit confessarium erga complicem *in peccato turpi contra sextum præceptum* privari omni jurisdictione, et excommunicationem papalem incurrere, si excipere audeat illius confessionem. Excipit solam extremam necessitatem mortis, in qua permittit absolvere complicem ; modo alius desit sacerdos, etiam simplex, qui infirmum absolvere valeat; aut modo ille sacerdos non possit infirmi confessionem excipere sine gravi scandalo, et infamia approbati. Addit tamen Pontifex quod ille (si potest) tenetur removere tale periculum scandali aut infamiæ, sub pœna ejusdem excommunicationis, licet, si illud non removeret, valida esset absolutio (2). Circa hujusmodi Bullas advertendum 1. quod nomine *peccati turpis* contra sextum præceptum, non solum intelligendum est peccatum fornicationis, etc. consummatum, sed etiam tactus, et colloquium obscœnum, quoties mortale attingit. Ita dicunt Salmant. (3). Contra vero non comprehenduntur culpæ veniales, sive tales sint ob parvitatem materiæ, sive ob defectum deliberationis ; ita Salmant. *ibid. n.* 277. Idemque recte dicunt *n.* 278. de mortalibus internis, vel non plene externe significatis, quoniam etiam actio debet esse externe gravis. Nec comprehenduntur mortalia dubia facti vel juris : Salmant. *ibid. n.* 280. (vide id quod dicetur hic infra *n.* 142). Nec cum dubium vertitur, an pœnitens ipse quoque graviter peccaverit, quia Bulla intelligitur de complici formali in peccato mortali turpi ; Salmant. *cit. num.* 280. et *num.* 241. Advertendum 2. absolutionem impertitam a confessario complici, si pœnitens non adhuc ab alio de peccato turpi absolutus est, esse invalidam etiam quoad alia peccata ; secus autem si ab alio jam absolutus fuisset. Hæc duo videntur certa. Sed concurrunt duo dubia, an incurrat excommunicationem confessarius qui jam non absolvit, sed tantum audit complicem suum in confessione, et fingit eum absolvere? Ego dudum fui pro affirmativa sententia, ex quodam acræ Pœnitentiariæ responso ; sed postea lecta Bulla, *Inter præteritos*, ejusdem Pontificis, inveni declaratum oppositum, cum dicatur ibi : *Non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit pœnitentis, eumque* (nota) *absolvit ; vel in articulo mortis absolvit, cum alius sacerdos non desit, excommunicationis majoris pœna a nobis imposita fuit.* Alterum dubium est, an Episcopus virtute cap. 6. *Liceat*, Sess 24. Trident. possit absolvere confessarium qui absolvit complicem suum in peccato turpi. Vide dicenda *Tr.* 20. *de Privil. n.* 37. (1).

(1) n. 563.

(2) n. 563. v. probabiliter in fine, et fusius n. 553. — (3) Append de Bull. Cruc. cap. 6. p. 169 ex n. 262.

96. Quæritur 5. an præsente Superiore, possit in articulo mortis quilibet confessarius approbatus absolvere infirmum a peccatis, et censuris reservatis ? Respondetur distinguendo; Quoad peccata utique potest, quia in morte cessat omnis reservatio, ut declaravit Concilium, adeo ut recte dicunt Suar. Salmant. Palud. Navar. Granad. Præpos., etc., moribundo a reservatis absoluto, nullam restare obligationem, si convaluerit, se præsentandi superiori (sed hoc non currit si pœnitens est absolutus in aliqua necessitate, non quidem mortis) (2). Præterea dicunt Suarez, Lugo, Sanchez, Salmant., etc., quod si moribundus habet reservata, et adest confessarius approbatus, non potest sacerdos simplex absolvere, licet confessarius ille careat facultate super reservatis ; dum in mortis articulo (ut supra dictum est) cessat omnis reservatio. Quoad autem censuras reservatas, confessarius simplex non potest coram Superiore absolvere quia, cum certum sit moribundum si convaluerit, teneri Superiorem adire, non jam ut denuo absolvatur, sed ut suam obedientiam ostendat, et ut pœnitentiam majorem recipiat, si Superior ei illam imponit, secus si non se præsentet, in eamdem incidit censuram, ut docent communiter Suar. Sanch. Salm., etc. ex *cap. Eos qui de Sent. Excom. in* 6. Hinc fit quod si Superior adest, ab eo a censuris infirmus absolvendus est (3).

97. Quæritur 6. an præsente Episcopo possit quilibet confessarius absolvere moribundum a papalibus ? Alii dd. distinguunt, ut Mol. Suar. Sanch., et dicunt non posse, si casus est occultus; quia tunc Episcopus super illo ordinaria procedit jurisdictione ex *cap.* 6. *Liceat ;* et idem dicunt de percussione publica clerici juxta caput *Ea noscitur de sent. excom.*, ubi dicitur ob talem excommunicationem, si nequeat adiri Pontifex, adeundum esse Episcopum. Contra affirmant posse simplicem confessarium absolvere etiam præsente Episcopo, si casus est publicus (intellige præter clerici percussionem), quia tunc eadem ac Episcopus est prædictus facultate confessarius simplex. Sed hanc secundam partem communissime negant Navar. Castrop. Coninch. Avil. Sayr. Corn. Hurtad. Salmant., etc dicentes præfatum textum in *cap. Ea noscitur*, non solum valere pro publica clerici percussione, sed etiam pro qualibet censura papali, dum pro istis eadem currit ratio; et sicut in quæstio antecedenti probavimus, non possunt censuræ absolvi, præsente Superiore. Sed hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam, cum certum non sit textum præfatum ad omnes extendi censuras (4).

98. Quæritur 7. an confessarius possit absolvere moribundum a censuris papalibus, cum ille posset facultatem ab Episcopo per litteras impetrare ? Negant Lugo Bonac. Suar. Croix, etc.; sed communius et probabilius affirmant Azor. Castrop. Sanch. Valenza, Conc. Carden. Salm. Viva, etc., tum quia in petenda facultate per litteras potest subesse periculum manifestationis; tum quia in *cap. Quamvis, de sent. Excom.* impeditus dicitur quicumque aliquo est præpeditus impedimento, quominus Pontificem adire possit (5).

(1) l. 6. n. 551. 555. et 556. — (2) n. 561. — (3) n. 563. dubit. 1. et n. 567.

(4) l. 6. n. 563. dubit. 2. — (5) ib. dubit. 3.

CAPUT VI.

De officio et aliis muneribus confessarii.

99. et 100. *De scientia necessaria confessario.*

101. *Quot sunt munera confessarii.*

102. *et* 103. *I. de examine.*
104. *II. De judicio peccatorum.*
105. *III. De instructione.*
106. *et* 107. *IV. De admonitione.*
108. *ad* 112. *Si admonitio non sit profutura.*
113. *Si matrimonium est nullum.*
114. *Si sponsi sint parati ad nuptias.*
115. *Si adest obligatio restitutionis. Si admonitio sit postmodum profutura.*
116. *Si pœnitens interrogat, etc. Si adest damnum commune. In dubio an admonitio, etc.*
117. *V. De absolutione.*
118. *Quæ certitudo de absolutione, etc.*
119. *Si pœnitens pro se habeat opinionem probabilem.*
120. *Si pœnitens negat aut tacet peccatum.*
121. *VI. De corrigendis erroribus. De errore circa Sacramenti valorem.*
122. *Circa restitutionem a qua pœnitens dissuasus est, etc.*
123. *Aut ad quam non fuit obligatus.*
124. *An possit admoneri pœnitens licentia ejus non petita.*
125. *VII. De obligatione administrandi hoc Sacramentum. An cum periculo mortis, etc.*
126. *et* 127. *An sacerdos simplex teneatur ad se habilem reddendum.*

99. Cupienti hoc Sacramentum Pœnitentiæ administrare, primum omnium acquirenda est necessaria scientia, qua hujus magni ministerii officio recte fungi possit. Sed hic advertendum est quod scripsit S. Gregor. quod sit *Ars artium regimen animarum*. Et S. Franciscus Salesius dicebat, confessarii officium esse maximi momenti et omnium difficillimum. Et ita est: maximi utique momenti est, quia est finis omnium scientiarum, qui salus æterna est: difficillimum, quia 1. requirit notitiam quasi omnium aliarum scientiarum, et omnium officiorum, et artium. 2. Scientia moralis tot materias disparatas complectitur. 3. Illa magna ex parte legibus positivis constat, quarum quælibet juxta proprium sensum et intelligentiam accipienda est præterea ob circumstantias, quæ casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandæ sunt. Quidam qui eruditos, et theologos magnæ notæ se jactant, moralistas, quos casuistas (nomen ignominiæ apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt sufficere, ut confessiones rite excipi possint, principia generalia, moralis callere, illis enim posse resolvi, aiunt omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos? Sed totum opus, et totus labor est in aptando casibus particularibus, tantis diversis circumstantiis irretitis, principia hujusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat. Nequit id fieri sine magna discussione rationum, quæ pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud quod moralistæ effecerunt, cum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi debeant: præterea hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivæ, tot Bullæ, tot Decreta, quæ nequeunt sciri, nisi casuistæ legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores ii moralistæ sunt, eo antiquis utiliores. Justa ratione motus *Auctor Instructionum pro novis confessariis* (1) affirmat, multos theologos quanto profundiores sunt in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus, quæ, ut scribit Gerson (2), omnium difficillimæ sunt, et nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui in dies nova non accidant. Ex quo infert, numquam confessario deserendum esse theologiæ moralis studium. Doctissimus Sperelli (3) pariter dicit longe errare eos confessarios, qui totos in scholasticæ studio se applicant, æstimantes tempus in morali frustra expendi; *et postea nesciunt distinguere lepram a lepra: qui error* (subjungit) *confessarios simul et pœnitentes in æternam perturbationem trahet*. Peccat igitur absque dubio

(1) Part. I. v. 18. — (2) Tract. de Orat. — (3) de Episc. p. 3. c. 4.

graviter qui non sufficienter instructus audet confessiones audire: Episcopus qui illum approbat: pœnitens quoque qui noscens ignorantiam ejus, apud ipsum confitetur.

100. Non negamus autem minorem scientiam exigi in audiendis confessionibus simplicium, et rusticorum, quam curialistarum, negotiantium, ecclesiasticorum, et similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur confessiones in oppido, quam in civitate; et præcipuæ si alicubi sit tanta confessariorum copia, ut pœnitentes deberent aut per longum tempus a confesssione se abstinere, aut alio proficisci (1). Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos confessarios, qui, cursim lecta aliqua brevi summa morali, temere ad excipiendas confessiones se intromittunt. Oportet saltem ut confessarius sciat 1. ad quæ sua jurisdictio se extendat. Advertat hic quisque, sacerdotes seculares, et regulares alterius ordinis non posse audire confessiones Religiosorum sine licentia suorum Prælatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, et socium non habeant, aut alium sacerdotem idoneum ejusdem religionis. Et tunc Religiosi possunt absolvi a quocumque simplici sacerdote (exceptis Capuccinis, vide *præc. n.* 88.), dum Superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare juxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis sacerdoti idoneo (2). Item quivis confessarius scire debet casus, et censuras reservatas, saltem eas in quas frequentius incurri solet, prout sunt excommunicationes papales quæ sunt in Bulla Cœnæ, hæresis externata, lectio aut retentio, aut venditio librorum hæreticorum, qui ex professo de religione tractant, aut continent hæresim formalem; item quinque casus papales Clementis VIII. qui sunt percussio enormis, aut mediocris clerici vel monachi, simonia realis, aut confidentialis, violatio clausuræ Monialium ad malum finem, violatio immunitatis ecclesiasticæ, et duellum: item excommunicationes a Summo Pontifice Benedicto XIV. emanatæ in absolventes complices in materia turpi (3), et in eos qui docent posse a confessario exquiri nomen complicis, etiam per absolutionis sacramentalis negationem, si revelare recuset (4); et aliæ excommunicationes obviæ, quæ observari possunt in Tractatu de Censuris. Sciat II. distinguere peccatum veniale a mortali, saltem in suo genere, quo communiter occurri solet; et de aliis saltem dubitare sciat. III. Sciat interrogationes quas facere debet; circumstantias peccatorum saltem speciem mutantes: quid constituat occasionem proximam, quid inducat restitutionis obligationem, item qualis esse debeat dolor, et propositum, et denique remedia ad emendationem efficaciora. Et ut brevibus me expediam, affirmo in statu damnationis esse eum confessarium qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum exprobrat: *Quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (5). Nec excusabit eum Episcopi approbatio, cum cognoscit manifeste se inhabilem; approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *manifeste*, dum qui tantum dubitaret, bene potest, imo debet quiescere in sui Superioris judicio confisus, si saltem sedulori studio se habilem reddere satagat. At nullus confessarius intermittere debet theologiæ moralis studium, qui ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt, qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

101. Præterea advertendum plura alia esse confessarii munera, nempe

(1) L. 6. n. 628. — (2) n. 575. (3) n. 553. — (4) L. 6. n. 491. — (5) Osee. c. 4. 6

I. Ut pœnitentis conscientiam investiget. II. Ut de peccatorum gravitate, et numero, debitum formet judicium. III. Ut pœnitentem instruat de iis quæ scienda sunt circa Fidem, et mores. IV. Ut eum admoneat de suis obligationibus. V. Ut absolvat dispositum. VI. Denique tenetur confessarius emendare errores, quos in audiendis confessionibus commisit.

102. I. Igitur tenetur confessarius diligenter pœnitentis conscientiam cognoscere. Confessarius est judex ; judicis officium importat ut, sicut judex prius rationes cognoscere debet, inde causæ momenta discutere, et denique sententiam proferre; ita confessarius prius conscius fieri debet pœnitentis conscientiæ, postea ejus dispositiones inspicere, et tandem absolutionem impertiri aut denegare. Et quoad primum munus, quod est peccata pœnitentis cognoscere, quamvis debitum conscientiam examinandi sit præcipuum pœnitentis, nihilominus (quicquid alii dd. (1) dixerint) non est dubitandum quin, si confessarius cognoverit pœnitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur ipse eum interrogare prius de peccatis in quæ verisimiliter incidere potuerat, et postea de eorum numero, et specie, ut probatur ex *cap. Omnis utriusque, etc de Pœnit., et Rit. rom.* (2).

103. Et hic multa advertenda sunt: 1. Perperam eos agere qui rudes dimittunt, ut melius se examinent : hoc P. Segneri (3) vocat errorem intolerabilem, et jure optimo, quia hujusmodi omnes quantum laborent, difficulter se examinabunt ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse confessarius eos examinare : et contra, cum dimissi sunt, periculum erit ne exterriti difficultate se examinandi a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant (4). Qua de re confessarius debet ipse ex hujusmodi pœnitentibus peccata exquirere, eos interrogando juxta ordinem præceptorum, præcipue si sunt famuli, aurigæ, muliones, milites, satellites, caupones, et alii id genus, qui æternæ salutis vitam negligentem vivere solent, et rerum divinarum sunt ignari, quia stant procul a concionibus, et ecclesiis. Et hic pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, licet repetendæ essent confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quod si non redeat, peribit. Mihi videor aliquem confessariorum audire sic respondere : *Si non redit, pejus sibi erit malum*. Pulchrum quidem charitatis spiritum! Sed sic non loquuntur qui verum habent zelum animas lucrandi: dicamus melius, qui hoc munere dumtaxat Deo funguntur. Advertat nihilominus confessarius se non teneri tam minute hos interrogare; interroget tantum de peccatis in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate (5). Imo cum pœnitens, licet rudis, videatur sufficienter instructus, et diligens in confitendo peccata cum circumstantiis suis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare (6). II. Notandum cum Lug. Salm. et Dicast, melius esse, si confessarius singulatim examinet peccata statim ac exponit pœnitens, quam ut differat examen usque ad finem ; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quæ audivit ; aut obligandus esset pœnitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa (7). III. Errare eos confessarios, qui volunt certum judicium facere de peccati qualitate, an sit grave, vel leve, exquirendo a rudibus istis, utrum pro mortali habebant, an pro veniali ; hi enim multoties respondent ut casus sibi verba suggeret, et hoc experientia testamur (ut ego millies observavi). Quod si confessarius paulo post iterum interroget; respondent modo toto a primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus, curet confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi rationem, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est, et deinde interroget de numero, interrogando pœnitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense, proponens ei plures numeros, exgr. ter, aut quater, octies, vel decies, ut videat cui numero potius ille adhæreat ; et si pœnitens numero majori adhæret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori, sed in hoc ut bene advertit Busemb., confessarius non sit nimis solicitus et anxius ad formandum certum judicium de numero peccatorum ; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sint apud Deum. Aliqui dd. dicunt, circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum, et desideriorum pravorum, sufficere plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus ; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse quod aliquis sit magis intentus ad externa negotia, aut moretur ubi pauciores sibi occurrent pravarum cogitationum occasiones, alius erit magis alio animi passione allectus; ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc., ut formet judicium majoris, vel minoris frequentiæ actuum internorum. Cæterum post duas, vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si ei judicium quod facit, videtur esse nimis confusum ; nam ex conscientiis implicatis, et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. V. Regulariter loquendo non expedit ut confessarius reprehendat pœnitentem in confessionis cursu, ne ille exterrefactus omittat aliquod peccatum. Nihilominus expedit aliquando intra confessionem ei proponere malitiam alicujus gravioris peccati, modo statim ei præbeatur animus dicendo : *Sed nunc vis vere vitam mutare ? eia ergo, fac ut hæc confessio sit bona : noli timere ; dic omnia peccata, quoniam ab omnibus te absolvam*. VI. Oportet animadvertere, quod licet confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus confessarius non sit nimis rigorosus ad procurandum ut confessiones præteritæ repetantur (1) ; nam præsumptio stat pro validitate, quoties error non sit manifestus, ut ait Segneri. Nec lapsus sunt certa indicia confessiones fuisse nullas, præcipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet, sibi aliquam vim intulerit. Aliud tamen judicium fieri debet, si pœnitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies a confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

104. II. Cum confessarius peccata audiverit tenetur judicium facere de gravitate, et numero eorum, quia licet, ut valide absolvat, sufficiat ut peccatum cognoscat, saltem sub confusa ratione peccati ; attamen ut licite absolvat, debet prudens formare judicium uniuscujusque culpæ, saltem in iis quæ communiter occurrunt ; nam alias magis obscuras et minus usuales sufficit ut audiat et absolvat, ut sunt coram Deo ; Lug. Holzmann, Salm. Spor., etc. (2). Advertendum hic sæpius errare confessarios qui judicium certum formare cupiunt de peccati quantitate, utrum sit grave, aut leve, interro-

(1) Ap. Lochner Instr. pag. 33. — (2) L. 6. n. 607. — (3) Conf. instr. c. 2. — (4) L. 6. n 607. v. sed. hæc.

(5) L. 6. n. 607. v. sed hæc ad 3. — (6) Ib. ad 2. — (7) N. 607. v. sed. hæc ad 4.

(1) L. 6. n. 605. — (2) N. 627.

gando pœnitentes rudes, quomodo illud tenebant in conscientia, an tamquam mortale vel veniale. Hi plerumque respondent ad sortem, et dicunt quod prius in os venit, et hoc experientia cognoscitur (sicut mihi mille millies accidit) ; quod si mox confessarius iterum eos interrogat, dicunt totum oppositum. Præterea hic advertendum, quoad pœnitentis obligationem, quod si ille advertit confessarium non apprehendere gravitatem peccati sui, tenetur illum monitum facere, alias ejus confessio erit sacrilega. Et ita pariter si peracta confessione, advertit confessarium non percepisse suum peccatum, debet illud repetere.

105. III. Confessarius tenetur instruere pœnitentem cum observat, aut prudenter judicat illum necessaria fidei, et salutis ignorare. Sufficiet cæteroquin quod tunc, antequam absolutionem ei impertiatur, eum instruat circa mysteria principalia, prout dictum est *Tr. 4. n. 3*, quia quoad cætera necessaria de præcepto, sufficit quod pœnitens promittat, quod se instruere faciat ab aliis, saltem quoad substantiam ; et confessarii qui nimia charitate fervent non recusant eos docere per se ipsos. Debet pariter confessarius instruere pœnitentem circa obligationem compensandi famam, honorem aut bona, occasionem vitandi scandalum illatum reparandi, correctionem faciendi, aut eleemosynam largiendi, quando ad id tenetur. Item animadvertendum quod si pœnitens accedit indispositus, tenetur confessarius (ut docent Laym. Suar., Busemb. Sporer etc.) pro viribus efficere, ut eum disponat ad absolutionem (1). Circa quod nescio quomodo excusari possint coram Deo illi confessarii desides, qui ubi cognoscunt pœnitentem non esse satis dispositum, eum a se dimittunt, dicendo ei inurbano modo : *Discede hinc te absolvere non possum, redi in posterum.* Ego dico cum aa. citatis, confessarium quoties pœnitentis confessionem suscipit, sub rigorosa charitatis obligatione, quantum facere potest, teneri ut ad absolutionem eum disponat, ei proponendo illius peccatorum turpitudinem, gratiæ divinæ efficaciam, damnationis periculum, et his similes veritates. Nec sua referre debet quod in hoc tempus insumatur, et quod reliqui pœnitentes abibunt, ne tantum expectent. Ille tunc non tenetur aliorum bono prospicere, sed tantum pœnitentis sui : pro hoc dumtaxat illo tempore Deo rationem redditurus est, non pro aliis. Satius est (dicebat s. Franciscus Xaverius) paucas confessiones audire, et rite factas, quam multas, et temere properatas, et sine fructu. Quot istorum ad me venerunt indispositi, et ego, divino auxilio opitulante, disponere curavi : et dispositos tuto et mea maxima consolatione absolutos dimisi ! Saltem hoc inserviet ut bene instituatur ad reddendum dispositum pœnitentem pro tempore, quo rediturus erit.

(1) N. 608. v. hic adverto.

106. 4. Confessarius tenetur admonere pœnitentem. Sed ut admonitiones convenientes faciat, non debet confessarius tantum cognoscere speciem, et numerum peccatorum, sed etiam eorum originem et causas, ut remediis opportunis occurrat Nonnulli confessarii interrogant tantum de specie et numero peccatorum, et nihil amplius : si vident pœnitentem dispositum, eum absolvunt ; sin minus, quin aliquid eis dicant, statim eum dimittunt, dicendo : *Abi, non possum te absolvere.* Non ita boni confessarii agunt : hi prius indagare incipiunt originem, et mali gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis, cum quibus, quibus rerum circumstantiis ; sic enim melius poterunt pœnitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere.

107. His interrogationibus adhibitis, et cognita morbi origine ac gravitate, confessarius ad debitas animadversiones faciendas procedat. Et quamvis ipse tamquam pater debeat in charitate pœnitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur (quantum opus est) eos monere et corrigere, eos præsertim qui multis mortalibus gravati ad Pœnitentiæ Sacramentum raro accedunt Et hoc munus etiam adimplere debet, si pœnitens aliqua illustri fulgeat qualitate, nimirum si fuerit magistratus, princeps, sacerdos, parochus, aut Prælatus, si de aliqua sui muneris omissione sine nimio animi sensu se accusaret. Ait Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica Constitutio*, data 26. Jun. 1749. §22. confessarii admoniones concionibus ipsis esse efficaciores ; et jure merito, quia concionatorem latent circumstantiæ particulares quæ confessario aperte innotescunt; ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones et remedia, quæ morbis expediunt, applicare ; et ita etiam confessarius tenetur pœnitentem admonere de aliqua ignorantia culpabili si qua laborat, sive hæc sit juris naturalis, sive positivi. Quod si pœnitens teneretur ignorantia culpabili, tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, aut illa bono communi officiat, omnino debet confessarius ab hac ignorantia eum removere, et veritatem docere, licet nullus speretur fructus.

108. Sed quæritur : si ignorantia esset circa alia, et esset invincibilis, adeo ut pœnitens esset in perfecta bona fide, an confessarius eum teneatur admonere de veritate, etiamsi ex admonitione nullus speraretur fructus ? Nonnulli dd. affirmant, ut dr. Wigandt Conc. et alii pauci cum Eliz. et Gonzalez (licet hi excipiant ignorantiam circa præcepta humana); hanc opinionem novissime etiam tutatus est pluribus p. Liberius de Jesu Carmelita Excalceatorum, in suis controversiis dogmaticis; sed ex hoc non multum sibi decoris adeptus est, dum rationes quibus utitur sunt nimis tenuis furfuris. Rationes quas adducit sunt eadem, quæ in oppositionem adducuntur. Contra negat sententia communis et vera, cum Cano Suar. Nav. p. Sot. Card. Laym. Sanch. Lug. Vasq. Castropal. Bonac. Ponz. Coninch. Anacl. Escob. Ronc. Spor. Elb. Viva Holzm. Sal. et aliis innumeris (1), et in hoc invenio convenire duos alios aa. doctrinæ valde rigidioris, nempe Habert et Antoine ; loquendo Habert de matrimonio irrito ex aliquo occulto impedimento, dicit : *Si adversum malum occultum, et invincibiliter ignoratum nullum appareat remedium, et gravia incommoda prævideantur, dissimulandum est* (a confessario) *impedimentum, et conjux in bona fide relinquenda.* Et pariter Antoine sic scribit : *Si probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale pœnitentis, vel grave scandalum, etc., differenda est monitio, et petenda dispensatio* (2).

109. Auctores nostræ sententiæ probant 1. afferendo textum s. Augustini relatum in *can. Si quis de Pœnit. d. 7.* Sed cæteroquin satis congrue hunc textum solvit Conc., quia revera ad rem non facit : potius facit auctoritas s. Bernardi (*Serm. 41. in Cant.*) qui dicit : *Mattem aliquando tacuisse, et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.* Probant 2. ex c. *Quia circa de Consan.* ubi interrogatus Innoc. III. circa aliquod qui matrimonio copulati erant ex dispensatione subreptitia, respondit ad Episcopum : *Dissimulare poteris, cum ex separatione grave videas scandalum imminere.* Sed hæc decretalis ne satis quidem probat, dum dubium est an Pontifex ita respondendo voluisset forsam dispensare super impedimento, ut dicitur, in radice matrimonii. Cæterum præfata sententia probatur ratione validissima, nempe ex duobus malis minus ver-

(1) L. 6. n. 610 — (2) Ibid.

mittendum est, ut vitetur majus quare confessarius in nostro casu tacere debet et permittere pœnitentem (in bona fide constitutum) in peccato materiali versari, ut ipse a formali liberetur, veritatem rei non aperiendo : nam Deus tantum peccatum formale punit, et ab hoc solo se offensum iri declarat ; ideoque per consequens dicimus confessarium aliter agendo peccare. Sed hæc ratio melius expendetur in responsionibus ad ea quæ opponuntur.

110. Objiciunt 1. illud Ezechielis : *Si me dicente ad impium : impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua : impius in impietate sua morietur ; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech.* 33. 8. Sed quis non videt hic loqui de impio, qui est in mala fide, et quem tenetur utique confessarius omni casu corripere, ut resipiscat ? Et sic intelligendi sunt alii textus Scripturæ, ac sanctorum Patrum, qui in contrarium afferuntur. Objiciunt 2. *cap. Qui scandalizaverit*, 3. *de Reg. Jur.* ubi dicitur : *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur*. Sed ut responsio intelligatur, oportet percipere casum de quo loquebatur Beda, auctor hujus textus. Beda (referente Glossa) loquebatur de eo, de quo dixit Jesus Pharisæis : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore*, etc. Matth. 15. 11. Itaque loquendo Beda de scandalo mero Pharisaico, ideo dicit, quod licet Pharisæi scandalizarentur, vel, ut melius dicam, admirarentur doctrinam tamquam laxam, utilius erat hoc scandalum permittere, quam veritatis expositionem omittere. Quid ergo ad nostrum casum ? Opponunt 3. quamdam doctrinam s. Thomæ (1); sed ibi loquitur clare s. Doctor : dicit enim veritatem non lædi, cum a concionatore, cujus munus est eam patefacere, veritas tacetur; sed cum illa mutilatur, nempe cum pars ejus patefit; et pars tacetur; adeo ut exiat citurnitate partis aliquis error in alios diffunditur ; v. gr. si concionator diceret, in tertio gradu non licere contrahere matrimonium inter propinquos auditores inducerentur ad credendum, utique licere in quarto. Opponunt 4. et dicunt, confessarii esse etiam munus doctoris, ideoque illum teneri ad docendum veritatem. Respondetur quod confessarius non tantum doctoris, sed etiam medici fungitur officio : unde cum observat medicinam, nempe admonitionem in pœnitentis perniciem redundare, debet ab illa abstinere. Et licet sit doctor, quia tamen munus est charitatis, a Redemptore institutum dumtaxat in bonum animarum, debet ille utique veritatem docere sed circa illa dumtaxat quæ pœnitenti prosunt, non autem circa ea quæ nocitura sunt, ideoque ait s. Thomas (2), loquendo de eo qui docendi officium habet : *Contrarium veritati non docebat, sed veritatem* (nota) *secundum congruentiam temporis et personarum proponat ille, cui incumbit officium docendi.*

111. Opponunt 5. hujusmodi ignorantiam pœnitentis in hoc casu non esse invincibilem, sed vincibilem dum ipsi patet via ad veritatem cognoscendam; et si vincibilis est, est etiam culpabilis. Sed respondetur quod ignorantia ut sit culpabilis in aliquo, non sufficit quod cognoscere possit veritatem, sed necesse est ut ei superveniat dubium præcepti, alias ignorantia ejus ex necessitate invincibilis est. Certum autem est, ut docet s. Thomas (3), eam esse ignorantiam invincibilem, *quæ studio superari non potest*. Quo igitur studio superare quis potest ignorantiam suam, si nulla de illa dubitatio aut saltem de obligatione quam habet illam vincendi, venit ei in mentem ? Propterea dicunt dd. s. Antonin. Silv. Gers. Suar. Cajet. Nav. Armil. Castropal.

(1) In 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 1. ad. 3.

(2) 2. 2. q. 43. a. 7. ad 2.—(3) 1. 2. q. 76. a. 2.

San. Vasq. Sayr. Salm. etc. (3) ad constituendam ignorantiam vincibilem, opus esse ut homo advertat præceptum, aut saltem obligationem ad illud advertendi ; nam sicut ad hoc, ut ad legis observantiam teneamur, necesse est ut lex sit nobis intimata; ita, ut teneamur advertendum ad legem, opus est ut nobis indicetur talis obligatio per ejus notitiam, aut saltem per dubitationem de illa; quare scite concludit loquendo de hoc puncto p. Segneri (3) : *Tunc ignorantia invincibilis est, cum personæ principium dubitandi non suboritur, et consequenter nullus ei modus offertur, ut errorem suum vincat.*

112. Opponunt 6. et dicunt sic : Si talis pœnitens admonitus esset, jam ille peccaret, cum tunc reus jam fieret ignorantiæ vincibilis ; ergo est semper indispositus ad absolutionem. Sed hoc argumentum, cui valde innituntur adversarii, mihi videtur parum sapientiæ eorum dignum. Quis non videt fallaciam quæ involvitur, et responsionem claram quæ patet ? In pœnitente non est necessaria dispositio interpretativa, nempe quod si ille in tali aut tali rerum conflictu reperiretur, non peccaret, quando ad id omnino non reflectit; quia aliter, si confessarii præsumere vellent interpretativas pœnitentium indispositiones, paucos possent absolvere, dum possent judicare quod multi eorum, quibus filii interfecti fuissent, certe odio moverentur in interfectores; si a tyrannis essent tormentis tentati, a Fide deficerent; sufficit ergo in pœnitente eam dispositionem actualem invenire, ut absolvat ; nempe ut hic et nunc statuat amplius non peccare in quocumque casu generali. Et sic sufficit pro absolutione, quod pœnitens *hic et nunc* sit dispositus per voluntatem actualem; nec obstat quod esset indispositus per interpretativam nempe si a confessario monitus esset. Itaque (concludamus) ex his oppositionibus dignoscitur quam persistere nequeat sententia opposita. Sicut etiam (mihi lubet aliquantulum ad alia divertere) sunt labantes quædam aliæ opiniones quas hodie tutari volunt nonnulli, qui jactare videntur rigidioris esse nominis. Cæteroquin commendare mihi nunquam fuit animus eos auctores, qui, ut animarum bono consulerent, conscientiarum habenas nimis laxare voluerunt; quia licet Dominus velit omnes homines salvos fieri, sed vult ut per legum suarum observantiam salventur. At nec laudare possum alios, qui nimis conscientias coercere quærunt, assignando multas leges quibus Deus noluit, aut saltem non manifestavit se velle nos teneri. Nescio utrum minus scrupuli sit faciendum animas ad certas nimis rigidas opiniones adstringere cum periculo earum totalis perniciei quam approbare opiniones nimis benignas. Quod pejus est, nunc temporis toti libri contumeliis, acerrimis objurgationibus, et satyricis aculeis suffulti circumferri conspiciuntur vicissim inter auctores tam rigidæ quam benignæ sententiæ; quod quidem scandalo toti Ecclesiæ est, et obloquendi inimicis materiam offert. Et pariter pro veritate in propatulo collocanda, eam magis dubiis et tenebris offundit : dum ex hujusmodi dicendi ratione quilibet facile existimat, non rationem, sed potius susceptæ sententiæ adhæsionem, ac concitati animi æstum eos ad sic scribendum compulisse, et qui ex adhæsione et animi æstu loquitur, nec sibi fidem assequitur nec alios persuadet.

113. Sed unde discessimus revertamur. Ex præfata communi sententia infertur 1. cum Laym. Sanch. Lugo, Castrop. Salm. Holzm. Hab. Antoine, et aliis communiter, quod in casu quo pœnitens contraxisset matrimonium invalidum ob aliquod occultum impedimentum, et in bona fide versaretur ; et contra esset periculum infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si ei aperiretur nullitas ;

(1) L. 4. Confess. Instruc. c. 7.

000397

tunc confessarius debet eum relinquere in bona fide, usquedum ei dispensatio impetrabitur ; excepto, si dispensatio statim et faciliter obtineri possit a Papa ; aut saltem ab Episcopo juxta communem, et valde probabilem sententiam (1) ; quod si non vacat tempus adeundi Papam, et aliter imminet periculum scandali, aut infamiæ, potest Episcopus dispensare in impedimentis etiam dirimentibus post matrimonium contractum ; vide *Tract.* 20. *de privil. n.* 56. Sed in eo casu, quo si forte uxor se accusat negasse debitum viro, quæritur an possit confessarius eam obligare ad illud reddendum? Multi affirmant, ut Lugo Sanch. Coninch. Cordub. Henriq. Escob. Led. Croix, etc., quia tunc illa (uti dicunt), cum putet matrimonium esse validum tenetur sequi dictamen conscientiæ. Sed in hoc tutior mihi videtur opinio Soti Hurtad. et Bonac. quod tunc confessarius ei dicat in genere, quod illa nequit absolvi, si obligationi suæ satisfacere renuit ; et quod jam scitur mulierem teneri suo viro debitum reddere (2). Sed si matrimonium contractum non est; sed jamjam contrahendum est nulliter, quæritur an confessarius debeat monere pœnitentem de nullitate, cum animadvertit monitionem profuturam non fore ? Alii absolute negant ; alii affirmant ; sed probabilius Castrop. et Salm. dicunt regulariter loquendo in eo casu faciendam esse monitionem, præsertim si impedimentum oritur ex consanguinitate, quia tunc nulla subest infamia in suspendendis nuptiis: tanto magis quod hujusmodi impedimentum facile postea potest cognosci ab ipsismet sponsis, et tunc peccatum eorum facile ex materiali potest fieri formale. Quare in tali casu, cum semper subsit aliqua spes fore ut prosit, non est omittenda correctio, ita Layman, sed si omnino desperetur fructus, dicunt iidem citati aa. Laym. Castr. Salm. cum Croix et Aver. quod confessarius tacere debeat usquedum impetrabit dispensationem (3).

114. Sed hic congruit loqui de quodam casu facilis eventus, et difficilis resolutionis. Quomodo se gerere debeat confessarius, si sponsis in ecclesia jam paratis pro celebrandis nuptiis, alter eorum in confessione aperiret impedimentum occultum, et non possit sine infamia, aut scandalo matrimonium differre? Nonnuli dd. suadent ut pœnitens voveat castitatem, saltem ad tempus, ut possit in differendo matrimonio hæc causa proponi. Sed merito dicunt Ronc. et Instructor *pro nov. Confes*, quod hoc remedium periculo non caret, quia faciliter potest pro prætextu cognosci. Alii autem tenent permittendum esse tale matrimonium, quin aliquid ei dicatur. Sed valde probabiliter, et communissime docent Suar. Pignat. Cab. Sanch. Bonac. Roncag. Salmant., etc. cum Benedicto XIV. (4) quod in tali casu, et in tali rerum angustia potest dispensare Episcopus; et hanc facultatem, dicunt Sanch. Ronc, Castrop. Coninch. Vasq. Val. Salm. Elbel, etc. Episcopum posse aliis etiam delegare, etiam generaliter, dum annexa est officio episcopali. Imo dicunt, et quidem non sine fundamento, Ronc et Instructor, præfatus cum auctoritate Pignat. quod, cum in hoc casu lex impedimenti reddatur nociva, posset parochus aut alter confessarius prudens declarare talem legem non obligare. Advertunt tamen pro majori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiæ leges recurri debere ad sacram Pœnitentiariam, ut ab ea obtineatur dispensatio (5).

115. Hinc infertur 2. cum Cano Suar. Ponc. Laym. Sanch. Lug. Vasq. Coninch. Ronc. Salm. et aliis etiam communiter, quod ubi omnino desperetur fructus, omittenda est etiam admonitio alicujus restitutionis faciendæ, quia evitari debet prius dam-

(1) L. 6. n. 611. — n. 611.

(3) N. 612. — (4) De Synod. l. 9. c. 2. n. 2. — (5) L. 6. n. 613.

num spirituale proximi; quam temporale alterius. Et idem dicunt Suar. Lugo Sanch. Laym. Ronc. Vasq. Castrop. Salm. si ex admonitione timeantur scandala, infamiæ, aut rixæ ; quia semper melius est malum formale avertere, quam materiale (1). Animadvertunt tamen Ronc. et Viva cum Laym. non ita facile judicari debere pœnitentem cognita veritate parere nolle ; et si non statim, saltem cum animi commotio sedata erit. Imo ait Lugo cum aliis admonitionem non esse omittendam, licet scandalo futura sit, cum spes fulget scandalum brevi fore ut cesset ; sed hæc doctrina intelligi debet sicut docet Benedictus XIV., nempe quod locum habeat in casu quo, tacente confessario, peccator in malo obfirmaretur, cum scandalo aliorum; aut cum pœnitens in proxima versatur occasione peccatorum saltem cogitationis, quibus olim solitus fuit assentiri (2). Animadvertunt contra Lugo Tamb. et Busemb. confessarium posse relinquere pœnitentem in bona fide, et differre ad tempus opportunius admonitionem, si pro tunc timet, ne æquo animo eam haud ferat (3).

116. In duobus tamen casibus omittendum non est quin confessarius veritatem pœnitenti aperiat. Primus, quando pœnitens eum interrogaret: quia tunc procul dubio confessarius veritatem ei aperire debet, dum non esset amplius nunc invincibilis ignorantia (4). Secundus casus est, cum ex ejus ignorantia damnum spirituale communitati futurum fuisset, ut docent communiter Lugo Busem. Avers. Salm. Dicast., etc. . . quia tunc confessarius admonere tenetur pœnitentem, licet admonitio pro tunc ei scandalo sit; nam talis pœnitens , cum videat a nemine se absolvi, nisi resipiscat, speratur fore ut saltem intra aliquod temporis emendetur; contra non obstat quod pro illo tunc admonitio sit ei occasio ruinæ, quia confessarius est minister non tantum constitutus pro consulendo bono particularium pœnitentium, sed etiam pro bono totius reipublicæ christianæ, ideoque præferre debet bonum commune bono privato sui pœnitentis. Omnino igitur a confessario admonendi sunt principes, gubernatores, prælati, parochi, et confessarii, qui officio suo desunt, sive injuste administrando justitiam, sive eligendo indignos ministros, sive conferendo officia aut beneficia indignis, sive in vana impendendo fructus suorum beneficiorum cum scandalo aliorum, aut indebite Sacramenta ministrando; nam ignorantia istorum difficulter erit invincibilis, et licet esset invincibilis, semper damnum afferret communitati, saltem ob scandalum, dum alii de facili putant esse licitum quod vident facilitari a Superioribus. Et sicut docet Benedictus XIV. in laudata Bulla *Apostolica*, idem practicandum est cum iis qui Sacramenta frequentant, ne alii ab eis pravum sumant exemplum (6). Quid autem faciendum sit a confessario in dubio, utrum correctio profutura, an nocitura sit; dicunt Lugo Dicast. Salm. etc. tunc librandum esse timorem damni et spem utilitatis, et eligendum quod videtur præponderantius. Cæterum, regulariter loquendo, in dubio semper potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia ; idem Conc. loquendo de correctione fraterna, dicit quod in dubio utrum illa profutura an obfutura sit, omittenda illa est, quia imprudenter operatur (sic ille scribit) qui dubitando, se conjicit in periculum causæ esse proximo alicujus peccati (7).

117. V. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem cum est dispositus. Circa hanc dispositionem multa advertenda sunt. 1. Perpaucos esse

(1) N. 614. v. infertur 2. et 3 — (2) N. 616. v. excip. 3. — (3) N. 609. 9. v. si etiam. — (4) N. 616. v. excip. 3. — (5) N. 615.

(6) Lib. 6. n. 615. v. excipe tamen. — (7) N. 616. v. utrum.

pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu dôloris ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogent: *Eia, postulasne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus actus doloris): *Te pœnitet ex corde omnium peccatorum?* et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Aliud sane est bonorum confessariorum institutum; hi enim inprimis elaborant, ut pœnitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant, et prius per attritionis actum eos præparent, v. gr. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in æternum?* in inferno. *In illo igne semper cruciandus esses... Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses. Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus a Deo rejectus per totam æternitatem... Igitur tene pœnitet Deum offendisse propter infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis, si quis diceret, se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet ut dicat se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea ouret ut eliciatur actus contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinite bonum: nullam illius rationem habuisti: avertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam et gratiam ejus: ecia ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam nunc ex toto corde te pœniteat. Detestare, e odio habe super omnia mala omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti: nonne jam promptus es mities mori, potius quam hæc in posterum committere?* Advertendum 2. regulariter loquendo teneri confessarium absolvere dispositos, sed posse etiam absolutionem differre eis, cum cognoscit id expedire, ut docent communiter dd (1). An autem hoc expediat nec ne facere sine pœnitentis consensu, vide dicenda *Tract. ult. punct.* 2. cum sermo erit de recidivis. Advertendum 3. confessarium certum fieri debere de pœnitentis dispositione, ut possit eum absolvere, dum actus pœnitentis (in quibus consistit dispositio) sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ; sed sicut in cæteris Sacramentis, quia materia est physica, physica debet esse etiam certitudo; ita in hoc quia materia est moralis (cum sit interna, adeoque parum sensibus perceptibilis), sufficit certitudo moralis; juxta regulam s. Thom. (2), qui dicit: *Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum*: unde sufficit confessario pro absolutione impertienda, *ut prudens judicium probabile de pœnitentis dispositione habeat*, ut scribit Instructor Confess. nov. (3), quin obstet aliqua prudens suspicio in contrarium de dispositione. Idem dicunt p. Card. p. Mazzot. et p. Suar. qui ita scribit: *Sufficit ut confessarius prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispositum.* Idem docet Catech. rom. (*de Pœnit. part* 2. *n.* 82. *v. nota*): *Si audita confessione* (sacerdos) *judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ita que juxta Catechismum absolvere potest pœnitentem, quoties non judicat ei omnino defuisse dolorem; nam cæteroquin præsumendus est adfuisse in pœnitente qui jam confessus est (4).

118. Hic occurrit loqui de illa magna quæstione hodie adeo controversa inter dd., an confessarius possit et debeat absolvere eum qui vult sequi aliquam opinionem quam probabilem judicat, licet confessarius uti talem non habeat? Si pœnitens est indoctus, adeo ut nequeat sibi formare conscientiam rectam ex probabilitate illius opinionis, certum est tunc eum non posse absolvi. Sed dubium restat cum pœnitens est capax sibi formandi conscientiam rectam, an possit et debeat confessarius eum absolvere? Negant Fagn. Eliz. Antoîne et alii rigidioris sententiæ fautores, dicentes in Sacramento Pœnitentiæ confessarium esse judicem et pœnitentem debere stare judicio judicis sui. Sed sententia communis docet confessarium in eo casu posse et debere absolvere sub gravi (saltem si confessio facta fuerit de materia gravi, dum dicunt Suar. Sanch. etc. (1) negare absolutionem de materia levi non excedere veniale). Ita Navar. Sot. Azor. Suar. Salm. Med. Castrop. Valent. Sayr. Vasquez Laym. Roncagl., etc., et in hoc consentiunt etiam aa. probabilioristæ, ut Wig. Pontas Victoria et Cabass; sed præcipue notandum est quod docent Nav. et s. Antoninus. Navar. (2) dicit: *Si sint contrariæ doctorum opiniones; et* (confessarius) *credit evidenti se textu vel ratione niti, pœnitentem dubia, non debet eum absolvere; at si confessarius non adeo forti ratione utitur, vel pœnitens utitur pari vel fere pari, et habeat aliquem pro se doctorem clarum, poterit eum absolvere, ut post Adrianum tenuimus c. Si quis d.* 7. *n.* 66. Audiamus etiam s. Antoninum (3): *Caveat confessor, ne sit præceps ad dandam sententiam de mortali, quando non est certus, et clarus; ubi... sunt variæ opiniones... consulet quod tutius est; non tamen contemnet contrariam opinionem tenentem, ne propter hoc* (nota) *denegel absolutionem.* Excipit tamen postea: *Si autem omnino conscientia confessarii dictaret illud esse mortale*, quod est idem quod dicit etiam Navar., et quod nos pariter hic infra advertemus, nempe cum pœnitentis opinio confessario omnino falsa videtur. Confirmat postea alibi (4) s. Antoninus quod supra retulimus, dicendo, *Si credit* (confessarius) *quod sit peccatum, debet ei conscientiam facere: sed dato quod ille non vellet cognoscere illud esse peccatum, nihilominus tenetur eum absolvere*: hoc cum grano salis intelligendum est. nempe cum pœnitens tenet suam opinionem fundamento valido esse innixam; et contra confessarius eam pro omnino falsa (ut dictum est) non habet, dum subjungit immediate post Sanctus: *Quia ex ratione et non ex protervia hæc opinio est.* Idem dicit s. Raymundus (5): *Unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus judicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam..., alias possent induci homines in desperationem.* Idem quoque dicit doctissimus Sylvius (6) loquendo de superfluo mulierum ornatu: *Si confessarii non possint clare percipere, utrum sibi sit mortale aut veniale, persuadeant ut pœnitens abstineat: si tamen nolit, non ei faciant conscientiam de mortali, neque absolutionem negent.* En quomodo loquuntur uniformiter auctores tam antiqui quam moderni.

119. Ratio autem est hujus sententiæ, quia pœnitens, facta confessione, habet jus certum et strictum ad absolutionem; unde confessarius gravem illi irrogat injuriam, quoties pœnitentis opinio ei non videtur omnino falsa. Nec valet dicere quod pœnitens non est dispositus, cum sequi renuit confessarii judicium; nam respondetur quod confessarius non est judex opinionum quas pœnitens sequi teneatur, sed tantum dispositionis sui pœnitentis, ut patet ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. ubi dicitur: Sacerdotes in hoc tantum sunt judices, in quantum ipsi, auditis peccatis, debent impertiri aut denegare absolutionem pœnitentibus pro eorum dispositione. et eis pro modo culpæ

(1) N. 462. — (2) 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2. — (3) Instruct. p. 1. c. 15. n. 360. — (4) L. 6. n 57 et 461.

(1) N. 604. (2) Man. cap. 26. n. 4. — (3) Part. 3. tit. 17. cap. 16 § 2.

(4) Part. 3. tit. 10. c. 20. in fin. — (5) L. 3. de Pœnit. §. 21. — (5) 2. 2. q 154. a. 2.

pœnitentiam imponere: *Dominus noster I. C... sacerdotes...*(verba Trident.) *reliquit præsides, et judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur... qui, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiarent* etc. Itaque in quantum ad opiniones quæ ad pœnitentis dispositionem pertinent, aut in quantum ad administrationem Sacramenti (v. g. si confessarius judicaret se jurisdictione carere super tali casu) pœnitens confessarii judicio stare debet. Sed in quantum ad alias opiniones quæ respiciunt pœnitentium obligationes generales, confessarius non est judex, nec potest eum obligare ad suas sequendas opiniones, imponendo ei tot novas leges ad quas prius non tenebatur, adeo ut ad recipiendam absolutionem teneatur a suis desciscere opinionibus ipsi probabilibus visis, et forte probabilioribus. Contra pœnitens cum peccata sua confessus sit, et cum habeat sufficiens fundamentum, quo licite possit aliquam sententiam sequi, non potest confessarius sine gravi injustitia absolutionem ei denegare, nisi cum illam opinionem omnino falsam habet (1). Dico *omnino falsam*, nam licet dicant Lugo Laym. Sanch. et Croix cum Suar. et Carden. confessarium teneri absolvere pœnitentem, licet illius opinionem pro falsa haberet: et idem dicit Sotus: *Quis sacerdos existimet opinionem esse falsam, non tamen inde existimare debet sibi non licere ipsum absolvere, siquidem propter probabilitatem excusabitur ille a culpa.* Nihilominus hoc intelligendum est, ut scite explicat Sanch., cum illa opinio jam probabilis existimata esset inter dd. auctoritatis probatæ, et aliquam (addendum est) verisimilitudinem haberet; non vero quando confessarius ex opinione propria aliquod haberet principium, cui sibi videretur nulla responsio congrua dari posse et contra cognosceret pœnitentis opinionem (licet ab aliquibus dd. defensam) falso fundamento inniti: quia tunc dico cum Nav. et s. Antonin. (verba cujus superius relata sunt) non posse, nec debere absolvi pœnitentem, nisi a sua opinione desciscaret. Certum in controversia præfata, ubi altera sententia (sed paucorum) affirmat peccare confessarium si absolvit pœnitentem sequi volentem opinionem, quæ non videtur omnino falsa, adversus suam: altera vero (quæ communis, et tantorum aa. modernorum, et antiquorum) dicit peccare, si non absolvit, ubi ejus confessionem suscepit; non video quomodo tutus esse possit in conscientia ille confessarius, qui ei denegat absolutionem. (2). Quomodo autem se gerere debeat confessarius in opinionum delectu, et an uti debeat rigidioribus, an benignioribus, vide dicenda *Append.* 4. §. 1. ubi loquar de prudentia confessarii.

120. Præterea quæritur, quomodo se gerere debeat confessarius cum pœnitente, cujus suspicatur, aut scit aliquod peccatum, quod ipse negat, aut reticet? distinguendum est: Si extra confessionem, et ex scientia propria, certum est quod tunc non potest eum absolvere; modo prudens non adsit dubium, quod pœnitens de illo jam apud alium confessus sit. Si vero dumtaxat suspicatur, aut scit ex aliorum relatione, et pœnitens illud negat, plerumque non potest ei tunc denegari absolutio, dum in hoc foro credendum est pœnitenti tam pro, quam contra. Attamen absque non est quod dicit Elbel, quod si confessarius audiret peccatum a testibus ita fide dignis, ut moraliter fieret certus, non debet ei absolutio impertiri; quia regulæ locus est in dubio, non autem in facto moraliter certo (3). Si vero confessarius cognovit peccatum ex confessione complicis, tunc prius non potest utique de eo in particulari interrogare pœnitentem, nisi

(1) L. 6. n. 60.

(2) L. 6. n. 604. v. cæterum. — (3) N. 631.

specialem obtinuisset licentiam ab altero complice; sed tantum potest interrogare in generali: et pariter in hoc non debet esse multus in repetendis interrogationibus ut revelationis periculum vitet. Nihilominus probabiliter dicunt Laym. Silvest. Navar. Spor. et Holzm. quod potest aliquam interrogationem etiam particularem adhibere, si illa communiter fieri solet personis talis conditionis, v. g. sponsis, si inter se nimis confidenter usi sint: servis, si aliquid dominos defraudaverint, etc. Sed difficultas major extat, an absolvendus sit complex, cum his adhibitis diligentis, ille tacet peccatum? Alii affirmant absolvendum esse conditionate; alii absolute; sed melius sentiunt Suar. Dicast. Croix Viva etc., quod cum confessarius moraliter certus est pœnitentem sacrilege occultare peccatum, non potest eum absolvere, sed voce submissa debet aliquam recitare orationem ad occultandam absolutionem, quam ei denegat (1). Quoad autem obligationem qua tenetur confessarius esse in gratia cum audit confessiones, aut saltem cum impertitur absolutionem; et an excusetur in casu extremæ necessitatis; vide dicenda in *Append.* 3. *de examine Ordinand. n* 11.

121. VI. Tenetur confessarius ad corrigendos errores quos in excipiendis confessionibus commisit, aut in danda absolutione. Sed hic plura distinguenda sunt: 1. Cum erravit circa Sacramenti valorem. v. gr. si absolutionem non protulit, aut si eam carens jurisdictione impertitus est: tunc, si ille erravit inculpabiliter, non tenetur cum suo dedecore, aut alio gravi incommodo pœnitentem admonere: quia talis admonitio est solius charitatis, quæ ad tantum non obligat; ita commun. Lugo Salm. Spor. Viva Elbel et alii. Excipitur si talis confessarius esset parochus, aut si pœnitens esset in mortis articulo, aut in gravi periculo non amplius confitendi constitutus. Si vero erravit ex culpa gravi; quæritur 1. an teneatur ad admonitionem cum suo gravi incommodo? Negant Bonac. Suar. s. Anton. Navar, ; et id probabile vocant Salmant. cum Vasquez Hurtad. etc., tum quia (dicunt) non videtur tale præceptum cum tanto onere obligare, cum hoc Sacramentum a sola charitate administratur; tum quia sicut pœnitens non teneretur cum tali gravamine ad confitendum; ita nec confessarius tenetur ad efficiendum ut talis confessio valida fiat. Sed recte affirmant Lugo Tamb. Leand. Sporer Viva et Elbel, quia licet confessarius ex charitate confessiones excipiat, semper tamen ac eas suscipit, tenetur postea ex quasi-contractu ad Sacramentum administrandum modo quo debet; et sic 1. rationi satisfit. Respondetur ad 2. aliam esse pœnitentis obligationem ab illa confessarii; quia si pœnitens nosset suæ confessionis invaliditatem, poterit saltem postea per contritionem, aut per aliam confessionem malo suo prospicere, sed confessarius non potest eum in ignorantia relinquere cum tanto illius damno (2).

122. II. Si confessarius sua gravi culpa pœnitentem a restitutione deobligavit, tunc tenetur etiam cum suo gravi incommodo (licentia tamen ab eo petita) eum admonere; alias admonitionem omittendo tenetur ipse ad restitutionem: intelligitur, quoties si tempore debito pœnitentem admonuisset, jam ille restituisset; ita communiter Lugo Castrop. Bonac. Viva Spor. Salm. Elbel, etc. Et scite hic advertunt Lugo Bonac. et Busem. quod si confessarius jam admonuisset pœnitentem priusquam impotens fieret, tunc licet pœnitens non restituisset, ad nihil ipse tenetur; quia cum consilium sit mere auctoritativum, sufficit quod confessarius tempore opportuno illud revocet.

(1) N. 631. v. si autem.

(2) L. 6. n. 619.

juxta dicta *Tract.* 10. *n.* 44. *et seq.* Dicitur *tempore opportuno*, quia si forte pœnitens tempore confessionis erat dispositus ad restitutionem, si admonitus fuisset, et postea facta sibi admonitione nollet restituere, tunc recte dicit de Lugo (quidquid Antoine dicat) confessarium ipsum teneri ad restituendum, quia tunc ejus consilium jam fuit proxima causa damni (1). Sin autem confessarius graviter in hoc non peccavit, non tenetur ad admonitionem cum suo gravi incommodo, sed tenetur cum aliquo levi incommodo, ut dicunt Lug. Spor. Elb. etc. quia quilibet tenetur cum levi suo incommodo ad reparandum, cum potest, damnum grave proximi (2). Sed hinc quæritur an confessarius in tali casu admonitionem omittendo teneatur ad restituendum? Negant Sanch. Cajet. et Navar. dicentes quod cum confessarius non læserit justitiam, non tenetur ad admonitionem, nisi ex charitate quæ non obligat ad restitutionem. Sed communius et melius affirmant Lug. Spor. Salm. Elb. Viva Arriag etc., quia ejus consilium (licet inculpabiliter datum) prosequitur ad influendum in creditoris damnum : quare cognito errore, tenetur ex justitia ad removendam damni causam (3) ; non secus ac si quis sine culpa gravi incendisset domum proximi, si potest sine gravi incommodo, tenetur ex justitia ad ignem extinguendum, sicut communiter dicunt Less. Laym. Lugo Bonac. Trul. Salm. etc. (4).

123. III. Quando autem confessarius non jam deobligasset pœnitentem a restitutione, sed tantum omisisset eum admonere, tunc si inculpabiliter omisit, non tenetur cum gravi suo incommodo ad eum admonendum, ut supra dictum est ; sed tenetur etiam cum aliquo incommodo, ut dicunt dd. cum aliquali proportione ad reparandum damnum creditoris. Sivero neglexit sua culpa gravi, tunc tenebitur admonere cum majori incommodo. Sed hic præterea quæritur an confessarius, omissa debita correctione teneatur ad restitutionem ? Multi multa sentiunt. Alii affirmant de quolibet confessario, quia quilibet confessarius (ut dicunt) tenetur ex officio pœnitentem docere de sua obligatione ; ita Mol. Vasq. Navar. Sayr. Filliuc. etc., alii affirmant de solo parocho, ut Less. et Antoine, affirmando quod parochus teneatur impedire quominus subditi sui damnum aliis inferant. Sed universaliter id negat sententia communissima et verior cum Cabass. Azor. Suar. Castrop. Sanch. Bonac. Lug. Valenz. Coninch. Salm. Croix etc., et ratio est quia confessarius licet teneatur ad monendum pœnitentem ; sed ex sola charitate, non ex justitia ; et loquendo etiam de parocho, licet ex justitia teneatur ad monendos subditos, talis obligatio tamen versatur tantum circa eorum bona spiritualia, non autem temporalia. Et hoc currit, etiamsi confessarius aut parochus ex malitia admonitionem negligeret, ne pœnitens restitueret ; quia tunc deest influxus positivus in alterius damnum, qui semper requiritur pro restitutionis obligatione, sicut dictum est *Tr.* 10 *n.* 36. (5).

124. Restat hic discutienda magna quæstio, quæ inter dd. agitatur, nempe an confessarius, non petita licentia pœnitentis, possit eum admonere de errore in confessione commisso. Nos paucis expediemur. Affirmant universaliter loquendo Suar. Petrecor, et Spor., et probabile putant Laym. Castrop. Bonac. Salm. etc., dum dicunt hanc admonitionem spectare ad perficiendam confessionem, quæ imperfecta relicta est. Sed nos dicimus cum sententia communissima, quod distinguendum est : Si judicium completum est per absolutionis collationem, tunc non potest confessarius sine pœnitentis licentia cum eo de

(1) N. 621. v. sed quid. — (2) Ib. v. hoc. — (3) N. 621. v. an autem. — (4) L. 3 n. 994.

(5) L. 6. n. 621.

errore colloqui ; quia talis admonitio esset exprobratio illius peccati, quæ confessionem redderet odiosam; ita Sot. Silv. Sanch. Valent. Graf. Diana Reginald. Megal. Croix etc. cum de Lugo ; qui dicit contrariam repugnare theologorum communi sensui. Secus autem, ut recte dicunt Croix Stoz et Arriaga, si confessarius non adhuc absolutionem impertitus fuisset, quia tunc judicium non est adhuc absolutum ; aut si non recte protulerit absolutionem, tunc bene posset pœnitentem admonere, siquidem tunc nulla evenit peccati exprobratio (1).

125. VII. Loquamur denique de obligatione quam habent sacerdotes de administrando Pœnitentiæ Sacramento. Sacerdotes simplices regulariter loquendo non tenentur ad illud ministrandum, nisi in casu extremæ necessitatis. Parochi vero tenentur toties quoties rationabiliter expetiti sunt a subditis, qui opportune illud petunt. Vide dicta *Tract.* 7 *n.* 24. Sed hic quæritur 1. an sacerdos simplex aut simplex confessarius (quia quoad parochum vide dicta *Tract.* 7. *n.* 28.) teneatur cum periculo vitæ ad absolvendum moribundum in peccato mortali existentem ? Negant Sot. Sa Navar. Coninch., et Lugo probabile putat, dum ille potest per contritionem sibi consulere ; excipit tantum Coninch. si moribundus ea laboraret ignorantia, ut nesciret elicere actum contritionis. Sed sententia verior affirmat cum Suar. Tourn. Lorca et Valent., quia licet possit moribundus per contritionem supplere, tamen cum hæc sit difficilis, negari non potest quin, si inabsolutus relinquitur, in magno suæ damnationis periculo manserit. Unde fit quod sicut in casu quo proximus sine tua absolutione certe peribit, teneris ad mortem certam subeundam, ut eum absolvas : ita in casu quo ille in probabili damnationis periculo manet, teneris te exponere probabili periculo mortis; nam in æquali periculo quisque tenetur post ponere vitam temporalem suam vitæ æternæ proximi (2).

126. Quæritur 2. an sacerdos simplex teneatur se habilem reddere pro excipiendis confessionibus, cum videt indigenas suos esse in gravi necessitate spirituali ob confessariorum penuriam ? Apud nullum auctorem de re morali tractantem hoc dubium inveni discussum ; tantum ad manus mihi pervenit quidam libellus, cui titulus (*Parroco di Villa p* 308.)., cujus auctor est R. D. Joseph Jorio, cujus doctrinam ac pietatem varia opuscula, quæ edidit, satis comprobant ; ibi ex Italico hæc transcribo : *Qui solertia pro audiendis confessionibus pollet, et observat in suo oppido confessariorum penuriam, et videt, aut non frequentari, aut male haberi tale Sacramentum, tenetur illud administrare. Et, si ætate non multum processit, tenetur in conscientia ait se habilem reddendum.* Affert idem auctor auctoritatem P. Pavonis, Societ. Jesu, viri admodum docti et pii, qui in suis operibus italicis sic scribit : *Munus meum, qui sacerdos vocor, est me Prælato meo parere, cum mihi imponit ut confessionem excipiam, et legitimo impedimento non præpedior : quia Prælatus potest id mihi præcipere, et ego nullam rationem habeo ut talentum otiosum teneam, etc. Insuper mihi inest debitum me Episcopo offerendi, ut facultatem confessiones audiendi ab eo expostulem., cum animadverto in gravi necessitate esse populum ob confessariorum deficientiam.* Et revera (subjungo hic aliquas reflexiones quas animo rependi super hoc puncto, cui parum sacerdotes animum intendunt) certum est sacerdotes esse a Deo electos non solum ut sacrificent, sed etiam principaliter esse constitutos, ut animarum saluti incumbant ; sicut enim divinus Pater misit Filium suum pro mundi salute,

(1) N. 622.

(2) N. 624.

ita Christus Dominus constituit sacerdotes in suum locum suffici, ut pro se legatione fungerentur : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Jo.* 20. 21. Quapropter sacerdotes vocantur, nunc lux mundi, nunc sal terræ, nunc Dei coadjutores. Idcirco etiam Trid. *sess.* 23. *c.* 14. præcipit ut promovendi ad præsbyteratum prius *ad docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac* (nota) *ad ministranda Sacramenta... idonei comprobentur.* Et s. Thomas (1) dicit, quod Dominus ad hunc finem instituit Ordinem sacerdotum in sua Ecclesia, ut ipsi Sacramenta aliis ministrent : *Et ideo posuit Ordinem in ea ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Præcipua autem obligatio sacerdotum est circa administrationem Sacramentorum Eucharistiæ, et Pœnitentiæ, dum ideo duplex eis confertur potestas sacrificandi nempe, et absolvendi a peccatis. Et animadvertatur quod Dominus Spiritum sanctum in sacerdotes infudit præcipue, ut absolvant a peccatis, prout legimus apud Joan. loc. cit. v. 22 et 23. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Itaque cum hoc sit sacerdotum præcipuum munus, et unus ex principalibus finibus, cur Deus eligit aliquem ad sacerdotium, dico quod sacerdos tenetur ad se habilem reddendum ad illud, saltem cum necessitatem cognoscit ob aliorum deficientiam, ne ab Apostolo exprobretur quod in vacuum gratiam recepit,

127. Hoc posito quomodo excusabitur a peccato ille sacerdos, qui sua socordia negligit audire confessiones, aut se habilem reddere ad illas audiendas, cum videt gravem necessitatem, qua oppidum suum premitur? Ego nescio quomodo iste possit non exprobrari a Domino, et immunis esse a pœna quam minatus est in servum pigrum, qui talentum datum negotiationi abscondit, ut habetur ex Matth. 25. 25. *et seqq.* qui textus ab expositoribus (Corn. a Lapide Calm. et Tirino, cum Ambrosio) explicatur proprie de iis qui opera sua procurare possunt, et negligunt salutem animarum : *Notent hoc* (ait Cornelius) *qui ingenio, doctrina, aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam, vel metum peccandi ; ab his enim rationem poscet Christus Dominus in die judicii.* Admodum terrore plenæ sunt comminationes Domini in negligentes sacerdotes : *Si me dicente ad impium, impie, morte morieris ; non fueris loculus... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. 8. Nec dicant hujusmodi sacerdotes obligationem suam satis explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando; non sufficit, dico ; quia ipsi tenentur succurrere proximis in eo quod ipsis opus est ad salutem. Si frater ciborum opus habet, non sufficit eum de vestibus providere. Sæpe accidit in oppidulis quod plures forte non egent instructione, aut monitione, quia forte jam sunt satis instructi et correcti, sed deest ipsis sacerdos qui eorum confessiones excipiat. Nec valet dicere officium audiendi confessiones esse opus charitatis, et charitatem non obligare cum tanto incommodo, quia est labor insumendus pro acquirenda scientia requisita ad Pœnitentiæ Sacramenti administrationem; quia respondetur, quod licet tale exercitium sit charitatis, nihilo minus est munus quod ortum non habet a simplici charitatis motivo, sed ex officio proprio sacerdotali (ut dictum est) cui ex divina institutione hoc munus adnexum est, et cui sacerdos satisfacere tenetur, cum id populi necessitas expostulat. Denique neminem juvat se excusare allegando insufficientiam et imbecilitatem suam ; quoad insufficientiam, suppositis antea dictis, ille tenetur ad studendum, et ad se idoneum efficiendum ; quoad autem imbecillitatem, qua quis putaret cum merito excusari, nempe cum humilitatis sensu; audiat quid dicit s. Franciscus Salesius. Sanctus appellat falsam humilitatem eorum qui recusant saluti animarum vacare, sub colore quod propriam debilitatem cognoscunt. Dicit totum hoc esse artificium amoris proprii, et humilitatis perversæ, qua prætenditur propriam socordiam specioso prætextu colorare. Subjungit quod Deus, nobis aliquid ingenii concedendo, intendit ut nos illo utamur ; unde vere humilem se ostendit qui illo utitur, et obedit. Superbo nihil audendum est assumere, tanquam sibi fidenti ; humilis contra animo magno esse debet, quia non suis viribus innititur, sed spem in Deum collocat, cui placet suam Omnipotentiam exaltare nostra imbecillitate ; et ideo concludit, humilem omnia aggredi posse.

(1) Suppl. q. 34. a. 4.

CAPUT. VII.

De casuum reservatione.

128. *Reservatio est jurisdictionis restrictio.*
129. *Ignorantes non excusantur a casu, bene quidem a censura. Differentia inter casus papales, et episcopales.*
130. *Qui reservare possit, etc. De casibus Regularium.*
131. *De reservatione injusta; et an Superior absolvendo possit ad alium remittere pro non reservatis, etc.*
132. *An peccata venialia, aut interna, aut non consummata, etc.*
133. *Quando inferior potest absolvere, etc., et an pœnitens debeat se præsentare, etc.*
134. *Si injuste negatur facultas, etc. Si negatur a Prælato regulari.*
135. *De peregrinis, quando casus est reservatus tantum extra, aut tantum in patria.*
136. *Quomodo intelligendum. Inaudem reservationis.*
137. *An qui peccat in patria possit absolvi extra illam ab habente facultatem.*
138. *An possit absolvi in patria qui peccat extra ? Et an peccans in patria, possit absolvi a censura extra illam ? Et an peccans extra, incurrat censuram ibi reservatam?*
139. *Qui recipit in bona fide absolutionem a simplici confessario.*
140. *Qui obliviscitur de reservato apud Superiorem. etc.*
141. *An ex confessione nulliter facta apud Superiorem, etc.*
142 *An simplex possit absolvere dubie reservatum.*
143. *Qui post confessionem cognoscit pro certo reservatum.*
144. *Qui peccat in confidentiam licentiæ.*
145. *An licentia extendatur ad peccata post illam commissa.*
146. *De facultatibus Episcoporum, et regularium remissive.*

128. Reservatio casuum definitur : *Est negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum.* Hinc notandum 1. communissimam sententiam esse cum Sanch. Castrop. Holzm. Tamb. Wigandt Coninch. Antoine Fagnan Croix et aliis (contra Ronc. Salmant. Ciera etc.) ignorantes non excusari a reservatione, licet invincibiliter eam ignorassent ; quia reservatio non est pœna quæ respicit peccatores, ut supponunt adversarii, sed est restrictio jurisdictionis respectu confessariorum ; et hoc aperte præcipitur a Trident. *ses.* 14. c. 7. ubi dicitur : *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam* (nota) *non habet jurisdictionem.* Unde concludit quod *sacerdotes nihil possint in reservatis*. Nec valet dicere cum Salm. et Ronc. quod licet reservatio directe respiciat confessarios, et limitet eorum facultatem, attamen finis reservationis respicit pœnitentes, ut a peccatis reservatis exterreantur ; unde fit quod, cessante fine adæquato in ignorantibus, cessat etiam reservatio. Quia respondetur quod finis reservationis est non solum ut fideles avertantur a reservatis, sed etiam (ut dicunt Fagnan. et alii) ut prolapsi convenientes recipiant pœnitentias, admoniones, et remedia quæ non conveniunt

ita Christus Dominus constituit sacerdotes in suum locum suffici, ut pro se legatione fungerentur : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Jo.* 20. 21. Quapropter sacerdotes vocantur, nunc lux mundi, nunc sal terræ, nunc Dei coadjutores. Idcirco etiam Trid. *sess.* 23. *c.* 14. præcipit ut promovendi ad præsbyteratum prius *ad docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac* (nota) *ad ministranda Sacramenta... idonei comprobentur.* Et s. Thomas (1) dicit, quod Dominus ad hunc finem instituit Ordinem sacerdotum in sua Ecclesia, ut ipsi Sacramenta aliis ministrent : *Et ideo posuit Ordinem in ea ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Præcipua autem obligatio sacerdotum est circa administrationem Sacramentorum Eucharistiæ, et Pœnitentiæ, dum ideo duplex eis confertur potestas sacrificandi nempe, et absolvendi a peccatis. Et animadvertatur quod Dominus Spiritum sanctum in sacerdotes infudit præcipue, ut absolvant a peccatis, prout legimus apud Joan. loc. cit. v. 22 et 23. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Itaque cum hoc sit sacerdotum præcipuum munus, et unus ex principalibus finibus, cur Deus eligit aliquem ad sacerdotium, dico quod sacerdos tenetur ad se habilem reddendum ad illud, saltem cum necessitatem cognoscit ob aliorum deficientiam, ne ab Apostolo exprobretur quod in vacuum gratiam recepit,

127. Hoc posito quomodo excusabitur a peccato ille sacerdos, qui sua socordia negligit audire confessiones, aut se habilem reddere ad illas audiendas, cum videt gravem necessitatem, qua oppidum suum premitur? Ego nescio quomodo iste possit non exprobrari a Domino, et immunis esse a pœna quam minatus est in servum pigrum, qui talentum datum negotiationi abscondit, ut habetur ex Matth. 25. 25. *et seqq.* qui textus ab expositoribus (Corn. a Lapide Calm. et Tirino, cum Ambrosio) explicatur proprie de iis qui opera sua procurare possunt, et negligunt salutem animarum : *Notent hoc* (ait Cornelius) *qui ingenio, doctrina, aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam, vel metum peccandi ; ab his enim rationem poscet Christus Dominus in die judicii.* Admodum terrore plenæ sunt comminationes Domini in negligentes sacerdotes : *Si me dicente ad impium, impie, morte morieris ; non fueris loculus... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. 8. Nec dicant hujusmodi sacerdotes obligationem suam satis explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando; non sufficit, dico ; quia ipsi tenentur succurrere proximis in eo quod ipsis opus est ad salutem. Si frater ciborum opus habet, non sufficit eum de vestibus providere. Sæpe accidit in oppidulis quod plures forte non egent instructione, aut monitione, quia forte jam sunt satis instructi et correcti, sed deest ipsis sacerdos qui eorum confessiones excipiat. Nec valet dicere officium audiendi confessiones esse opus charitatis, et charitatem non obligare cum tanto incommodo, quia est labor insumendus pro acquirenda scientia requisita ad Pœnitentiæ Sacramenti administrationem; quia respondetur, quod licet tale exercitium sit charitatis, nihilo minus est munus quod ortum non habet a simplici charitatis motivo, sed ex officio proprio sacerdotali (ut dictum est) cui ex divina institutione hoc munus adnexum est, et cui sacerdos satisfacere tenetur, cum id populi necessitas expostulat. Denique neminem juvat se excusare allegando insufficientiam et imbecilitatem suam ; quoad insufficientiam, suppositis antea dictis, ille tenetur ad studendum, et ad se idoneum efficiendum ; quoad autem imbecillitatem, qua quis putaret cum merito excusari, nempe cum humilitatis sensu; audiat quid dicit s. Franciscus Salesius. Sanctus appellat falsam humilitatem eorum qui recusant saluti animarum vacare, sub colore quod propriam debilitatem cognoscunt. Dicit totum hoc esse artificium amoris proprii, et humilitatis perversæ, qua prætenditur propriam socordiam specioso prætextu colorare. Subjungit quod Deus, nobis aliquid ingenii concedendo, intendit ut nos illo utamur ; unde vere humilem se ostendit qui illo utitur, et obedit. Superbo nihil audendum est assumere, tanquam sibi fidenti ; humilis contra animo magno esse debet, quia non suis viribus innititur, sed spem in Deum collocat, cui placet suam Omnipotentiam exaltare nostra imbecillitate ; et ideo concludit, humilem omnia aggredi posse.

(1) Suppl. q. 34. a. 4.

CAPUT. VII.

De casuum reservatione.

128. *Reservatio est jurisdictionis restrictio.*
129. *Ignorantes non excusantur a casu, bene quidem a censura. Differentia inter casus papales, et episcopales.*
130. *Qui reservare possit, etc. De casibus Regularium.*
131. *De reservatione injusta; et an Superior absolvendo possit ad alium remittere pro non reservatis, etc.*
132. *An peccata venialia, aut interna, aut non consummata, etc.*
133. *Quando inferior potest absolvere, etc., et an pœnitens debeat se præsentare, etc.*
134. *Si injuste negatur facultas, etc. Si negatur a Prælato regulari.*
135. *De peregrinis, quando casus est reservatus tantum extra, aut tantum in patria.*
136. *Quomodo intelligendum. Inaudem reservationis.*
137. *An qui peccat in patria possit absolvi extra illam ab habente facultatem.*
138. *An possit absolvi in patria qui peccat extra ? Et an peccans in patria, possit absolvi a censura extra illam ? Et an peccans extra, incurrat censuram ibi reservatam?*
139. *Qui recipit in bona fide absolutionem a simplici confessario.*
140. *Qui obliviscitur de reservato apud Superiorem. etc.*
141. *An ex confessione nulliter facta apud Superiorem, etc.*
142 *An simplex possit absolvere dubie reservatum.*
143. *Qui post confessionem cognoscit pro certo reservatum.*
144. *Qui peccat in confidentiam licentiæ.*
145. *An licentia extendatur ad peccata post illam commissa.*
146. *De facultatibus Episcoporum, et regularium remissive.*

128. Reservatio casuum definitur : *Est negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum.* Hinc notandum 1. communissimam sententiam esse cum Sanch. Castrop. Holzm. Tamb. Wigandt Coninch. Antoine Fagnan Croix et aliis (contra Ronc. Salmant. Ciera etc.) ignorantes non excusari a reservatione, licet invincibiliter eam ignorassent ; quia reservatio non est pœna quæ respicit peccatores, ut supponunt adversarii, sed est restrictio jurisdictionis respectu confessariorum ; et hoc aperte præcipitur a Trident. *ses.* 14. c. 7. ubi dicitur : *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam* (nota) *non habet jurisdictionem.* Unde concludit quod *sacerdotes nihil possint in reservatis*. Nec valet dicere cum Salm. et Ronc. quod licet reservatio directe respiciat confessarios, et limitet eorum facultatem, attamen finis reservationis respicit pœnitentes, ut a peccatis reservatis exterreantur ; unde fit quod, cessante fine adæquato in ignorantibus, cessat etiam reservatio. Quia respondetur quod finis reservationis est non solum ut fideles avertantur a reservatis, sed etiam (ut dicunt Fagnan. et alii) ut prolapsi convenientes recipiant pœnitentias, admoniones, et remedia quæ non conveniunt

ab aliis applicari, quam a Superioribus, qui semper existimantur prudentiores, et magis idonei, sicut exprimitur in Trid. *loc. cit. Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.* Ex quo deducitur evidenter quod etiam in ignorantibus non cessat finis adæquatus reservationis. (1).

129. Ex hoc deducitur, ut etiam communiter dicunt aa. citati pro nostra sententia, quod etiam in casibus ab Episcopis reservatis, quibus annexa est censura, licet ignorantes a censura excusentur, cum in ipsis desit contumacia necessaria pro incurrenda censura, nihilominus non excusantur a reservatione ; nam hæc est differentia inter casus papales et episcopales, quod papales (exceptis duobus qui reperiuntur reservati sine censura, nempe accusatio sollicitationis contra sacerdotem innocentem, ut habetur ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. et receptio donorum a Regularibus, ut dictum fuit *Tr.* 13 *n.* 8. *in fin.*) principaliter sunt reservati ob censuram. Et ideirco ignorantes ab illis excusantur circa reservationem, ut docent communiter Suar. Castrop. Sanch. Layman Mol. Cajet. Gonet Wigandt Abeln Salm. Croix Ciera Viva etc. (contra p. Concinam, quem unicum reperio adversum) : dum ignorantia certe excusat a censura, ut dicemus *Tr.* 19. *n* 8. et ut expressum est in *cap* 2. *de Constit. in* 6. (2). Contra in casibus episcopalibus, quia principaliter reservatur peccatum (licet injungatur censura), ideoque ignorantes sicut non eximuntur a peccato, ita nec a reservatione ; dum, ut dictum est, propter reservationem super illo peccato penitus sublata est confessario jurisdictio (3).

130. Notandum 2. casus reservare posse omnes Superiores qui potestate ordinaria gaudent, prout sunt Papa, Episcopi, Prælati religionum, et etiam qui potestate quasi episcopali fulgent, sicut declaravit S. C. Conc. apud Fagnan. ; non autem parochi, nam ipsis saltem ex consuetudine hæc facultas abrogata est (4. Dictum est Prælatos religionum posse etiam reservare casus, sed ut decrevit Clemens VIII. tantum undecim reservare possunt et non ultra, sine consensu Capituli generalis pro tota religione, aut provincialis pro provincia. Casus autem determinati fuerunt a Clemente, et sunt sequentes : 1. Apostasia. 2. Egressio nocturna, et furtiva a monasterio. 3. Sortilegium. 4. Peccatum mortale contra paupertatem. 5. Furtum mortale de bonis monasterii. 6. Peccatum carnale opere consummatum. 7. Perjurium in judicio. 8. Cooperatio in abortu fœtus animati, etiam effectu non secuto 9. Occisio vel gravis percussio cujuscumque personæ. 10. Falsificatio manus, vel sigilli Officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel contra. An autem Prælati possint infligere censuram super alio casu, illum non reservando, affirmat Busem. ; sed communius et probabilius negant Lugo Sanchez Diana et Holzm. (5).

131. Notandum 3. reservationem non posse emanare sine justa causa ; quare dicunt nonnulli reservationem injustam esse invalidam, quia Trident. dedit hanc facultatem Prælatis reservandi casus in ædificationem, non in destructionem : sed sententia communior et verior cum Laym. Suarez Lugo Holzm. Ciera etc. dicit illam fore graviter illicitam, sed validam ; quia sicut potest Prælatus non concedere facultatem pro aliquibus casibus, ita potest etiam reservare eam (6). An autem possit Superior absolvere a reservatis, et pro aliis

(1) L. 6 n. 581. — (2) N. 580. — (3) N. 581 dubit. 2.

(4) N. 578. — (5) L. 6. n. 583. — (6) N. 579.

remittere pœnitentem ad inferiorem, alii admittunt propter consuetudinem ; sed hæc consuetudo communissime negatur a Salm. Cano Nav. Laym. Castrop. Salm. Croix etc. Tantummodo hoc permittitur a præfatis aa. in casu rarissimo magnæ necessitatis, puta si Superior præpeditus esset aliquo gravissimo negotio et contra pœnitens esset in necessitate communicandi, et repugnantiam ostenderet bis peccata sua confiteri (1).

132. Notandum 4. posse etiam reservari venialia, ut communiter admittunt Suar. Lugo Ciera Holzm. Concina, etc. contra Vasq. ; quia licet non adsit obligatio confitendi venialia, attamen ipsa remitti nequeunt per Sacramentum, nisi ex Ecclesiæ jurisdictione ; ideoque sicut illa hanc negare potest, ita etiam limitare (2). Et ita pariter reservari possunt peccata interna, ut etiam communiter dicunt Sot. Silv. Suar. Croix Antoin. etc. Nec obstat dicere Ecclesiam non judicare de peccatis occultis ; dum respondetur quod Ecclesia reservando non est quod judicet de peccatis internis, sed judicat de absolutione illorum, quæ est actus externus (3). Cæterum prudentia exposcit (et hoc fert usus) ne reserventur nisi mortalia, et graviora (juxta normam datam a Concilio, quod dicit *atrociora quædam et graviora crimina*), et externe gravia ; unde communiter docent Lugo Sanch. Suar. Bonac. Granad. Ciera etc. : peccatum leve in quantum est externum non cadit sub reservatione, licet interne esset grave ; quia Superiores non intendunt reservare, nisi peccata externe gravia, et insuper consummata, et perfecta in specie sua. Hinc recte dicit p. Mazzotta, non reservari incestum, et sodomiam extra vas peractam, neque sodomiam imperfectam, puta inter marem et fœminam, ut dicunt insuper Silvestr. Azor Bonac. Tourn. etc. (4).

(1) N. 595. — (2) N. 582. dubit. 1. — (3) Ib. dubit. 2. — (4) 583 dubit. 3.

133. Notandum 5. quod, cum non ad potest Superior, potest inferior indirecte absolvere a reservatis, urgente aliqua causa, v. g ut vitetur scandalum, aut infamiæ nota, aut ut satisfiat præcepto paschali, aut si pœnitens alias diutius perseverare deberet in mortali, ex eo quia Superior longe abest : ita communiter Suarez Laym. Castrop. Conc. Wigandt Salmant Ciera Viva etc. (5). Dictum est *indirecte*, quia cessante impedimento, tenetur postea pœnitens se præsentare Superiori, ut directe absolvatur a reservatis ; ratio est quia confessarii simplices, ut declaravit Trident. (*Sess.* 14. *c.* 7.), *extra articulum mortis nihil possunt in reservatis* : unde extra mortis articulum, licet impedimentum esset perpetuum, si casus est episcopalis, et impedimentum casu cessaret, semper recurrendum est ad Episcopum pro absolutione directa. Et si casus est papalis et impedimentum est perpetuum, et pœnitens ne ad Episcopum quidem recurrere posset (ut debebat, cum non posset adire Papam) etiam obtenta absolutione in casu necessitatis a confessario simplice, debet saltem se præsentare Episcopo (6); vide dicenda *Tr.* 20. *n.* 45. Et advertendum quod tunc, si peccatum est reservatum cum censura, non se præsentando, reincidit in censuram, ut dictum est *n.* 96. *in fine*. Cum autem quis haberet peccata reservata, et cum esset in necessitate communicandi, si nullus adesset qui haberet facultatem, an ante teneatur confiteri simplici confessario ; et an si confiteatur, debeat illi narrare tam reservata, quam non reservata, vide dicta *Tr.* 15. *n.* 27. *et* 28. ubi diximus teneri confiteri ea saltem cum necesse est ut confessarius judicium certum formare possit de ejus dispositione ; unde addimus hic, quod si confessarius interrogat, debet omnia manifestare ; nam, sicut recte animadvertit Lugo, licet pœnitens non

(5) N. 585. — (6) L. 6. n. 585. dubit. 1.

teneatur per se ad aliquod peccatum aperiendum, attamen tenetur illud exponere, cum de illo interrogatur a confessario, qui jus habet noscendi totam conscientiam pœnitentis, tum ut cognoscat ejus dispositionem, tum ut remedia applicet, in quibus duobus ille est verus judex (1). An autem quilibet confessarius absolvere possit moribundum a papalibus præsente Episcopo, vide *præc. n.* 97.

134. Notandum 6. licet Superior injuste negaret facultatem, inferiorem non posse absolvere a reservatis, sicut communiter docent Sotus Suar. Lavm. Lugo, Ciera Salm. etc. quidquid dicant Henriq. et Diana; nam sicut est valida reservatio injusta (ut dictum est *n.* 131.), ita etiam valida est injusta negatio facultatis (2). Cæterum proculdubio graviter peccant Episcopi, qui injuste negant facultatem; et peccant etiam contra justitiam, cum ex tali denegatione notabile damnum subditorum animæ patientur; ita communiter Lug. Suar. Coninc. Quintanad. Fag. Diana et Ciera, ex s. Thoma; præcipue (ait Ciera) si pœnitens adduci non possit ut adeat Superiorem. Contra Superior juste semper denegare potest facultatem, donec pœnitens notitiam necessariam ei non affert ad reparandum publicum scandalum, aut damnum, nam alias a nemine tamquam indispositus absolvi potest; Suarez, Lugo etc. (3). Advertendum tamen hic circa Regulares, 1. quod (ut habetur ex Bulla 26. Urbani VIII). declaravit Clemens VIII. quod si Superior regularis negat facultatem confessario deputato, potest hic *pro ista vice* (ut loquitur Bulla) absolvere pœnitentem, et ita communiter asserunt dd. Lugo Gabriel Avers. Bus. Salm. cum p. Viva, qui dicit, quod pro *ista vice* intelligitur toties quoties Superior injuste negat facultatem. Et idem dicunt Pelliz. Dian. Quintanad. si illam denegat alteri Religioso doctiori, et prudentiori, licet non deputato; et idem dicit Pelliz. si denegatur eidem pœnitenti. Advertendum 2. quod propter privilegium concessum fratribus minoribus, omnes Regulares semel possunt absolvi a reservatis per eorum confessarios, licet super reservatis careant facultate, Suar. Diana et Rodriq. (4).

135. Notandum 7. circa peregrinos: peregrini in quantum ad casuum reservationem plerumque judicandi sunt juxta leges diœcesis in qua reperiuntur. Unde fit quod si peccatum est reservatum tantum in illa diœcesi, non potest peregrinus absolvi a simplici confessario, etsi illud peccatum non est reservatum in sua patria: ita tenent, contra aliquos communius et verius Suar. Lugo, Bonac. Concin. Wigandt Ciera Diana Salm. etc. cum quadam declaratione S. C. Ratio est quia hodie peregrini, stante communi consuetudine, non absolvuntur jam ex consensu præsumpto suorum Ordinariorum, ut supponunt adversarii, sed ex voluntate Ecclesiæ universalis. Contra reservatio non respicit pœnitentes, ut dictum est *n.* 128, sed confessarios dumtaxat; unde ipsi non possunt absolvere ab illis peccatis tantum, super quibus limitata est facultas (5). E converso si peccatum est reservatum tantum in patria, non autem in illa diœcesi, bene potest peregrinus absolvi ab unoquoque confessario, ut recte docent s. Antonin. Cajetan. Lug. Suar. Bonac. Cabassut. Conc. Ronc. Mazzot. Salmant. etc. quia hæc est consuetudo approbata communiter ab Episcopis, et Pontificibus, nempe ab Eugenio IV. (ut testatur Lugo) et præcipue a Clemente X. in sua Bulla *Superna*, edita 21. Junii 1670. Modo (limitavit Clemens) non esset quod pœnitens proficisceretur a patria sua in fraudem reservationis: *Posse autem* (sunt verba Pontificis) *regularem confessarium in diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere: nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Bulla loquitur proprie de confessariis regularibus, ut observatur; sed intelligitur etiam pro sæcularibus, ut recte dicunt Croix Viva et Roncagl. et ut declaravit etiam S. C. (1).

(1) Ib. dubit. 2. et 3. — (2) N. 586 ad 3. — (3) N. 586 ad 6.

(4) Ibid. ad 5. — (5) L. 6. n. 588.

136. Quomodo autem intelligenda est clausula illa *in fraudem reservationis*, multæ et diversæ adsunt opiniones. P. Mazzot. cum Tamb. et aliis intelligit, cum casus est deductus in forum contentiosum; sed hæc explicatio nihil concludit, dum Pontifex loquitur de foro sacramentali, non autem de externo. Episcopus Milante intelligit quando pœnitens peccasset in confidentiam absolutionis, sed non cum alio proficisceretur, ut facilius ibi absolvi posset: sed nec huic explicationi assentiri valeo: Pontifex enim non loquitur de iis qui peccant, sed de iis qui migrant in fraudem reservationis. Alii alias applicationes afferunt: sed communius et probabilius Lugo Roncaglia Viva, cum Porcella et Fagund. et *Instruct. Confess. nov.* cum Passerino explicant, quando pœnitens fine unico et principali proficiscitur, ut alibi facilius absolvatur, et ut proprii pastoris judicium aufugiat, quia tunc propriedicitur intervenire fraus, quando elusoria redditur lex, et quidem lex reservationis eluditur, cum pœnitens principaliter e patria migrat ut in alia diœcesi faciliter absolvatur. Contra non migrat in fraudem, qui aliquo proficiscitur alio fine, v. g. lucrandi indulgentias, aut fine alia negotia agendi, aut citius vel cum minori incommodo confitendi, aut reperiendi confessarium non cognitum, aut prudentiorem a quo melius dirigi possit, et per quem sperat uberiorem conscientiæ pacem fore consecuturum (2).

137. Dicit autem Roncaglia, quod pœnitens, qui discedit aufugiendi fine proprii pastoris judicium, in aliena diœcesi non potest ne a confessariis quidem, qui super reservatis habent facultatem, absolvi, quia tunc etiam migraret in fraudem (3). Sed contradicunt Milante, et Viva, cum Suar. Nav. Lug. Bonac. cum communiori dd. qui dicunt quod si casus est reservatus in utraque diœcesi, peregrinus libere absolvi potest ab habente facultatem, et hæc opinio non videtur improbabilis, quia revera tunc non videtur pœnitens committere fraudem in reservationem, cum eat ad confessarium approbatum etiam pro reservatis (4). Præterea dicit Mansi, et adhæret etiam Ronc., non posse absolvi qui extra patriam peccatum commisisset reservatum in patria, hoc fine ut postea extra absolvatur. Sed etiam circa hoc oppositum sentio, quia peccator tunc non diceretur discessisse in fraudem reservationis ut absolveretur, sed alio se contulisse, ne reservationem incurreret (5).

138. Contra recte dicunt Castrop. Suar. Coninch. Conc. (quicquid dicant alii) non posse absolvi in patria a reservato pœnitentem qui peccavit in monasterio Regularium, licet exempto, quia quamvis hæc monasteria sint exempta etiam quoad locum, ut dictum est *tract. 2. n.* 39., nihilominus nec per hoc potest eum absolvere confessarius, cui limitata est jurisdictio super tali casu. Et idem currit propter eamdem rationem, si pœnitens peccasset extra diœcesim, licet ibi talis casus non esset reservatus. Ita etiam dicimus cum Ronc. et Wigandt, contra alios, non posse absolvi a confessario simplici pœnitentem extra diœcesim a censura quæ in patria est reservata, quia totam facultatem confessarii simplices ad absolvendum a censuris habent ex *c. Nuper, de Sent. excomm. in* 6. ubi expresse dicitur quod con-

(1) N. 589. v. idque. — (2) N. 589. v. quomodo.

(3) Ibid. — (4) Num. 587. — (5) L. 6. n. 589. v. quomodo.

fessarii absolvere nequeunt a censuris reservatis (1). Dicimus etiam cum Avers. et Mazzot. quod si peregrinus peccat in alia diœcesi, ubi ille casus est reservatus, non potest ibidem absolvi a simplici confessario, tum quia ibi ratione delicti jam incurrit reservationem ; tum quia confessarius (sicut dictum est *n.* 135.) non potest absolvere exterum, nisi juxta limites jurisdictionis sibi ab Ordinario suo concessæ. Advertendum tamen quod talis peregrinus jam incurrit reservationem, ut dictum est, non vero censuram illi annexam, ut recte dicunt Suar. Silv. Conc. Sal. Avil. Sayr. Mazz., etc. contra aliquos ; nam in *cap.* A nobis, de *Sent. excomm. in* 6. dicitur *solos subditos comprehendi sub excommunicatione lata ab Episcopo futuris delictis*. Et ratio, quia censura non incurritur, nisi ab iis qui non tantum subditi sunt, sed etiam contumaces : peregrinus contra, licet fiat subditus ob peccatum, nihilominus non potest dici contumax (2).

139. Quæritur 1. an pœnitens qui bona fide confitetur reservatum confessario simplici, aut si obliviscitur illius, sit valide absolutus ? Negat Antoine, dicendo simplicem confessarium, cum nihil possit in reservatis, non posse ne indirecte quid in absolvere ab illis. Sed communior est sententia opposita affirmans (ut fatetur ipse Antoine) cum Suar. Castr. Lugo, Conc. Salmant., etc. et etiam est probabilior, quia confessarius simplex, licet careat jurisdictione circa reservata, non autem caret ea in non reservata ; quare jam non reservata directe absolvuntur, et indirecte reservata : nam mortalia non possunt absolvi nisi omnia simul, cum non possit unum remitti, non remisso alio : et cum hæc sententia sit communis, et valde probabilis, si forte falsa esset, saltem supplet Ecclesia quoad jurisdictionem, juxta dicta *n.* 91. (3)

(1) N. 590. — (2) N. 591. — (3) N. 596. v. quær. 1.

140. Quæritur 2. an pœnitens confessus Superiori, si obliviscitur reservati, possit postea de illo a quovis absolvi ? *Prima* sententia affirmat cum Lugo, Sanc. Castr. Ciera. Salm., etc. dicens tunc præsumi Superiorem solvendo velle etiam eum liberare ab omni vinculo reservationis, sicut pariter dictum est *n.* 68. de jubilæo. *Secunda* sententia contra negat cum Suar. Silv. Angelo, Conc. Antoine. etc., quia ad auferendam reservationem, ut dictum est, requiritur ut peccatum subjiciatur judicio Superioris, ut ab eo competentem recipiat pœnitentiam, et medicinam : adeo ut non debet judicari ablata reservatio, nisi adsit specialis presumptio quod Superior voluerit eam auferre. Ratio equidem est valde valida ; qua de re hæc sententia mihi videtur probabilior, ad differentiam sententiæ relatæ *n.* 68. quia ibi ratione jubilæi conceditur pœnitenti ; privilegium posse absolvi a quocumque confessario. Hoc non obstante primam sententiam improbabilem putare nequo ; nisi adesset specialis præsumptio quod Superior distulisset absolutionem, si audisset confessionem etiam reservati (4).

141. Quær. 3. an auferatur reservatio per confessionem invalidam Superiori factam. Respondetur : si confessio est invalida, sed inculpabiliter, communiter affirmant Cajetan. Suar. Lug. Wigandt. Castr. Bonac. Ronc. Coninch. Holzm. Croix, et Salm. (contra Concinam), quia tunc jam ex una parte Superior intendit actualiter, et absolute pœnitentem liberare tam a peccato quam a reservatione ; et ex alia parte, jam pœnitens subjecit peccatum suum Superioris judicio, et ab ipso jam recepit remedia et pœnitentiam, quam semper tenetur adimplere, licet postea percipiat confessionem fuisse invalidam, ut advertit Bon. Nec valet dicere quod Superior, et tanto minus delegatus non auferunt reservationem, nisi per absolutionem ; uia quoad Superio-

(4) Lib. 6. n. 597.

rem, bene potest ipse concedere illam extra Sacramentum ; et in eo casu bene præsumendum est auferre velle ; et in quantum ac delegatum, licet iste non possit sine absolutione eam auferre, nihilominus tunc judicatur posse eam auferre ex voluntate ipsius Superioris, aut saltem virtute consuetudinis approbatæ ex auctoritate communi dd. (1). Major difficultas fit, quando confessio est sacrilega, tunc dicunt absolute Holz. Viva, Ronc. Conc. et Croix non auferri reservationem, quia non præsumitur Superior velle, ut subditus ex suo scelere beneficium reportet. Sed pariter communius affirmant Suar. Lugo. Castr. Bonac. Vasq. Filliuc. Salm. Cajet. Coninch. etc., et non improbabiliter, quia alius est finis confessionis, qui est remittere peccatum ; alius est finis reservationis, qui est ut subjiciatur peccatum judicio Superioris, et hic jam obtinetur ; et licet Superior ex voluntate interpretativa nollet, nihilominus jam vult voluntate actuali illam auferre. Secus autem dicendum (ut recte advertunt Lugo Suar. et Vasq.), si pœnitens culpabiliter taceret peccatum, aut, addit Suar., si ipso confiteretur reservatum sine animo illud vitandi, aut pœnitentiæ satisfaciendi, modo postea non mutaret voluntatem (2). Et secus etiam currit de confessione sacrilega, aut invalida facta in jubilæo, ut dictum est *præc. n.* 66 quia ibi alia procedit ratio.

142. Quæritur 4. in dubio an pœnitens nec ne incurrerit aliquod reservatum, an possit a simplici confessario absolvi ? Respondetur : quando dubium est facti, nempe utrum peccatum fuerit veniale, an mortale, et an mortale fuerit nec ne consummatum, tunc apud omnes (excepto Wigandt) pro certo habetur quod possit ; ita Suar. Sanch. Lug. Conc. et alii ; quia reservatio utpote odiosa, est stricte interpretanda, unde intelligenda de peccatis certe gravibus, et consummatis, ut dictum est *n.* 132. Si vero dubium est circa jus, nempe quando controvertitur inter dd. an aliquod peccatum sit vel non reservatum confessario ; in hoc casu negant Conc. Wingandt, et Antoine, cum Armil., dicentes quod confessarius non potest absolvere cum jurisdictione quæ tunc ei dubia facta est. Sed etiam in tali casu aa. citati, et communiter etiam affirmant Filliuc, Hurtadus, Bonac. Sa, Henriq. Anaclet. Elbel, Viva, Spor. Salm. etc., et hoc sive dubium sit positivum, sive negativum, quia in utroque currit eadem ratio ; dum in dubio confessarius possidet facultatem absolvendi. Præterquam quod, cum hæc sententia sit communis, et probabilissima, in casu quo forte esset falsa, supplet Ecclesia. Nec obstat dicere quod Clemens VIII. suo Decreto prohibuit confessariis privilegiatis absolvere a casibus Bullæ *Cœnæ*, licet essent *dubie reservati* ; et quod pariter in Extrav. Perlectis, vetitum est Episcopis absolvere a percussione gravi clericorum etiam in dubio an sit gravis vel levis, quia respondetur quod ambæ hæ prohibitiones magis confirmant nostram sententiam : ergo, dicimus : In aliis casibus reservatis exceptis his duobus, recte potest dari absolutio, nam *exceptio firmat regulam*. Sed hic notandum quod Clemens (ut referunt Ronc. et Antoine) anno 1602 moderavit præfatum Decretum, auferendo illa verba *etiam dubie reservatis* (3). Limitant autem nostram sententiam Sanch. Bonac., etc., in casu quo illud peccatum reservatum judicaretur in foro externo ; sed hæc limitatio merito etiam refellitur a Lug. Escob. Spor. Tamb. et Salm., quia differt forum externum ab interno. In illo attenditur præsumptio, et non præstatur pœnitenti fides. Sed in hoc sacramentali omnino creditur pœnitenti, donec non constet de opposito (4).

(1) N. 598. — (2) 598. v. quær. 4.

(3) L. 6. n. 600. v. quær. 4. — (4) Ibid. v. limitant.

143. Quæritur 5. an qui confessus est simplici confessario dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat certe reservatum ? Negat p. Conc.; sed affirmant communiter Lugo, Dicast Aversa, Spor. Viva, Sanch. et Salm. cum aliis; quia cum confessus sit peccatum tanquam dubie reservatum, jam directe absolutus est (ut fatetur ipse p. Conc.) ideoque remanet directe reservatio ablata. Alius est casus, ut diximus *præc. n.* 34., quando pœnitens confitetur peccatum uti dubium, et deinde recordetur esse certum, quia tunc tenetur ipse iterum confiteri ut certum, ut suppleat integritati, et ut exponat confessario, ut revera fuit in conscientia ; sed in casu nostro, remisso peccato, est jam, ut dictum est, ablata reservatio ; unde cessat obligatio adeundi Superiorem, ut liberetur ab illa (1).

144. Quæritur 6. an possit absolvi a reservatis, qui peccavit in confidentiam licentiæ ? Aliqui dubitarunt; sed communior sententia affirmat cum Sanch. Lug. Fill. Bon. Molfes. Salm. Aver., etc. Ratio est, quia, esto Superior nolit ut subditus ansam capiat occasione licentiæ, attamen non intendit postea absolutionem negare pœnitenti, quem vere pœnitet sui peccati et proponit illud vitare. Idem diximus de jubilæo *n.* 69. (2).

145. Quæritur 7. an licentia data pro reservatis extendi possit ad peccata post ipsam commissa ? Respondetur non extendi jam, si licentia datur pro solis peccatis speciatim nominatis, aut pro numero determinatis; secus vero si indefinite conceditur ; ita communissime Lugo, Ronc., Bonac. Passerin. Præpos. Aver. Dicast. Salm. etc. excipitur tamen, si pœnitens, ut præterum licentia concessa est, aliud peccatum committeret post notabile tempus, v. g. post mensem, aut si licentia concessa fuisset intuitu alicujus festivitatis particularis (3).

146. Quoad autem facultates Episcoporum absolvendi a casibus papalibus occultis, et impeditis, vide dicenda *tract.* 29. *de privil. n.* 36. *v. Dubitatum fuit, et n.* 38. et quoad facultates Regularium, vide ibidem ex *n.* 95. *et seqq.*

CAPUT VIII.

De sigillo confessionis.

147. *Obligatio sigilli.*
148. *De iis qui tenentur ad sigillum.*
149. *An teneatur qui est requisitus de concilio a confessario ex pœnitentis licentia.*
150. *An consultus ab ipso pœnitente.*
151. *An qui legit folium confessionis.*
152. *Cadunt sub sigillo. I. Peccata etiam levia. II. Peccata complicis, sed ex licentia pœnitentis potest admoneri complex.*
153. *III. Objectum peccati. IV. Pœnitentia. V. Circumstantiæ, sed non impertinentes. VI. Revelationes, et virtutes quando, etc. VII. Scrupuli.*
154. *VIII. Defectus naturales.*
155. *Casus de pœnitente surdo.*
156. *Casus in quibus non adest obligatio sigilli. De licentia pœnitentis ; et an liceat eum admonere intra confessionem, quin ab eo petatur licentia.*
157. *Casus in quibus læditur sigillum. I. Qui diceret in monasterio, etc.*
158. *Qui diceret in oppido, etc.*
159. *II. Qui utitur notitia confessionis ad gubernationem, cum gravamine, etc.*
160. *Si redit pœnitens malæ conscientiæ.*
161. *An confessarius possit sibi cavere de damnis, etc.*
162. *An possit præberi schedula confessionis, etc.*
163. *Si pœnitens minetur mortem, etc.*
164. *An liceat uti opinionibus probabilibus, etc.*

147. Sigillum sacramentale inducit obligationem tacendi peccata et omnia alia in confessione manifestata in ordine ad absolutionem etiam colloquendo cum ipsomet pœnitente :

(1) II. v. quær 2. — (2) N. 601.

(3) N. 601. quær. 4.

et hæc obligatio est ita stricta, ut confessarius in nullo casu et tempore possit ea revelare, licet mortem subiturus esset. Ut clarius super hac materia valde implicata procedam, adnotemus hic primo loco eos qui tenentur ad sigillum: secundo ea quæ cadunt sub sigillo: tertio casus in quibus læditur sigillum : quarto casus in quibus non læditur.

148. Et primo loco adnotabimus eos, qui tenentur ad sigillum. Generaliter loquendo, tenentur omnes ii, ad quos quocumque modo pervenit notitia confessionis. Sed loquendo in particulari, tenentur 1. Confessarius, qui frangendo sigillum tria peccata committeret : sacrilegii ob injuriam quam infert Sacramento, injustitiæ qua afficit pœnitentem et etiam detractionis, si peccatum non esset publicum. Confessarius, si forte interrogaretur de peccatis auditis, potest recte affirmare etiam juramento se nihil audivisse; nam de omnibus, quæ ipse in confessione excepit, nullam habet scientiam communicabilem; ita communiter s. Anton. Suar. Laym. Wigandt, Antoine, et alii cum s. Thoma (1) qui dicit : *Potest jurare, se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Et hoc etiamsi, ut dicunt Lug. Vasq. Suar. Laym. Croix; etc. (contra Conc.) confessarius requisitus esset ad respondendum non ut homo, sed uti Dei minister : aut si requisitus esset ad respondendum sine æquivocatione, ut dicunt Lugo, Holzm. Croix, etc.; nam tunc ille jam respondet sine æquivocatione, nempe intelligitur sine illo æquivoco quod potest licite omitti ; nam contra interrogans non habet jus ut ei respondeatur sine illo æquivoco quod non potest omitti sine peccato. Si vero confessarius interrogatur, an vel ne dederit absolutionem pœnitenti, respondere debet : *Funiculus sum officio meo.* Sed sic dicere aliquando etiam suspicionem negatæ absolutionis afferre potest; unde omnibus istis interrogationibus temere factis semper satius erit respondere exprobando sic : *Suntne interrogationes faciendæ !* Si autem accideret casus quod confessarius non absolvisset, et clericus interrogaret, utrum pœnitens communicaturus sit. Confessarius respondere debet : *Interroga eum, an velit communicare* (2). 2. Tenetur etiam ad sigillum Prælatus qui requisitus fuit de licentia pro casibus reservatis, ut recte dicunt Suar. Lugo, Conc. et Salm. (contra Castropal. et Vasq.) ; quia secus redderetur odiosa confessio. 3. Interpres. 4. Qui audiret aliquod (etiam casu inculpabiliter) a pœnitente prolatum in ordine ad confessionem, ut dicunt commun. Bonac. Laym. Castrop. Salm., etc. contra Sot. Ita pariter qui auscultat peccatum voce elata confessum, sed in aliqua necessitate naufragii, conflictus, etc.; secus autem si pœnitens tantum ad suam confusionem vellet publice confiteri, Castr. Coninch. Salm., etc. 5. Omnes quibus aliquid sacrilege revelatum est, communiter Laym. Holz. Salm. Conc. Spor., etc. 6. Laicus qui dolo se finxisset confessarium, Suar. Lugo, Ronc. et alii communiter contra Sotum, et Vasq. 7. Qui alterius rudis confessionem scripsit. Nonnulli addunt etiam pœnitentem sub eodem sigillo sacramentali teneri ad reticenda ea quæ confessarius ei dicit; sed hoc negat communis et vera sententia cum Layman, Wigandt, Suar. Castrop. Bonac. Salm. Holzm. Busemb., etc. quia revera jus sigilli institutum est in pœnitentium beneficium. Omnes tamen conveniunt cum Holz. pœnitentem vinculo secreti naturalis teneri ad reticenda a confessario sibi dicta, quorum propalatio potest illi damno esse; et ego subjungo hoc vinculum esse strictius simplici naturali ; dum consilia ab aliis data sunt spontanea, sed illa confessarii data sunt ex officio et obligatione ; unde infero quod rarissimus esse posset casus in quo pœni-

(1) In 4 dist. 21. q. 3. a. 1. ad 3.

Lib. 6. n. 645. 646.

143. Quæritur 5. an qui confessus est simplici confessario dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat certe reservatum ? Negat p. Conc.; sed affirmant communiter Lugo, Dicast Aversa, Spor. Viva, Sanch. et Salm. cum aliis; quia cum confessus sit peccatum tanquam dubie reservatum, jam directe absolutus est (ut fatetur ipse p. Conc.) ideoque remanet directe reservatio ablata. Alius est casus, ut diximus *præc. n.* 34., quando pœnitens confitetur peccatum uti dubium, et deinde recordetur esse certum, quia tunc tenetur ipse iterum confiteri ut certum, ut suppleat integritati, et ut exponat confessario, ut revera fuit in conscientia ; sed in casu nostro, remisso peccato, est jam, ut dictum est, ablata reservatio ; unde cessat obligatio adeundi Superiorem, ut liberetur ab illa (1).

144. Quæritur 6. an possit absolvi a reservatis, qui peccavit in confidentiam licentiæ ? Aliqui dubitarunt; sed communior sententia affirmat cum Sanch. Lug. Fill. Bon. Molfes. Salm. Aver., etc. Ratio est, quia, esto Superior nolit ut subditus ansam capiat occasione licentiæ, attamen non intendit postea absolutionem negare pœnitenti, quem vere pœnitet sui peccati et proponit illud vitare. Idem diximus de jubilæo *n.* 69. (2).

145. Quæritur 7. an licentia data pro reservatis extendi possit ad peccata post ipsam commissa ? Respondetur non extendi jam, si licentia datur pro solis peccatis speciatim nominatis, aut pro numero determinatis; secus vero si indefinite conceditur ; ita communissime Lugo, Ronc., Bonac. Passerin. Præpos. Aver. Dicast. Salm. etc. excipitur tamen, si pœnitens, ut præterum licentia concessa est, aliud peccatum committeret post notabile tempus, v. g. post mensem, aut si licentia concessa fuisset intuitu alicujus festivitatis particularis (3).

146. Quoad autem facultates Episcoporum absolvendi a casibus papalibus occultis, et impeditis, vide dicenda *tract.* 29. *de privil. n.* 36. *v. Dubitatum fuit, et n.* 38. et quoad facultates Regularium, vide ibidem ex *n.* 95. *et seqq.*

CAPUT VIII.

De sigillo confessionis.

147. *Obligatio sigilli.*
148. *De iis qui tenentur ad sigillum.*
149. *An teneatur qui est requisitus de concilio a confessario ex pœnitentis licentia.*
150. *An consultus ab ipso pœnitente.*
151. *An qui legit folium confessionis.*
152. *Cadunt sub sigillo. I. Peccata etiam levia. II. Peccata complicis, sed ex licentia pœnitentis potest admoneri complex.*
153. *III. Objectum peccati. IV. Pœnitentia. V. Circumstantiæ, sed non impertinentes. VI. Revelationes, et virtutes quando, etc. VII. Scrupuli.*
154. *VIII. Defectus naturales.*
155. *Casus de pœnitente surdo.*
156. *Casus in quibus non adest obligatio sigilli. De licentia pœnitentis ; et an liceat eum admonere intra confessionem, quin ab eo petatur licentia.*
157. *Casus in quibus læditur sigillum. I. Qui diceret in monasterio, etc.*
158. *Qui diceret in oppido, etc.*
159. *II. Qui utitur notitia confessionis ad gubernationem, cum gravamine, etc.*
160. *Si redit pœnitens malæ conscientiæ.*
161. *An confessarius possit sibi cavere de damnis, etc.*
162. *An possit præberi schedula confessionis, etc.*
163. *Si pœnitens minetur mortem, etc.*
164. *An liceat uti opinionibus probabilibus, etc.*

147. Sigillum sacramentale inducit obligationem tacendi peccata et omnia alia in confessione manifestata in ordine ad absolutionem etiam colloquendo cum ipsomet pœnitente :

(1) II. v. quær 2. — (2) N. 601.

(3) N. 601. quær. 4.

et hæc obligatio est ita stricta, ut confessarius in nullo casu et tempore possit ea revelare, licet mortem subiturus esset. Ut clarius super hac materia valde implicata procedam, adnotemus hic primo loco eos qui tenentur ad sigillum: secundo ea quæ cadunt sub sigillo: tertio casus in quibus læditur sigillum : quarto casus in quibus non læditur.

148. Et primo loco adnotabimus eos, qui tenentur ad sigillum. Generaliter loquendo, tenentur omnes ii, ad quos quocumque modo pervenit notitia confessionis. Sed loquendo in particulari, tenentur 1. Confessarius, qui frangendo sigillum tria peccata committeret : sacrilegii ob injuriam quam infert Sacramento, injustitiæ qua afficit pœnitentem et etiam detractionis, si peccatum non esset publicum. Confessarius, si forte interrogaretur de peccatis auditis, potest recte affirmare etiam juramento se nihil audivisse; nam de omnibus, quæ ipse in confessione excepit, nullam habet scientiam communicabilem; ita communiter s. Anton. Suar. Laym. Wigandt, Antoine, et alii cum s. Thoma (1) qui dicit : *Potest jurare, se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Et hoc etiamsi, ut dicunt Lug. Vasq. Suar. Laym. Croix; etc. (contra Conc.) confessarius requisitus esset ad respondendum non ut homo, sed uti Dei minister : aut si requisitus esset ad respondendum sine æquivocatione, ut dicunt Lugo, Holzm. Croix, etc.; nam tunc ille jam respondet sine æquivocatione, nempe intelligitur sine illo æquivoco quod potest licite omitti ; nam contra interrogans non habet jus ut ei respondeatur sine illo æquivoco quod non potest omitti sine peccato. Si vero confessarius interrogatur, an vel ne dederit absolutionem pœnitenti, respondere debet : *Funiculus sum officio meo.* Sed sic dicere aliquando etiam suspicionem negatæ absolutionis afferre potest; unde omnibus istis interrogationibus temere factis semper satius erit respondere exprobando sic : *Suntne interrogationes faciendæ !* Si autem accideret casus quod confessarius non absolvisset, et clericus interrogaret, utrum pœnitens communicaturus sit. Confessarius respondere debet : *Interroga eum, an velit communicare* (2). 2. Tenetur etiam ad sigillum Prælatus qui requisitus fuit de licentia pro casibus reservatis, ut recte dicunt Suar. Lugo, Conc. et Salm. (contra Castropal. et Vasq.) ; quia secus redderetur odiosa confessio. 3. Interpres. 4. Qui audiret aliquod (etiam casu inculpabiliter) a pœnitente prolatum in ordine ad confessionem, ut dicunt commun. Bonac. Laym. Castrop. Salm., etc. contra Sot. Ita pariter qui auscultat peccatum voce elata confessum, sed in aliqua necessitate naufragii, conflictus, etc.; secus autem si pœnitens tantum ad suam confusionem vellet publice confiteri, Castr. Coninch. Salm., etc. 5. Omnes quibus aliquid sacrilege revelatum est, communiter Laym. Holz. Salm. Conc. Spor., etc. 6. Laicus qui dolo se finxisset confessarium, Suar. Lugo, Ronc. et alii communiter contra Sotum, et Vasq. 7. Qui alterius rudis confessionem scripsit. Nonnulli addunt etiam pœnitentem sub eodem sigillo sacramentali teneri ad reticenda ea quæ confessarius ei dicit; sed hoc negat communis et vera sententia cum Layman, Wigandt, Suar. Castrop. Bonac. Salm. Holzm. Busemb., etc. quia revera jus sigilli institutum est in pœnitentium beneficium. Omnes tamen conveniunt cum Holz. pœnitentem vinculo secreti naturalis teneri ad reticenda a confessario sibi dicta, quorum propalatio potest illi damno esse; et ego subjungo hoc vinculum esse strictius simplici naturali ; dum consilia ab aliis data sunt spontanea, sed illa confessarii data sunt ex officio et obligatione ; unde infero quod rarissimus esse posset casus in quo pœni-

(1) In 4 dist. 21. q. 3. a. 1. ad 3.

Lib. 6. n. 645. 646.

tens tale secretum licite revelare posset, cum damno confessarii (1).

149. Quæritur 1. an doctor, quem confessarius consulit de licentia pœnitentis, teneatur ad sigillum sacramentale? Negant Castr. Vasq. Tamb. Diana, etc. dicentes tunc peccati notitiam non laberi ex confessione, sed ex manifestatione facta ex licentia, et consequenter nomine pœnitentis; unde sicut non teneretur ad sigillum sacramentale, qui consultus esset ab ipsomet pœnitente, ita nec requisitus pœnitentis nomine. Sed communius et probabilius affirmant Silv. Navar. Lugo Laym. Bonac. Sporer Croix Petrocor. Ronc. Mazzot. et Viva, et expresse docet s. Thomas (2). Ratio est quia eadem Sacramenti institutio exigit ut remaneat sigilli obligatio unicuique ad quem pervenit notitia peccati causa confessionis, alias confessio semper redderetur odiosa. Opponit Tamb. quod pœnitens in danda licentia præsumitur voluisse abstrahere illam notitiam ab obligatione sigilli; sed nos respondemus cum Lugo et Spor. quod imo præsumitur oppositum, nempe quod quilibet pœnitens, dando licentiam, eam det majori quam imponere potest restrictione, cum agatur de re tam odiosa quam est peccata sua propalare (3) Advertendum tamen hic quod, non obstante sigillo, doctor qui consilium dedit, donec judicium per absolutionem non perfectum est, potest libere loqui de illo casu cum confessario, et cum aliis in consilium convocatis, quia moraliter sic intelligitur fuisse data licentia. Advertendum etiam, quod si evenerit unquam quod duo confessarii semotim peterent consilium ab eodem doctore de pœnitentis licentia, dicit Lugo, quod non potest doctor cum secundo loquide circumstantiis auditis a primo, et ignotis secundo; sed pace tanti doctoris, ego contrarium sentio quia cum pœnitens det licentiam secundo confessario loquendi de casu cum eodem consultore, sicut certe credendum est nihil aliud velle pœnitentem quam consilium rectum, ita etiam certe præsumendum est illum consentire, ut consultor dicat quicquid scit, et quicquid dicendum sit, ut bonum præbeat consilium (4).

150. Quæritur 3. an teneatur ad sigillum ille quem ipse pœnitens consulit de confessione quam alii facere intendit? Affirmant Tamb. Conc. Spor. Antoine Croix Diana, etc., dum dicunt quod dum oporteat pœnitentibus consilium capere ut bene confiteantur, si consultor non teneretur ad sigillum, confessio redderetur odiosa. Sed probabilius negant Suar. Castrop. Avers. Henriq., etc. Ratio est quia sigilli sacramentalis obligatio non oritur nisi ex sola confessione sacramentali, ad finem recipiendi absolutionem facta, ut docent omnes cum Vasq. Suar. Gabriel Coninch. Castrop. cum eodem p. Conc. et cum s. Thoma (5) qui dicit: *Sigillum sacramentale confessionis non se extendit, nisi ad ea de quibus est sacramentalis confessio.* Unde fit quod consiliarius in quantum ad notitiam ei præstitam ad consilium ab eo capiendum (non autem absolutionem), tenebitur ille quidem ad sigillum naturale, non autem sacramentale. Ad rationem oppositam respondetur quod timor revelationis redderet consultationem jam odiosam, sed non confessionem. Si unquam consultatio in aliquo casu esset necessaria ad confessionem, non negamus tunc revelationem reddituram fore confessionem odiosam; sed hunc casum nescimus reperire, quod quis ut confiteatur, debeat absolute alios consulere præter confessarium. Secus autem esset, meo judicio, contra Henriq., si pœnitens consuleret confessarium, ut postea apud ipsum confiteretur de ipsismet, quæ tunc illi aperit: quia tunc illa consultatio judicatur confessio proxime inchoata, dum facta est ad recipiendam ab eo ipso absolutionem (1).

151. Quæritur 1. an teneatur ad sigillum qui legit chartam, ubi pœnitens scripsit suam confessionem? Affirmant Spor. Ronc. et alii pauci; tum quia illa scriptura est proxime ordinata ad confessionem futuram; tum quia manifestatio talis scripturæ redderet odiosam confessionem; sed negant communissime, et probabilius Sot. Nav. Suar. Bonac. Wig. Sayr. Laym. Coninch. Lugo Castrop. Holzm. Viva Elbel Salm., etc., quia sigillum non contrahitur in præparatione ad confessionem, sed dumtaxat in confessione actuali aut proxime inchoata, ut superius diximus. Et cum scriptura ordinarie non sit necessaria ad confitendum, respondetur ad secundam rationem oppositam (pari modo ac responsum est in quæstione antecedenti) quod timor revelationis scripturæ redderet odiosam scriptionem, non autem confessionem. Recte tamen excipiunt 1. Lugo Spor. Holzm., etc., si illa scriptura confecta esset a muto qui non posset aliter confiteri. 2. Si esset epistola ad Superiorem scripta pro obtinenda licentia reservatorum. 3. Si illa charta, ut recte dicunt Viva, Wigandt, cum ipso de Lugo, esset consignata sacerdoti pro confessione facienda, quia tunc etiam habetur tanquam confessio inchoata: aut (addunt) si illa charta relicta esset casu in confessionali post factam confessionem. Cæterum extra hos casus, ut dicunt Laym. Castrop. et Spor., qui legeret hujusmodi scripturas (et tanto magis qui eas proderet) non potest excusari a peccato gravi, nisi sciret certo ibi contineri levissima peccata. Addunt amplius Laym. et Spor., quod peccata ibi contenta non possent revelari, nisi in casu maximæ necessitatis, ut esset ad salvandam rempublicam, aut vitam innocentis (2).

152. Secundo loco adnotantur quæ cadunt sub sigillo, et sunt: 1. Omnia peccata pœnitentis ab illo manifestata animo se accusandi (non autem si narrata fuissent per modum simplicis narrationis) etiam venialia licet minima; nam in materia hujus sigilli certum est apud omnes non dari parvitatem materiæ; et hoc licet pœnitens indispositus recessisset sine absolutione (3). 2. Peccata complicis a pœnitente manifestata etiam sine necessitate (4): jam dictum est *præc. num.* 41. nunquam licere confessario interrogare pœnitentem de nomine complicis. An cum licentia possit admonere complicem; negant Tamb., cum Vasq. dicentes peccata complicis etiam cadere sub sigillo sacramentali, adeo ut confessarius nequeat de illis loqui, non petita licentia tam pœnitentis quam complicis. Sed affirmat vera sententia cum s. Anton. Gers. Adri. Navar. Lug. Ronc. Croix, etc nam sigillum sacramentale ad nihil aliud institutum est, nisi ut pœnitentes libenter se confiteantur, quin timeant ne futurum sit ut peccata sua sciantur. Nec valet dicere quod alias confessio redderetur aliis odiosa; nam respondetur quod illud tantum odium confessionis evitandum est, quod retrahit pœnitentes a confessione, non autem illud quod movet impios ad optandum ne eorum complices confiteantur. Cæterum confessarius non debet esse importunus in petendis licentiis replicatis petitionibus; nam illis licentiis quæ non sunt omnino spontaneæ et plene liberæ, etiam obtentis, ille nec uti poterit (5).

153. 3. Cadit etiam sub sigillo objectum peccati v. g. si filius accusatur se odisse patrem, quia ille rixatus est: rixa patris esset objectum peccati, quæ rixa non potest manifestari a confessario, ut communiter

(1) L. 6. n. 647. — (2) In 4. dist. 21 q. 3. a. 1. q. 3. et a. 2. ad 4. — (3) L. 6. n. 648.

(4) N. 648. ad notandum 2. — (5) In 4. d. 21. a. 1. q. 3. v. sed contra.

(1) L. 6. n. 649.

(2) N. 650. — (3) N. 637. — (4) N. 640. ad 2. — (5) L. 6. n. 641. dubit 4.

Filliac. Viva Renzi Spor. et Tamb. Probabiliter tamen hi duo postremi aa. dicunt, quod si quis v. g. confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso, homicidium non caderet sub sigillo, quia tunc non censetur voluisse secreto ligare, quod publice notum est. Cæterum est regulariter accepta ab omnibus illa regula, quod non cadunt sub sigillo omnia illa quorum manifestatio non inducit periculum revelationis directe aut indirecte, nec gravamen pœnitentis (1). 4. Pœnitentia imposita si illa est gravis, imo melius dicendum, si non est de minimis, quæ plerumque solent imponi pro venialibus levissimis. 5. Omnes circumstantiæ peccatorum etiam explicatæ post absolutionem, quoties illæ detectæ sunt in ordine ad confessionem ; v. gr. si quis confiteretur Ordinibus initiatum fuisse cum esset spurius, aut se jactasse pro docto cum esset ignarus ; ignorantia tunc et esse spurium cadunt sub sigillo. Et hoc currit etiam in dubio an circumstantiæ declaratæ sint nec ne in ordine ad confessionem, ut communiter dicunt Suar. Bonac. Salm. Tamb. Croix et Mazzotta (2). Cæterum recte notant Coninch. Tannerus et Diana, quod non adest obligatio sigilli de illis quæ a pœnitente tantum per accidens narrantur, et minime ad confessionem vel ad peccatorum explicationem conferunt (3). 6. Cadunt sub sigillo revelationes et virtutes, cum deteguntur confessario ad manifestandum aliquem defectum commissum, aut propriam ingratitudinem erga Deum ; secus vero si manifestantur tantum ut confessarius statum animæ suæ cognoscat. Ita scite distinguunt Lugo Croix Ronc. Mazzotta et Viva. 7. Cadunt sub sigillo scrupuli et scrupulositas, quam pœnitens in exponendis peccatis suis, vel in declaranda conscientia sua ostendit, ut recte dicunt Coninch. Lugo et Granat. contra Marchant., quia saltem in obliquo est materia confessionis. Secus autem esset, dicit Lugo, si scrupulositas non appareret ex pœnitentis relatione, sed appareret ex modo ipso confitendi ; sed huic nec acquiescere valeo, dum rationabiliter dicunt Castrop. Hurtad. Coninch. Spor. Tamb., etc., quod multi ægre ferunt se haberi et vocari scrupulosos, præcipue si sunt prælati et confessarii, aut judices, etc. : quia esse scrupulosus saltem est defectus naturalis, cum sit signum perplexæ et confusæ mentis, et tales defectus naturales per confessionem cognitos non licet propalare, ut mox dicemus. Quapropter ego non admitterem, nisi loquamur de secularibus, qui cum dicuntur esse scrupulosi potius laudantur, dum sic habentur timoratæ conscientiæ (4).

154. 8. Cadunt etiam sub sigillo (ut jam innuimus) defectus naturales pœnitentis, v. gr. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, etc. quoties habetur eorum notitia ex confessione, ut dicunt communiter Suar. Lugo, Busemb. Roncagl. Mazzot., etc. Et hoc etiamsi pœnitens exponeret tales suos defectus sine necessitate, sed solum ad meliorem suorum peccatorum explicationem, ut recte notant Lugo Salm. Croix, etc. ; secus autem, ut subjungunt communiter iidem aa. citati, si illorum manifestatio nihil ad confessionem referret ; nam tunc non censetur pœnitens velle eos subjicere sigillo ; imo etiamsi vellet subjicere dico quod non posset dum ille impertinenter eos manifestat (5). Quod dicunt Lugo Navar. Ronc Mazzot. et alii cum Diana (qui eam opinionem vocat communem, sed verum non est, ut videbimus) nec cadere sub sigillo defectus qui innotescunt ex ipsismet actionibus pœnitentis, aut ex modo confitendi, v. gr. quod sit rudis, balbutiens, aut naturæ impatientis, ir-

(1) Ib. dubit. 2. — (2) N. 637. ad 2. — (3) N. 641. v. 3. Pœnitentia. ad 4.

(4) N. 644. — (5) Lib. 6. n. 642.

resolutæ, etc., quia tunc (ut loquuntur) non est quod manifestentur, sed committuntur in confessione : Spor. Tamb. Conc. Antoine Renzi, etc. refellunt, dicentes quod quoties ipsi percipiuntur causa peccatorum explicationis, propalatio eorum redderet odiosam confessionem : nec acquiescere valeo illi quod dicunt iidem aa. Spor. Tamb. et Conc. cum Wigandt et Viva, quod non adsit sigillum pro talibus defectibus, si a pœnitente referuntur, ita ut ex circumstantiis appareant communiter noti, quia tunc (ut dicunt) non præsumitur pœnitens eos narrare, nisi ut notos, dum recte dicit Holzm. eorum manifestationem posse aliquo modo retardare pœnitentes a confessione. Nihilominus hoc intelligitur tantum pro iis defectibus quorum manifestationem ex se ægre ferre potest pœnitens, ut esset dicere quod sit hebes mente, natura iracundus, rudis, incapax, pauper (si ille est civilibus natalibus) ; non vero cum sunt defectus qui rubori aut exprobrationi ei non sunt, ut est esse cæcus, surdus, mendicans, et hujusmodi ; et contra jam communiter innotescunt. Nec etiam puto licere plerumque, contra id quod dicit Lugo, manifestare peccata commissa a pœnitente dum confitetur, v. g. convicia illata ab eo in confessarium, et hujusmodi, quia in hoc indirecte manifestaretur aut absolutio denegata, aut aliqua vehemens objurgatio. Quod autem dicit Ronc. quod si pœnitens communiter nosceretur nimis prolixus et molestus in confitendo, confessarius non frangit sigillum, si ab eo aufugeret, ut liberaretur ab illo tædio ; hoc potest admitti, sed tantum quando communiter una simul ille pœnitens haberetur bonæ conscientiæ : secus autem dicerem, si adesset suspicio quod ejus conscientia sit gravata etiam culpis gravibus.

155. Loquamur hic de illo casu facili eventu, sed qui apud aa. non invenitur discussus. Quæritur quid faciendum confessario, si quis confitendo confuse de materiis gravibus, et interrogatus a confessario de circumstantiis, et de habitu, cognosceretur esse surdus, dum non respondit, aut respondit abs re ; et contra confessarius ob adstantes non posset vocem elevare ? Ego sic dico : Si circa principium confessionis animadvertit pœnitentem esse surdum, tunc ei imponere debet ut tempore et loco opportuno redeat, cum non adsint qui eum audire possint ; et interim potest circumstantibus indicare ejus surditatem, cum illa est communiter nota. Sed si in progressu confessionis id animadverteret, tunc non potest confessarius elata voce ei imponere ut redeat, quia aliis suspicionem ingereret illum de materia gravi confessum fuisse ; ideoque in tali casu dicerem, quod confessarius cum peccata meliori modo quo possit, intelligere curaverit, absolutionem det pœnitenti absolutam, si probabiliter eum judicat dispositum ; conditionatam, si de dispositione dubitat ; et pœnitentiam in hoc casu debet adjungere levem, cum alii eam audituri sunt (1).

156. Tertio loco adnotamus casus ex quibus non oritur obligatio vel fractio sigilli. I. Cum confessio fuit ficta, aut pravo fine facta, v. g. furandi, seducendi confessarium, aut ei illudendi. II. Si quis diceret aliquod, et se protestaretur id dicere sub sigillo confessionis, in hoc nunquam adest sigillum sacramentale, quia tale sigillum oriri nequit, nisi a solo Sacramento (2). III. Si confessarius dicit in generali confessionem fuisse de materia levi. Dico in *materia levi*, quia esset fractio sigilli dicere eam fuisse de pluribus venialibus, aut nominare aliquam culpam, licet minimam, in particulari, cum in hoc sigillo non detur parvitas materiæ : ita communiter Laym. Suar. Lugo, Salm. etc. (3). IV. Si laudat conscientiam pœnitentis, sed in

(1) L. 6. n. 644. v. petes hic. — (2) N. 636. — (3) N. 640.

hoc advertere debet, ne suspicionem det malæ conscientiæ aliorum qui eodem tempore forsan sibi confessi essent. V. Si dicit se aliquem confessum fuisse, modo pœnitens ei non vetuisset ne se proderet ; aut modo ille clam ad confitendum non venisset, ut advertunt Navar. Busemb. Holzm. Sporer etc. VI. Si generaliter loquitur se audivisse tale quoddam peccatum in confessione, ita tamen ut moraliter non possit in pœnitentis cognitionem venire ; sed in hoc cæteroquin confessariis non modica cautio adhibenda est, præsertim loquendo in oppidis ; quia sæpe ob circumstantias personæ, aut oppidi auditores facile possunt venire in cognitionem, aut saltem in suspicionem pœnitentis. VII. Si utitur notitia habita extra confessionem, modo non manifestet aliquam circumstantiam ex sola confessione cognitam. Et in hoc etiam caute procedendum est, quia aliquando, si non est revelatio, saltem potest esse circumstantibus periculum scandali, cum apprehendere possint sic confessiones revelari (1). VIII. Si manifestat aliquid ex licentia pœnitentis, quod certe licitum est, ut docent Nav. Laym. Lugo Conc. Wigandt Roncagl. et alii communiter cum s. Thoma (2) contra Sotum Durandum et alios pauciores, qui dicunt non posse pœnitentes hanc dare licentiam ; sed nos dicimus cum communi, quod tale sigillum, sicut tantum in pœnitentium favorem impositum est, ita ipsi possunt removere. Advertendum tamen, quod ut confessarius uti possit tali licentia, debet esse 1. expressa ; 2. omnino spontanea ; unde non potest uti ea, qui unquam eam obtinuisset minis, aut metu reverentiali, ut esset si eam obtinuisset replicatis petitionibus, postquam pœnitens in principio renuisset eam dare. Quapropter semper consultum est ut inducatur pœnitens ad loquendum extra confesssionem de eo, quod patefacere debet ; 3. non sit revocata, quia pœnitens semper potest eam revocare : et idem puto currere, quando censetur pœnitens in alio casu, si adesset, fore ut eam revocaret, quia tunc uti tali licentia videtur fore ut redderet etiam odiosam confessionem. Advertendum hic cum Henriq. Graffiis et Diana, quod in dubio an confessarius nec ne locutus fuisset de licentia, potius credendum est confessario, quam pœnitenti, aut ejus hæredibus, v. gr. quando confessarius ex licentia pœnitentis detegit restitutionem faciendam. Præterea advertendum interdum talem licentiam facto concedi a pœnitente, nempe cum ille ex se de rebus in confessione manifestatis loqui incipit, ut comm. docent Tann. Bon. Suar. Conc. Antoin. Roncagl. Bus. Salm. et alii cum Lugo, qui præterea advertit quod tunc perseverat jam judicium sacramentale, cum illa licentia censeatur moraliter conjuncta cum confessione facta (3). Jam dictum est *præc. n.* 124. numquam licitum esse monere pœnitentem, non petita ab eo licentia de errore in confessione commisso. Licitum est tamen intra confessionem monere de omnibus defectibus commissis, et peccatis confessis etiam in præteritis confessionibus, ut communiter Lugo Salm. Wigandt Conc. Antoin. Roncagl. Sporer, etc. (quicquid dicant Diana et Fagund.) quia sæpe pertinet ad confessarii officium meminisse rerum præteritarum, quoties censentur prodesse pœnitenti. Ne quis dicat pœnitentem retinere jus sigilli etiam in nova confessione quam facit, imo dicendum est potius confessarium in actu confessionis habere jus dicendi quicquid prodest pœnitenti, et sciendi ea omnia, quorum notitia potest inservire ad melius monendum pœnitentem (4). Et hoc dicunt etiam communiter præfati aa. licere confessario hoc facere immediate post absolutionem (5).

(1) N. 638. — (2) In 4. dist. 21. q. 3. a. 2. (3) L. 6. n. 651. — (4) N. 653. — (5) N. 652.

157. Quarto loco notantur casus, quando læditur sigillum. Regula generalis est quod læditur sigillum, quoties utitur confessione, directe vel indirecte revelando peccatum, aut in pœnitentis gravamen. Sed descendamus ad casus particulares 1. Frangit sigillum, qui diceret se in tali monasterio audivisse peccatum grave cujusdam Religiosi, aut diceret quod ibi committuntur peccata gravia, licet personam reticeret, quia tunc quilibet ejusdem monasterii damnum pateretur ; ita communiter Suarez Busemb. Diana Conc. Castr. Laym. etc., quidquid dicant Escob. Henriq. etc., idem dicit Diana cum Maldero, si diceret se audivisse peccatum alicujus Religiosi talis ordinis. Sed probabiliter huic contradicit P. Conc. ; dum hoc dicere non censetur sigilli revelatio, nec gravamen pœnitentis, nam in quolibet ordine communiter adsunt Religiosi pravi ; modo illa non esset religio strictæ observantiæ (1). Dicit etiam Diana quod confessarius alicujus monasterii Monialium scandalum afferret, si concionando nominaret defectus in confessione auditos. Sed hoc etiam intelligendum est cum grano salis, nempe in casu quo nominaret aliquam culpam particularem alicujus Monialis, aut illius monasterii ; secus autem si loqueretur in communi de defectibus quæ communiter in omnibus monasteriis committi solent aut possunt ; alias qui audit confessiones in monasteriis, numquam posset ibi concionari ; quod dicendum non est et communiter oppositum fert usus, et constat ex cap. *Si sacerdos*, afferendo *num. seq.* (2).

158. Quæritur autem an frangat sigillum qui diceret in tali oppido committi talia peccatorum genera, quæ ipse audivit in confessione ? Negant Navar. Ren. Fagund. etc. ; sed communissime et merito affirmant Suar. Bonac. Tamb. Laym. Lugo Con. Diana Viva Castrop. etc., si locus est parvus ; quia tunc revelatio, cum redundaret in infamiam communitatis, redundaret etiam in gravamen pœnitentis. Secus autem si oppidum est magnum, et delicta sunt publica, ut dicunt iidem aa. Lugo Conc. Viva, etc. cum Petrocor. et Habert, qui recte hoc permittunt tunc etiam concionatoribus, modo non manifestent vitia, contra quæ invehuntur, se audivisse in confessione ; et modo non descendant ad circumstantias particulares, et disserant in generali, ut dictum est cap. *Si sacerdos de offic. jud. ord.*, ubi hoc habetur. *Si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel sic confessus fuerit... non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate* (3). Dubium tamen restat quodnam oppidum dicatur parvum, et quodnam magnum. Ego sic dicerem, sicut aliorum etiam cœpi consilium, ut dici possit : *Hic regnat* v. g. *blasphemia*, requireretur ut oppidum constaret saltem tribus millibus personis circiter ; sed minus si tantum diceretur : *Hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur in specie. Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam, (quod tamen esset etiam publicum) meo judicio requiritur ut oppidum sit valde populo frequens, v. g. 6. aut 7. millibus animarum. Si concionator vero haberet notitiam peccatorum extra confessionem, potest majore libertate loqui ; sed pariter cautione utendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis qui ei confessi sunt (4).

159. Frangit sigillum qui utitur notitia confessionis ad externam gubernationem in pœnitentis gravamen. Hoc est contra id quod scribit Sambovius, innixus multis aa. antiquis Adrian. Valent. cum s. Bonavent. et s. Thomas (5). Sed Clemens VIII. Decr. 1594. die 26. mai hoc

(1) N. 654. v. dubit. 2. — (2) N. 654. sub init. (3) Ibid. v. dubit. 1. — (4) L. 6. n. 654. v. dubit. 1. — (5) Suppl. q. 11. a. 1. ad 3.

prohibuit dicens : *Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Et licet hoc decretum fuerit editum tantum pro regularibus Prælatis, recte tamen Croix, et Holzm., quicquid dicat Habert, tenent extendi etiam ad sæculares, cum certe ratio currat etiam de ipsis, nempe quia alias confessio redderetur odiosa. Præterquam quod clarius hoc factum est ex alio Decreto S. C. publicato ex mandato Innoc. XI. anno 1682. quo sequens propositio damnata fuit : *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine pœnitentis ; nisi* (en quod damnatum fuit) *aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Deinde statuit : *Mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ ministris, ut ab ea* (doctrina) *in praxi deducenda prorsus abstineant.* Itaque ex præfato Decreto vetitum est uti notitia confessionis in pœnitentis gravamen, licet ex non usu majus damnum ei eveniret. Hinc recte dicunt Croix Viva Holzm. et Mazzot. (contra id quod etiam dicit Sambov. cum s. Anton.) numquam licere ex notitia confessionis removere indignum ex officio, aut ei negare suffragium ad electionem officii, aut beneficii, aut negare ei Sacramenta, aut a servo auferre claves, aut præterita benevolentiæ communicatione privare, aut ei torvum oculum ostendere, claves arcæ abscondere, fores claudere (1). Ita nec etiam licitum est (nec clam) negare Communionem pœnitenti, aut eum monere, postquam ei denegata fuit absolutio, ut diximus *præc. n.* 124., et ut dicunt communiter Tourn. Conc. Mazzot. Croix Holzm. etc. contra Petrocor, qui pro se citat s. Bonavent. s. Thomam s. Antonin. et alios, qui olim tenebant posse negari ; sed hodie oppositum certum est ex Decr. Innoc. XI. superius relato. Dicunt contra Cast. Bon. Habert. Ant. Spor. etc. posse confessarium ex notitia confessionis cautiorem se reddere in custodiendis bonis, et in socordia sua removenda, modo non ingeratur suspicio peccati, nec adsit exprobratio aliqua pœnitentis ; et huic adhæret s. Thomas (2) dicens : *Potest* (confessarius) *dicere Prælato, quod diligentius invigilet, ita tamen quod confitentem non prodat.* Sed hæc omnia reprobat P. Conc. et non immerito, dum hæc in praxim deducendo difficulter quis evitare potest omne periculum revelationis aut gravaminis. Cæterum advertendum 1. regulam ab omnibus acceptam esse, etiam a P. Concina, licere uti notitia confessionis, quoties non subest nec gravamen, nec revelatio ; unde bene potest confessarius ex illa mores suos componere, pro pœnitente orare, humanius cum eo tractare, casui studere, in interrogationibus se dirigere, aut instruere, aut alios monere in generali, ab aliquo damno cavere (3). Et ita etiam dicimus quod, sublato periculo revelationis aut gravaminis, confessarius sciens pollutam esse ecclesiam, potest, imo debet abstinere a celebratione, ut dicunt Lug. Aver. Tamb. contra Coninc. Sporer. Silvest. etc. (4). Advertendum 2. quod si quis prætenderet beneficium, et Superior extra confessionem sciret ipsum esse indignum prpoter aliquem defectum ætatis aut scientiæ, etc. non solum potest, sed etiam debet ei denegare suffragium, licet ex confessione cognovisset aliquod ejus crimen, ut dicunt Merbes. Natal. de Alex. et Petroc. cum s. Thoma (5). Nec obstat quod pœnitens tunc posset suspicari

(1) L. 6. n. 656.

(2) Suppl. q. 11. a. 1. ad 1. — (3) L. 6. n. 657. v. communiter. — (4) N. 660. — (5) In 4. d. 21. q. 3. a. 1. ad 4. et vide l. 6. n. 657. v. si vero.

ex confessione ei denegari beneficium, quia licet adsit obligatio vitandi rationabiles suspiciones, non autem suspiciones, et conjecturas leves et irrationabiles, quas facile callidi suspicantur, ut docent Lugo cum Medin. Castr. Scot. et Croix, cum Gob. Tamb. Gorm. et s. Thoma (1) qui dicit : *Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam* (nota) *probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Prælatus deberet subditum removere* (2).

160. Dicit Roncaglia, et merito, quod si confessarius cognoverit ex confessione, aliquem esse malæ conscientiæ, non potest ideo (sine alia causa sufficienti) se excusare ab eo audiendo, si ille iterum redit ad confitendum, quoties ex excusatione aliis ingeret suspicionem ; secus autem dicendum, si confessarius esset solus, et aliquo prætextu abiret, aut se excusaret ne eum audiret. Sed huic ultimo acquiescere nequeo, quia talis fuga aut excusatio redderet confessionem odiosam tam pœnitenti, quam aliis in genere ; nam si fideles scirent confessarios ex notitia confessionis posse prætextus fingere ut eos aufugiant, hoc eis occasio esset ut confessionem odio haberent. Unde dico quod in tali casu confessarius tunc tantum potest pœnitentem non audire, cum jam prius ex alio motivo statuerat aliam non excipere confessionem (3).

161. Quæritur 1 an confessarius possit se cavere ab aliquo damno sub aliquo prætextu, si cognosceret ex confessione sibi parari insidias in vitam et bona ? Si abest revelatio sigilli et pœnitentis gravamen, procul dubio potest ; sed dubium restat, utrum possit, quando ex confessarii actionibus insidias parantes argumentari possent confessionem factam a complice de insidiis paratis ? Permittunt Castrop. Wig. Laym. Petroc., etc. quia tunc, ut dicunt, confessarius non revelat peccatum confessum, sed tantum confessionem peccati factam. Sed merito negant Lugo Sanch. Ronc. Salm. Mazzotta, etc., quia tunc semper intervenit revelatio indirecta, dum, talibus circumstantiis positis, non tantum revelatur confessio, sed indirecte etiam peccatum confessum, aut saltem præbetur rationabilis suspicio.

(1) Quodlib. 4. a. 13. — (2) L. 6. n. 661. — (3) N. 659. v. notand. sub fin.

162. Quæritur 2. an cum confessarius requisitus est de schedula confessionis, possit eam exhibere pœnitenti non absoluto ? Diversæ adsunt sententiæ, sed communior et probabilior cum Laym. Ronc. Croix Spor. Elbel Holzm., etc. (contra Bonac. et Lugo) ita distinguunt : Si schedula loquitur de sola confessione, illa non debet negari ; quia si negaretur, ex una parte revelaretur pœnitentis indispositio : ex alia, si concederetur, non jam testificaretur absolutio data, sed tantum confessio facta, quæ jam revera facta est. Secus autem, si confessarius deberet scribere schedulam, quod pœnitens sit absolutus ; quia tunc non obstat sigillum, cum mendacium juxta omnes sit intrinsece malum, et in nullo casu dicendum est. Attamen si schedulæ essent jam impressæ, et ibi assereretur etiam absolutio data (quod a prælatis permitti numquam deberet), tunc mihi videtur probabile cum aliis (quos consului), licite posse eam præberi etiam non absolutis, saltem cum pœnam eam petunt, quia tunc confessarius nec dicit nec scribit aliquod mendacium, sed tantum facit illam actionem præbendi schedulam, quam cæteroquin negare non potest, quin pœnitentis indispositionem manifestet (4).

163. Quæritur 3. an confessarius possit vitare pœnitentem qui ei minatur mortem, ob absolutionem quæ ei denegatur? Respondetur cum Lugo et Ronc. quod bene potest ab eo au-

(4) l. 6. n. 639.

fugere, quoties non datur aliis suspicio denegatæ absolutionis ; nam illæ minæ jam non sunt confessio, aut peccata narrata in confessione, sed sunt peccata commissa intra confessionem. Quod si non posset aufugere quin suspicionem istam ingeraf, tunc pro absolutione recitare potest aliquam orationem. Nec obstat dicere quod ista videretur simulatio administrationis Sacramenti ; quia tunc eveniret simulatio, quando diceret illam orationem, ut crederetur absolutio; secus vero cum profert tantum ut liberetur ab illa vexatione. Posset etiam, ut dicit p. Cardenas, ut liberaretur a vexatione, proferre formam ita: *Ego te non absolvo*, prolato verbo *non* submissa voce ; vide dicenda in *Append.* 3. *de exam. Ordinand. n.* 16. (1).

164. Quæritur tandem 4. an liceat in hac materia sigilli uti opinione probabili? Gobat. Croix Diana, etc. dicunt tantum expedire ut teneantur opiniones quæ magis favent sigillo : sed dicit melius p. Viva, non licere uti scientia acquisita per confessionem, nisi quando moraliter certum est, aut saltem probabilissimum (adeo ut oppositum non sit probabile) non adesse aliquam fractionem sigilli, aut aliquod gravamen pœnitentis. Et duplici ratione hoc asserit : primo quia sic requirit reverentia debita Sacramento ; sed hæc ratio sufficienter non convincit, dum dicunt multi graves aa. Pontius Sanch. Salon. Vasq., etc. non deberi majorem reverentiam quam probabilem tam præceptis divinis, quam Sacramentis. Secundo propter periculum gravaminis pœnitentis, quia etiam gravamen probabile odiosam reddit confessionem. Hæc ratio est valde fortis, et effecit ut a prima sententia ad hanc venirem: quandoquidem ex una parte non licet uti opinione probabili in præjudicium juris certi quod possidet proximus, ut jam dictum est *Tr.* 1. *n.* 21. ; ex alia parte certum est quod pœnitens possidet jus ne gravetur ex sua confessione ; quare non licet confessario uti aliqua opinione, quæ potest afferre probabile gravamen pœnitenti (2).

(1) N. 659.

CAPUT IX.

De sollicitatione in confessione.

165. *Bulla Gregorii XV.*
166. *Punct. I. Claus. I. In actu, etc.*
167. *Claus. II. Sive ante, etc.*
168. *Claus. III. Occasione confessionis.*
169. *Prætextu confessionis.*
170. *Claus. IV. Extra confessionem, etc. An requiratur simulatio, etc.*
171. *Punct. II Casus in quibus denuntiandum est.*
172. *Casus in quibus non.*
173. *Si mulier sollicitat confessarium.*
174. *An confessarius divertens ad tactus, etc.*
175. *Si emendatus, etc.*
176. *Punct. III. An pœnitens possit absolvi antequam denuntiet ? et an teneatur epistola, etc.; et si, cum possit ex se, repugnet, etc.*
177. *De excommunicatione quam incurrit.*
178. *Si admonitio non est profutura.*
179. *Debet fieri denuntiatio, licet non probetur, etiam ab aliis qui sciunt, etc; et licet sit occulta sollicitatio.*
180. *Punct. IV. Quid si sollicitatio dubia.*
181. *Qui laudat pulchritudinem, etc.*
182. *Casus particulares.*
183. *De inhabilitate sollicitantium ad celebrandum.*

165. Ex Bulla Gregorii XV. tenentur confessarii ad monendos pœnitentes de obligatione denuntiandi Episcopis illos sacrilegos confessarios qui eos ad turpia sollicitassent. Primum omnium juvat hic adnotare verba præfatæ Bullæ, anno 1622. *Omnes sacerdotes, tam sæculares, quam regulares, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario,*

(2) N. 633.

aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. Et inde subjungitur : *Mandantes omnibus confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu tractantes, etc. inquisitoribus, et locorum Ordinariis.*

PUNCTUM I.

EXPENDUNTUR CLAUSULÆ APPOSITÆ IN BULLA GREGORII.

166. Clausula I. *In actu sacramentalis confessionis.* Ad hoc sufficit ut confessio inchoata sit, licet non perfecta. Et hic nota denuntiandum esse confessarium qui intra confessionem daret chartam pœnitenti, in qua ad venerea eam incitaret, ut habetur ex propositione 6. damnata ab Alexandro VII. ; idem currit si in confessione diceret pœnitenti ut expectet domi : aut si interrogasset ubi habitet, et deinde ad eam accederet et sollicitaret, quoties ex circumstantiis dignosceretur quod interrogatio facta sit fine sollicitationis ; ita recte dicunt Bonac. et Bordon. (1).

167. Clausula II. *Sive ante, sive post immediate.* Illud *ante immediate* intelligendum est ita stricte, ut nullum intercedat intervallum inter sollicitationem et confessionem, ut communiter dicunt Bos. Passer. et Delben. apud Ronc. Si autem, dum mulier ante sedem confessionalem confessura manet, confessarius non casu, sed ex proposito manibus aut pedibus eam tangeret, certe denuntiandus esset. Si vero confessarius eam sollicitasset occasione quod pœnitens petisset ab eo confiteri, dicimus cum Bordon. (contra Salm.) non propter hanc clausulam denuntiandum eum esse, sed per clausulam III. *Occasione confessionis*, quoties confessarius uteretur illa petitione ad eam sollicitandam ; secus vero cum uteretur ea tantum ad colloquendum, et deinde tentatus sollicitasset (2). Pariter illud *post immediate* intelligitur quando nulla alia intermediat actio, ut communiter Salm. Potestas Hurtad. Peyr., etc. Hinc dicit Potestas, quod cum pœnitens jam discessisset a confessionali, et hic postea eam sollicitaret, non est denuntiandus ; sed si immediate post confessionem ei diceret : *Expecta paulisper*, et post aliquod intervallum (non autem die sequenti) accederet, et eam sollicitaret, tunc denuntiandus est, licet in principio de alio negotio tractaret, quia tunc ille tractatus prudenter præsumitur fictus. Nihilominus quidam doctor hoc negabat, et non abs re, si illud negotium, de quo in principio loquitur confessarius, esset magni momenti, et prætextus non appareret. Proculdubio denuntiandus est, si diceret pœnitenti: *Hodie me expecta domi tuæ*, et postea nulla occasione negotii magni momenti eam sollicitaret. Idem currit, si statim a confessione in aliquem locum secretum conduceret. Idem, si immediate post confessionem illa accedente sibi ad deosculandum manum, ipse malitiose adstringeret manum illius (3).

168. Clausula III. *Occasione, vel prætextu confessionis. Occasio* intelligitur quando confessarius invitat pœnitentem, vel pœnitens confessarium ad veram confessionem : *Prætextu* vero ad confessionem fictam. Et 1. in quantum ad *occasionem*, si confessarius requisitus a pœnitente ad excipiendam ejus confessionem, sermonem alio diverteret, et eam sollicitaret, jam ex hac clausula denuntiandus est, licet non adhuc in confessionali sedisset, nec mulier genuflexisset, ut dicunt communiter Castrop. Salm. Ronc. et Potestas (4). Idem hoc currit, licet mulier pete-

(1) l. 6. n. 676.

(2) N. 676.—(3) l. 6. n. 677.—(4) N. 678.

fugere, quoties non datur aliis suspicio denegatæ absolutionis ; nam illæ minæ jam non sunt confessio, aut peccata narrata in confessione, sed sunt peccata commissa intra confessionem. Quod si non posset aufugere quin suspicionem istam ingeraf, tunc pro absolutione recitare potest aliquam orationem. Nec obstat dicere quod ista videretur simulatio administrationis Sacramenti ; quia tunc eveniret simulatio, quando diceret illam orationem, ut crederetur absolutio; secus vero cum profert tantum ut liberetur ab illa vexatione. Posset etiam, ut dicit p. Cardenas, ut liberaretur a vexatione, proferre formam ita: *Ego te non absolvo*, prolato verbo *non* submissa voce ; vide dicenda in *Append.* 3. *de exam. Ordinand. n.* 16. (1).

164. Quæritur tandem 4. an liceat in hac materia sigilli uti opinione probabili? Gobat. Croix Diana, etc. dicunt tantum expedire ut teneantur opiniones quæ magis favent sigillo : sed dicit melius p. Viva, non licere uti scientia acquisita per confessionem, nisi quando moraliter certum est, aut saltem probabilissimum (adeo ut oppositum non sit probabile) non adesse aliquam fractionem sigilli, aut aliquod gravamen pœnitentis. Et duplici ratione hoc asserit : primo quia sic requirit reverentia debita Sacramento ; sed hæc ratio sufficienter non convincit, dum dicunt multi graves aa. Pontius Sanch. Salon. Vasq., etc. non deberi majorem reverentiam quam probabilem tam præceptis divinis, quam Sacramentis. Secundo propter periculum gravaminis pœnitentis, quia etiam gravamen probabile odiosam reddit confessionem. Hæc ratio est valde fortis, et effecit ut a prima sententia ad hanc venirem: quandoquidem ex una parte non licet uti opinione probabili in præjudicium juris certi quod possidet proximus, ut jam dictum est *Tr.* 1. *n.* 21. ; ex alia parte certum est quod pœnitens possidet jus ne gravetur ex sua confessione ; quare non licet confessario uti aliqua opinione, quæ potest afferre probabile gravamen pœnitenti (2).

(1) N. 659.

CAPUT IX.

De sollicitatione in confessione.

165. *Bulla Gregorii XV.*
166. *Punct. I. Claus. I. In actu, etc.*
167. *Claus. II. Sive ante, etc.*
168. *Claus. III. Occasione confessionis.*
169. *Prætextu confessionis.*
170. *Claus. IV. Extra confessionem, etc. An requiratur simulatio, etc.*
171. *Punct. II Casus in quibus denuntiandum est.*
172. *Casus in quibus non.*
173. *Si mulier sollicitat confessarium.*
174. *An confessarius divertens ad tactus, etc.*
175. *Si emendatus, etc.*
176. *Punct. III. An pœnitens possit absolvi antequam denuntiet ? et an teneatur epistola, etc.; et si, cum possit ex se, repugnet, etc.*
177. *De excommunicatione quam incurrit.*
178. *Si admonitio non est profutura.*
179. *Debet fieri denuntiatio, licet non probetur, etiam ab aliis qui sciunt, etc; et licet sit occulta sollicitatio.*
180. *Punct. IV. Quid si sollicitatio dubia.*
181. *Qui laudat pulchritudinem, etc.*
182. *Casus particulares.*
183. *De inhabilitate sollicitantium ad celebrandum.*

165. Ex Bulla Gregorii XV. tenentur confessarii ad monendos pœnitentes de obligatione denuntiandi Episcopis illos sacrilegos confessarios qui eos ad turpia sollicitassent. Primum omnium juvat hic adnotare verba præfatæ Bullæ, anno 1622. *Omnes sacerdotes, tam sæculares, quam regulares, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario,*

(2) N. 633.

aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. Et inde subjungitur : *Mandantes omnibus confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu tractantes, etc. inquisitoribus, et locorum Ordinariis.*

PUNCTUM I.

EXPENDUNTUR CLAUSULÆ APPOSITÆ IN BULLA GREGORII.

166. Clausula I. *In actu sacramentalis confessionis.* Ad hoc sufficit ut confessio inchoata sit, licet non perfecta. Et hic nota denuntiandum esse confessarium qui intra confessionem daret chartam pœnitenti, in qua ad venerea eam incitaret, ut habetur ex propositione 6. damnata ab Alexandro VII. ; idem currit si in confessione diceret pœnitenti ut expectet domi : aut si interrogasset ubi habitet, et deinde ad eam accederet et sollicitaret, quoties ex circumstantiis dignosceretur quod interrogatio facta sit fine sollicitationis ; ita recte dicunt Bonac. et Bordon. (1).

167. Clausula II. *Sive ante, sive post immediate.* Illud *ante immediate* intelligendum est ita stricte, ut nullum intercedat intervallum inter sollicitationem et confessionem, ut communiter dicunt Bos. Passer. et Delben. apud Ronc. Si autem, dum mulier ante sedem confessionalem confessura manet, confessarius non casu, sed ex proposito manibus aut pedibus eam tangeret, certe denuntiandus esset. Si vero confessarius eam sollicitasset occasione quod pœnitens petisset ab eo confiteri, dicimus cum Bordon. (contra Salm.) non propter hanc clausulam denuntiandum eum esse, sed per clausulam III. *Occasione confessionis*, quoties confessarius uteretur illa petitione ad eam sollicitandam ; secus vero cum uteretur ea tantum ad colloquendum, et deinde tentatus sollicitasset (2). Pariter illud *post immediate* intelligitur quando nulla alia intermediat actio, ut communiter Salm. Potestas Hurtad. Peyr., etc. Hinc dicit Potestas, quod cum pœnitens jam discessisset a confessionali, et hic postea eam sollicitaret, non est denuntiandus ; sed si immediate post confessionem ei diceret : *Expecta paulisper*, et post aliquod intervallum (non autem die sequenti) accederet, et eam sollicitaret, tunc denuntiandus est, licet in principio de alio negotio tractaret, quia tunc ille tractatus prudenter præsumitur fictus. Nihilominus quidam doctor hoc negabat, et non abs re, si illud negotium, de quo in principio loquitur confessarius, esset magni momenti, et prætextus non appareret. Proculdubio denuntiandus est, si diceret pœnitenti: *Hodie me expecta domi tuæ*, et postea nulla occasione negotii magni momenti eam sollicitaret. Idem currit, si statim a confessione in aliquem locum secretum conduceret. Idem, si immediate post confessionem illa accedente sibi ad deosculandum manum, ipse malitiose adstringeret manum illius (3).

168. Clausula III. *Occasione, vel prætextu confessionis. Occasio* intelligitur quando confessarius invitat pœnitentem, vel pœnitens confessarium ad veram confessionem : *Prætextu* vero ad confessionem fictam. Et 1. in quantum ad *occasionem*, si confessarius requisitus a pœnitente ad excipiendam ejus confessionem, sermonem alio diverteret, et eam sollicitaret, jam ex hac clausula denuntiandus est, licet non adhuc in confessionali sedisset, nec mulier genuflexisset, ut dicunt communiter Castrop. Salm. Ronc. et Potestas (4). Idem hoc currit, licet mulier pete-

(1) l. 6. n. 676.

(2) N. 676.—(3) l. 6. n. 677.—(4) N. 678.

ret crastino confiteri, ut recte dicunt Conc. et Mazzotta contra Quarti et Leand. Nec obstat dicere quod talis sollicitatio non est proxima ad confessionem, quia jam verificatur quod sit prætextu confessionis (1). An autem denuntiandus sit confessarius, qui ob peccatum anditum a pœnitente postea accedit domum ejus ad ibi eam sollicitandam : negant Nav. Trullench. Salm., etc., quia tunc (dicunt) confessarius non utitur occasione confessionis, sed tantum notitia in confessione habita. Sed probabilius affirmant Roncagl. Conc. Mazzotta Pot-stas Bordon. Lezan., quia revera tunc jam occasione confessionis sollicitat, cum sollicitatio impulsum habeat a confessione; et rationabiliter præsumitur confessionis notitia ad sollicitationem usum fuisse, cum, audita mulieris fragilitate, interrogat v. g. de ejus habitatione, si ibi sola moretur, etc., aut (ut dicit p. Conc.) si confessarius cum tali pœnitente nunquam antea, familiariter usus esset, et postea, cognita ejus levitate, accederet sollicitaturus, aut litteris sollicitaret, aut requisitus de confessione, promitteret se eam auditurum, modo illa pravo suo desiderio consentiat (2).

169. II. In quantum ad *prætextum* confessionis, certe denuntiandus est confessarius qui prius exposceret pœnitentem, an velit confiteri, et postea eam sollicitaret, ut recte dicunt Conc. Ronc. Bordon. et Mazzotta. Secus vero qui licentiam a Superiore peteret ut in domum mulieris se conferat prætextu confessionis, sed finis esset eundi ad eam tentandam, ut recte dicunt Salmant. Roncag. Bordon. et Tanered., quia tunc confessionis prætextus non est respectu pœnitentis, sed Superioris. An debeat denuntiari confessarius qui cum pœnitente convenit, ut se infirmam simulet, et prætextu confessionis ad se eum advocet; affirmant Fag. Mazz. Conc., etc.; sed communius et probabilius negant Ronc. Escob. Bordon. Diana Leand. Trullench. etc., quia non est quod tunc fiat sollicitatio prætextu confessionis, sed sub tali prætextu executioni mandatur eorum indigna conventio; adeoque prætextus non inservit ad sollicitandum, sed ad domesticis illudendum, ne de malo suspicentur. Tanto minus mulier teneretur ad denuntiandum, si illa prætextu confitendi confessarium sollicitaret, et ille consentiret. Secus autem esset, si confessarius mulierem sollicitasset, licet extra confessionem, sed illa repugnante ob timorem ne videretur, confessarius ei insinuaret, ut se simulet ægrotam et tali prætextu illum ad se advocet; quia tunc recte verificatur quod prætextus confessionis sit motivum quo ille ad sollicitandum pergat, et consensum mulieris obtineat. Ita etiam puto denuntiandum fore confessarium vocatum a matre ad audiendam confessionem filiæ, et ille sub tali prætextu accedit ad colloquendum cum filia pravo fine, et eam sollicitat. Ita etiam censeo denuntiandum esse eum qui vocatur ad absolvendam mulierem sensibus destitutam, et ille sub tali prætextu, sive occasione accedit ad eam, et inhoneste eam tangit. Item dicendum cum Escob. et Diana de confessario qui in confessionali, aut in alio loco electo ad audiendas confessiones, pro audienda confessione, ut simulat, sollicitat pœnitentem (3).

170. Clausula IV. *Extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.* Notant Escob. et Ronc. quod illud *simulantes ibidem confessiones audire*, intelligitur quando tam mulier simulat confiteri, quam confessarius audire confessionem, inferentes id ex verbo *simulantes* quod comprehendit utrumque. Sed melius dicunt Castr. Trullench. Fagund. et Diana, quod ut denuntiandus sit, sufficit quod confessarius maneat in confessionali, aut in alio loco electo ad audiendas confessiones, et ibi muliere genuflexa ipse eam sollicitet : nam tunc facto ipso confessarius jam simulat confessionem, dum ita sufficienter efficit, ut adstantes credant quod mulier confiteatur. Secus autem esset, si extra confessionalem sedem eam sollicitaret, dum illa sisti, aut sedet (1). Dictum est *extra confessionalem* ; sed hic suboritur aliud dubium, an sit denuntiandus qui sollicitat, aut tractat de turpibus in confessionario, confessionem non simulando? negant Cast. Escob. Ronc. Salm., etc. ratione ducta ex verbis in Bulla : *In confessionario, aut in loco quocumque electo, simulantes ibidem confessiones audire*. En igitur (dicunt) quod præter confessionarii locum requiritur etiam simulatio. Sed probabilius dicimus cum Potest. Diana Conc. et Mazzot. quod si confessarius sollicitat extra confessionarium, tunc, ut denuntiandus sit, requiritur simulatio confessionis ; sed si ille sollicitat in confessionario, sufficit ut adsit solus tractatus inhonestus. Et hoc probatur ex Decr. Pauli V. 10. julii, 1614. quo præcepit procedi in confessarios, *qui tractant cum mulieribus in confessionali, extra occasionem confessionis de rebus inhonestis*. Itaque juxta hoc Decretum non requiritur jam aliqua simulatio. Opponitur quod hoc Decretum jam moderatum sit a Greg. sua Bulla ; sed respondetur quod nullum Decretum censetur revocatum, nisi subsequens sit omnino oppositum, adeo ut non possit aliter explicari ; sed hic recte potest explicari Bulla Gregorii, quod simulatio non requiritur respectu confessionarii, sed alterius loci ad confessionem electi, dum verba *simulantes ibidem*, apposita sunt immediate post verbum *electo*. Additur quod juxta aliud Decretum inquisitionis rom. relatum in Opere præcipitur denuntiatio omnium illorum *qui abusi sunt Sacramento Pœnitentiæ, confessionem, aut confessionarium adhibentes ad fines inhonestos* (2)

(1) Ib. dubit. 1.— (2) N. 678. dubit. 2.

(3) I. 6. n. 679.

(1) N. 680.

PUNCTUM II.

QUI DENUNTIARI DEBENT.

171. Hodie ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. 1741' (quicquid ante illam dixerint nonnulli aa.) omnino denuntiandi sunt confessarii sollicitantes : 1. Licet jurisdictione privati sint. 2. Licet sollicitatio fuerit mutua. 3. Licet pœnitens consenserit (et hic advertendum quod juxta Decretum relatum in Opere (3) pœnitens quæ consentit, non tenetur delictum suum aperire, imo super illud nec debet interrogari). 4. Licet sollicitatio multo abhinc tempore evenerit (4) Item ex Bulla Gregorii XIII. denuntiandus est laicus qui se simulat confessarium et sollicitat (5). Insuper denuntiandus est confessarius sollicitans, licet de tali delicto aliunde fuerit accusatus, convictus et in eum animadversum sit, ut recte dicunt Bonac. Diana Salm. etc. contra aliquos (6). Præterea proculdubio denuntiandus est qui pœnitentem sollicitat, ut ipsa seducat aliam ad secum peccandum ; et hoc tum ratione Decreti allati *n* 170. *in fine*, tum ex Bulla Greg. qui imponit denuntiandos omnes, qui *in confessione personas ad inhonesta inter se, sive* (nota) *cum aliis, quomodolibet... sollicitare... tentaverint*. Et idem currit, si confessarius in confessionali tractaret ut pœnitens cum alio peccaret, uti constat ex præfata Bulla *Sacramentum*, ubi imponitur denuntiatio, licet *sollicitatio* non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit (7).

(2) Ibid. v. dixi. — (3) n. 681. et 700. —(4) n. 687. quær. 9.— (5) n. 688. —(6) l. 6. n. 687.-- (7) n. 691. quær. 13.

172. Contra non adest obligatio denuntiandi 1. confessarios qui sollicitant ad alia peccata non inhonesta, ut communissime, et recte dicunt Castrop. Bonac. Holzm. Ronc. Mazzot. etc. contra paucos ; quia talis obligatio nullibi expressa legitur. Nec obstant verba Bullæ, *illicitos et inhonestos sermones, sive tractatus*, adversarii opinionem suam firmando super verbo *illicitos*, quia respondetur quod utrumque verbum *illicitos et inhonestos* ad idem refertur, sicut apparet ex contextu totius Bullæ (1). 2. Defunctos, nam pro ipsis omnino cessat finis tam emendationis, quam animadversionis (2). 3. Pœnitentes qui sollicitant in confessione, ut communiter docent dd. contra Caramuel., nec quidem admirante, nam in aliis est ita benignus, ne dicam laxus, et hic tam severus, sed præter rationem, dum pro legibus pœnalibus regula communis est quod illæ non se extendunt ad casus similes. Neque hic certe eadem currit regula de pœnitentibus ac de confessariis, propter multa motiva quæ patent, et præcipue propter suspicionem quæ intervenire posset revelationis sigilli, si confessarii denuntiassent pœnitentes (3).

173. Sed quæritur 1. an mulieri quæ sollicitavit confessarium tenea-tur illum denuntiare, si ipse consensum præstitit. Affirmant Ronc. Felix Potestas Salm. Mazz, etc. dicentes quod ex Bullæ sensu debet imponi pœnitentibus denuntiare non tantum confessarios sollicitantes, sed etiam illos qui in confessionali habent tractatus turpes. Sed negant Bonacina Castropal. Hurtad. del Bene Trul. et Diana vocat hanc opinionem probabilem, et tutam ; et adhæret etiam Roncagl. dicendo cum Bordon. quod per tractatum inhonestum intelligitur ille, cujus auctor est confessarius; sed ratio, quæ mihi validior pro hac tuenda sententia videtur, est quod in Bulla Gregorii illis solis pœnitentibus debent confessarii imponere onus denuntiationis, *quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos*. Pœnitentes sollicitantes dici non possunt sollicitati ; unde ex verbis Bullæ videtur deduci, quod mulier sollicitans potest, si vult, denuntiare confessarium, sed ad id non tenetur : tum quia in eo casu faciliter se exponit periculo, ne infamia propria manifestetur a confessario denuntiato: tum quia non præsumitur Pontifex voluisse imponere mulieri, quæ sollicitavit confessarium, onus tam grave ut ipsamet debeat eum accusare, ideoque Pontifex expressit illa verba, *quos noverint sollicitatos*. Quidam dicere voluit hanc opinionem postea fuisse reprobatam a Benedicto XIV. in Bulla *Sacramentum*, dat. 1. Jun. 1741. ; sed perperam hoc venditat, (§. 2.) dum Pontifex nihil aliud dixit, nisi quod debeat denuntiari, *licet sollicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit*. Sed magni interest inter mutuam sollicitationem, et illam pœnitentis, cui confessarius consentit ; dum dd. recte distinguunt primum a secundo casu, ut videre est apud *Potestatem* (4), ubi dicunt sollicitationem mutuam evenire, cum confessarius sollicitatus a Pœnitente ad unam inhonestatis speciem, ipse sollicitat eam ad aliam ; ut dicetur numero sequenti ; aut cum confessarius sollicitatus in principio dissentit, aut sermonem alio divertit, et postea aliquo intervallo elapso eam sollicitat ; et in his casibus mutuæ sollicitationis, dicebant plures ap. Castrop. Peyrin. et Acuna, quod non aderat obligatio denuntiationis : sed hæc opinio est illa quam damnavit Benedictus. Et merito, nam in talibus casibus jam verificatur quod pœnitens vere sollicitata fuerit ; sed in nostro casu quando confessarius simpliciter consentit, non verificatur, nec potest dici mulier fuisse sollicitata. Quando autem confessarii cooperatio dicenda

(1) N. 684. — (2) n. 692.— (3) n. 689.

(4) Tom. 2. de Denunc. n. 581.

sit vel simplex consensus, aut etiam sollicitatio, hoc pendet a circumstantiis, a discursu, et facto, quæ inter ipsum et pœnitentem intercedunt(1).

174. Quæritur 2. an denuntiandus confessarius, qui sollicitatus ad copulam, divertit ad tactus ? Affirmant Salm. Leand. et Diana ; sed probabiliter negant Castropal. Escob. Hurtad. Trullench. etc. Ratio, quia mulier ad copulam sollicitans virtualiter provocat eum ad tactus, qui in copula continentur, atque ordinarie ad copulam præmittuntur ; unde tunc vere accidit, quod confessarius (ut mox supra dictum est) non sollicitat, sed sollicitatus consentit. Secus tamen (ut recte aiunt Castrop. et alii) dicendum, si ille sollicitatus ad fornicationem, diverteret ad sodomiam, vel contra ; quia istarum turpitudinum una non continetur in alia (2),

175. Quæritur 3. an debeat denuntiari confessarius sollicitans jam emendatus ? Negant Sot. Molfes. Lug. Castrop. Sot. Escob. Fagun. Trullen. Hurt., etc. ; et hæc opinio probabilis appellata est a p. Viva, et ab *Instructore*, etc. Ratio est (ut dicunt quia tunc cessat finis principalis denuntiationis qui est emendatio rei. Dicunt autem signa emendationis esse : 1. Si multo abhinc tempore non amplius mulierem tentavit licet hæc pluries ad eum regressa esset. 2. Si per tres annos bene vixit. 3. Si Religiosus factus est. 4. Si habetur pro viro rectæ conscientiæ, et vix semel atque iterum in id prolapsus sit, aut si senex factus est, aut si post sollicitationem statim se pœnituit. Advertit tamen Viva ea signa non sufficere, nam ipsa debent emendationis judicium moraliter certum constituere. Sed hoc non obstante, ego cum Suar. Azor. Salm. etc. judico absolute probabiliorem sententiam oppositam, nempe quod etiam emendati denuntiandi sunt, quia Ecclesia in tali delicto non solum requirit rei emendationem, sed etiam animadversionem ad aliorum exemplum (3).

PUNCTUM III.

QUIS TENETUR AD DENUNTIANDUM.

176. Antequam ad punctum descendamus, tria notabilia advertere oportet : primum quod pœnitentes sollicitati absolvi nequeunt, antequam fiat denuntiatio : et si forte justo detinentur impedimento, debent saltem promittere quamprimum id se esse facturos. Notanda sunt verba Bullæ *Sacramentum* Benedicti XIV. ubi clarius id exprimitur : *Caveant diligenter confessarii ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant* (4). Sed hic dubitatur an pœnitens, qui personaliter non potest denuntiare, teneatur id facere per litteras aut per alios ? Affirmant Salm. et huic opinioni adhæreo ego etiam cum Viva et Ronc. (quicquid dicant alii), quoties moraliter non adsit periculum infamiæ : quia pœnitens tenetur tali debito, modo quo potest, satisfacere ; unde si personaliter non potest, tenetur saltem per litteras. Nec obstat quod dicitur *Tr.* 20. *n.* 44., nempe quod si pœnitens habens casum reservatum est impeditus, ut se præsentet Superiori, non tenetur per epistolam ; quia ibi obligatio est adeundi personaliter Superiorem, ut ab eo recipiat monitionem ; sed hæc obligatio, juxta verba Pontificis, est ut tantum Prælato indicet delinquentem, ut remediis opportunis damno, quod ille afferre potest, consulat (5). Hæc autem denuntiatio per litteras, si Episcopo eam deferre nolit, potest mitti Romam. Confessarius autem, si ipse denuntiationem ex auctoritate Episcopi excipere velit, si eam ne-

(1) I. 6. n. 681.— (2) N. 632.

(3) N. 686.—(4) N. 693.—(5) I. 6. n. 699.

quit scribere, satis erit ut Prælatum certiorem faciat de confessarii nomine, et de qualitate sollicitationis, quin mentionem faciat de consensu, vel dissensu a pœnitente præstito. Dictum est *si eam excipere velit*. Cæterum advertunt Viva Tamb. et Ronc. non expedire in praxi ut confessarius hoc sibi onus suscipiat hujusmodi denuntiationes afferendi, nisi cum in aliquo casu pro observasset nullum aliud remedium suppetere quo damno communi prospici possit (1). Dicunt præterea *del Bene et Instr.* etc., quod si mulier valde repugnaret Episcopum adire, potest illa alium expectare confessarium, qui velit denuntiationem referre Episcopo si præsens confessarius id facere recusat. Et eo casu quo pœnitens induci non posset ad denuntiandum etiam per confessarium, refert p. Maz. Decretum ubi dictum est quod tunc recurrendum est ad Sedem apostolicam pro opportuno remedio, et interim non absolvatur ; et testatur idem auctor quod aliquando Sedes apostolica in casu magni ruboris aut alicujus vani timoris, pro illa vice a denuntiationis onere liberavit (2).

177. Secundo advertendum est quod pœnitens, qui, cum posset, non denuntiat intra mensem (qui computatur a die quo obligatio advertitur), incurrit excommunicationem ipso facto (3). Sed hic dubitatur, an illa denuntiatione executa, possit absolvi ab excommunicatione a quocumque confessario ? Negant Salmant. Diana Mazzotta etc. ; sed affirmat probabiliter doctissimus Christianus Lupus, cui adhœret Ronc. dicens quod reservatio hujus censuræ durat usquedum durat contumacia, et hoc recte confirmatur ex verbis Decreti relati in Opere (4), ubi dicitur quod pœnitens non potest absolvi ab excommunicatione, *se prima non avrà soddisfatto al suo obbligo* : infertur igitur quod, cum satisfecerit suo muneri, potest absolvi. Contra vero hic advertendum, quod si quis injuste accusaret, sive cooperaretur ad accusandum de sollicitatione aliquem sacerdotem innocentem, incurreret reservationem papalem, sed absque censura, prout dictum est *præc. n.* 129. ex Bulla *Sacramentum*, § 3. Benedicti XIV. ubi dicitur : *Quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impie calumniando vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis aut minis, aut alio quovis modo, etc.* Advertunt tamen Salm. (5), id intelligi de suasione efficaci, ita ut ipsa sit causa injustiæ damnationis secutæ. Addunt que (6) intelligi, nisi suasio ante executionem denuntiationis efficacitier revocetur.

178. Tertio animadvertendum est, quod licet monitio denuntiationis, quæ imponenda est, profutura non sit, etiam facienda est, ut scite advertit Pater Ronc., tum quia hic agitur de damno communi, juxta dicta *n.* 116, tum quia in Bulla Gregor. obligatio non est imposita pœnitentibus, sed confessariis, ad admonendos sollicitatos, ut denuntient etc. (7).

179. Hinc notandum primo quod denuntiatio facienda est a pœnitente, licet ille sollicitationem probare non possit, ut recte dicunt Castrop. Bord. et Bannez, et opinio opposita, quam pauci tenent, videtur utique reprobata per propos. 5. damnatam ab Alex VII. (8). 2. Recte asserunt Suarez Castrop. Salmant. et alii communiter, denuntiationem non tantum faciendam esse a pœnitentibus sollicitatis, sed etiam ab unoquoque qui id sciat, modo id sciat a personis fide dignis, ut exprimitur in Decreto (9), ubi dicitur quod denuntiandi in

(1) ib. v. advertunt. — (2) ib. v. dicunt autem. — (3) N. 693. — (4) N. 693. v. an autem.

(5) Salm. Append. tr. 6. de Bulla Cruc. c. 6. n. 231. et 232. — (6) ib. cit. n. 232. in fin. — (7) l. 6. n. 694. — (8) N. 695. — (9) N. 695 in fine.

fine sunt omnes illi, de quibus notitia habetur Pœnitentiæ Sacramento se abusos fuisse. Et hoc currit, licet sollicitatio sciretur sub secreto naturali, ut recte dicunt Escob. Castr. Trull. Salm. etc., quia nulla adest obligatio servandi secretum etiam promissum cum juramento, quando alioquin adest damnum commune ; excepto casu, si secretum sit manifestatum ad consilium capiendum. 3. Proculdubio facienda est denuntiatio, licet occulta sit sollicitatio, ita communiter Salm. Roncagl. Fill. Trull. Bannez, etc., nec obstat dicere leges pœnales esse stricte interpretandas, quia talis regula non currit in casu (ut esset noster) quo si teneretur stricta obligatio, lex inutilis redderetur.

PUNCTUM IV.

DE SOLLICITATIONIBUS DUBIIS.

180. Quæritur primo an cum sollicitatio est dubia, denuntiatio facienda sit ? Distinguere oportet : si factum aut dictum fuit certa sollicitatio, et tantum dubitatur de sollicitante, tunc denuntiatio certe facienda est, ut Superior saltem de persona inquirere possit. Superiori tamen abstinendum est ab inquirendo, si ei facile non est se certum reddere de persona, ad evitandum periculum infamia notandi aliquem innocentem. Quod si persona est certa, et tantum dubitatur utrum dictum, aut factum sit vera sollicitatio, tunc communius et probabilius, dicunt Ronc. Conc. Potestas Bonac. Salm. etc. cum Instructore pro Confess. non adesse obligationem denuntiandi ; ita ex *reg.* 49. *Jur. in* 6. *In pœnis benignior interpretatio facienda* ; tum quia in dubio nemo fama sua privandus est ; tum quia denique delicta dubia non sunt dicenda delicta (1). Excipitur tamen primo nisi vehementia indicia essent (v. g. de prava vita, aut mala fama confessarii) quæ moralem certitudinem formarent, ut dicunt Ronc. Conc. Boss. Instructor etc. Excipitur 2. cum Bon. Ac. etc. si verba de se sollicitationem præ se ferrent, licet dubitaretur de intentione, dum præsumptio intentionis accipienda est juxta verborum proprietatem. Secus autem si in oppositum adesset præsumptio fraudis ; puta si mulier aut ejus conjuncti cum confessario aliquam habuissent contentionem, aut si illa esset aliquantum mente hebes (2). In casu vero quo indicia alicujus essent momenti, licet non sufficientia ad certificandum denuntiationis debitum, conveniret ut saltem certior fieret Superior, ad hoc ut in posterum se dirigere possit.

181. Quæritur 2. an denuntiandus sit confessarius, qui, dum pœnitens confitetur, ejus pulchritudinem laudat ? Alii affirmant, alii negant ; sed melius incedit Escob. qui dicit in hoc considerandas esse circumstantias, et præsertim discursus qui in confessione tenebatur. Dicunt alii denuntiandum esse confessarium, qui colloquens cum serva in confessione, laudat dominam, ut illi hoc referat ; et idem dicunt si donum grande et insolitum daret pœnitenti. Sed nos dicimus etiam attendendas esse circumstantias v. g. si pœnitens est pauper, si est conjuncta, si illa prius alio dono confessarium donavit etc. (3).

182. Hic nonnullos casus particulares referemus in quibus dd. censent denuntiandum esse confessarium. Primo, si confessarius diceret pœnitenti : *Ego te ducerem in uxorem, si essem sæcularis* ; ita Salmant. Potest. et Diana contra Bordon., quia revera sunt verba nimis excitativa ad venerem. 2. Si diceret : *Expecta me hodie domi tuæ, quia te alloculturus sum* ; et postea, quin de alio negotio loquatur, aut de næniis locutus eam sollicitaret. 3. Si illi diceret : *Hæc tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem* ; Ronc. Bord. et Pot. 4. Si mulieri petenti confiteri diceret : *Nolo te audire in confessione, ne ali-*

(1) N. 702.

(2) ibid. — (3) Num. 703.

quid mihi contingat quia amore tui captus sum 5. Si diceret : *Si quis tibi pecuniam daret, peccares ?* et illam affirmatem non reprehenderet, aut si reprehenderet, postea oblata ei pecunia, eam sollicitaret. 6. Si diceret : *Promitte mihi quod, cum domum tuam veniam, facies quod volo* ; cum mulier confitetur de turpibus cum alio patratis, et diceret : *Cur etiam non es mecum humana ?* aut ei confitenti de turpi desiderio erga illum, responderet : *De hoc loquemur post confessionem*. Si objurgaret concubinam suam, quod cum alio peccavit, addendo minas et contumelias; aut si objurgaret eam de peccatis cum aliis, et non de iis secum commissis (1). Ita etiam denuntiandus esset qui diceret pœnitenti: *Dic mihi quanti me amas ?* aut *Sentis in te eas tentationes erga me, quas ego experior erga te ?* aut : *Vellem te semper videre, et esse juxta te* : aut *Tua causa somnium pravum passus sum* ; aut : *Ingrata mihi es, quia non me amas.*

183. Notandum hic denique, quod Benedictus XIV. in Bulla *In generali Cong.* in confessarios sollicitantes, (aut Sacrificio ad sortilegia abutentes) præter pœnas prius latas, addidit perpetuam inhabilitatem ad celebrandum, dicendo quod sollicitantes *in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, et prætextu, præter pœnas a jure inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad Sacrificii celebrationem*. Hic dubitatur primo, an hæc inhabilitas incurratur ante sententiam declaratoriam ? Ex una parte videtur negandum, dum in simili casu, nempe simoniaci qui incurrit inhabilitatem ad recipienda beneficia, jam requiritur sententia, ut docent Molin. Nav. Laym. Castr. Salm. etc. Sed hoc non obstante affirmandum est, quia juxta sententiam communem Laym. Castropal. Anacl. Salm. Vivæ Mazzot. etc. sententia requiritur ad illas pœnas, quæ positivæ dicuntur, et indigent actione, non vero ad privativas, quæ important, aut inhabilitatem ad aliquod jus acquirendum, aut jure acquisito utendum : et ita reapse loquuntur dd. communiter de inhabilitate, quam habet beneficiatus, qui omisit officium, ad percipiendos fructus beneficii. Quoad autem primum casum simoniaci, dicendum est dd. rationes particulares pro illo habuisse, quæ ad nostrum casum non faciunt. Dubitatur 2. an ab hujusmodi inhabilitate excuset ignorantia invincibilis ? In hoc videtur dicendum idem ac dictum est de irregularitate ex delicto (2); quare vide dicenda *Tract.* 19. loquendo *de Censuris n.* 34. An autem in hac possit dispensare Episcopus, vide dicenda. *Tract.* 20. *de Privilegiis, n.* 53.(3).

(1) l. 6. n. 704.

(2) l. 7. n. 351. — (3) N. 705.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ-UNCTIONIS ET ORDINIS

CAPUT I.

De extrema-unctione.

1. *De essentia, et effectibus Extremæ Unctionis.*
2. *I. De materia remota.*
3. *De materia proxima.*
4. *An necessaria sit unctio omnium sensuum.*
5. *II. De forma, et quomodo aptanda est.*
6. *III. De ministro.*
7. *IV. De subjecto cui ministranda est Extrema-Unctio.*
8. *Quando replicari possit.*
9. *De dispositione.*
10. *An ministranda sit pueris.*
11. *An amentibus, ebriis, impœnitentibus, mutis etc.*
12. *Ad adsit gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.*
13. *De administratione.*

1. Extrema-unctio definitur : *Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo promulgatum ad salutem animæ vel etiam corporis conferendam infirmis de vita periclitantibus per unctionem olei benedicti, et orationem sacerdotis*. Dicitur 1. *Sacramentum*, quia Extrema-Unctio est Verum Sacramentum, ut declaravit Trid. *sess.* 14 *can.* 1. *de Extrema-Unct.* Dicitur 2. *promulgatum a B. Jacobo*, uti habetur ex epistola hujus apostoli c. 5. 14. et seq. *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei*. Dicitur 3. *ad salutem animæ, vel etiam corporis*, ut notentur effectus hujus Sacramenti. Effectus primarius est, ut confortet animam in mortis agone ad resistendum diaboli tentationibus : effectus secundarii sunt tres : 1. Tollere reliquias peccati ; 2. extinguere debitum pœnarum, quæ satisfaciendæ adhuc restant ; 3. conferre etiam salutem corporis, si saluti animæ expedit, ut dicit Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. Quoad autem remissionem peccatorum sententia communior et probabilior affirmat præcipuum effectum hujus Sacramenti esse non remissionem peccatorum (uti contendunt Scotistæ), sed reliquiarum peccatorum abstersionem ; ita Gonet Sot. Suar. etc. cum s. Thoma (1). Dicit autem Angelicus, quod si infirmus invincibiliter ignoraret peccata sua, modo illorum saltem generaliter illum pœniteat per attritionem, per hujus Sacramenti virtutem ei remittuntur omnia tam venialia, quam mortalia. Ita etiam dicunt Bellar. Suar. Laym. et deducunt ex Trid. loco cit. ubi sic legitur : *Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*. Imo valde probabiliter dicunt Merbes Habert Tournely Suar. et Salmant. contra Gonet Petrocor. etc. quod hoc Sacramentum remittit peccata gravia, non quidem per accidens, sed per se, licet consequenter; quia licet hoc Sacramentum sit vivorum, nihilominus institutum fuit a Deo ad remittenda peccata per se, juxta verba apostoli : *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et ut deducitur etiam ex *can.* 2. Tridentini in præfata *sessione* 14. Dictum est *consequenter*, quia principaliter Extrema Unctio instituta est ad abstergendas reliquias peccatorum, nempe internam imbecillitatem, obscuritatem etc. Sed quia, cum in anima reperiatur peccatum, non possunt abtergi illius reliquiæ, quin remittatur peccatum; ideoque consequenter hoc Sacramentum abstergendo reliquias, tollit etiam peccatum (2). Communis autem sententia est cum s. Thoma, et s. Bonav. quod possit hoc Sacramentum esse validum, et informe, adeo ut, remoto obice peccati, saltem per attritionem, si infirmus illud recipit bona fide existens in peccato, reciperet primam gratiam (3). Ideoque dicunt Laym. et Tamb. cui adhæret Benedictus XIV. (4). Quod si infirmus non est capax alterius Sacramenti, sacerdos potest Missam interrumpere, ut ei Extremam-Unctionem afferat, ut gratiam recipiat, si est in peccato, et habet attritionem (5). Dicitur 4. *infirmis de vita periclitantibus*, ut denotetur subjectum, cui hoc Sacramentum exhibendum est. Dicitur 5. *per unctionem olei benedicti* ad denotandam materiam. Dicitur 6. et tandem, *et orationem sacerdotis*, ad denotandam formam. Sed de omnibus sigillatim disserere opus est, et I. De materia ; II. de forma ; III. de ministro ; IV. de sub-

(1) Suppl. q. 30. a. 1.

(2) l. 6. n. 731. — (3) l. 6. n. 707. v quær. 2. — (4) de Synod. l. 8. c. 6. n. 5 — (5) l. 6. n. 728.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quid mihi contingat quia amore tui captus sum 5. Si diceret : *Si quis tibi pecuniam daret, peccares ?* et illam affirmatem non reprehenderet, aut si reprehenderet, postea oblata ei pecunia, eam sollicitaret. 6. Si diceret : *Promitte mihi quod, cum domum tuam veniam, facies quod volo* ; cum mulier confitetur de turpibus cum alio patratis, et diceret : *Cur etiam non es mecum humana ?* aut ei confitenti de turpi desiderio erga illum, responderet : *De hoc loquemur post confessionem*. Si objurgaret concubinam suam, quod cum alio peccavit, addendo minas et contumelias; aut si objurgaret eam de peccatis cum aliis, et non de iis secum commissis (1). Ita etiam denuntiandus esset qui diceret pœnitenti: *Dic mihi quanti me amas ?* aut *Sentis in te eas tentationes erga me, quas ego experior erga te ?* aut : *Vellem te semper videre, et esse juxta te* : aut *Tua causa somnium pravum passus sum* ; aut : *Ingrata mihi es, quia non me amas.*

183. Notandum hic denique, quod Benedictus XIV. in Bulla *In generali Cong.* in confessarios sollicitantes, (aut Sacrificio ad sortilegia abutentes) præter pœnas prius latas, addidit perpetuam inhabilitatem ad celebrandum, dicendo quod sollicitantes *in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, et prætextu, præter pœnas a jure inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad Sacrificii celebrationem*. Hic dubitatur primo, an hæc inhabilitas incurratur ante sententiam declaratoriam ? Ex una parte videtur negandum, dum in simili casu, nempe simoniaci qui incurrit inhabilitatem ad recipienda beneficia, jam requiritur sententia, ut docent Molin. Nav. Laym. Castr. Salm. etc. Sed hoc non obstante affirmandum est, quia juxta sententiam communem Laym. Castropal. Anacl. Salm. Vivæ Mazzot. etc. sententia requiritur ad illas pœnas, quæ positivæ dicuntur, et indigent actione, non vero ad privativas, quæ important, aut inhabilitatem ad aliquod jus acquirendum, aut jure acquisito utendum : et ita reapse loquuntur dd. communiter de inhabilitate, quam habet beneficiatus, qui omisit officium, ad percipiendos fructus beneficii. Quoad autem primum casum simoniaci, dicendum est dd. rationes particulares pro illo habuisse, quæ ad nostrum casum non faciunt. Dubitatur 2. an ab hujusmodi inhabilitate excuset ignorantia invincibilis ? In hoc videtur dicendum idem ac dictum est de irregularitate ex delicto (2); quare vide dicenda *Tract.* 19. loquendo *de Censuris n.* 34. An autem in hac possit dispensare Episcopus, vide dicenda. *Tract.* 20. *de Privilegiis, n.* 53.(3).

(1) l. 6. n. 704.

(2) l. 7. n. 351. — (3) N. 705.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ-UNCTIONIS ET ORDINIS

CAPUT I.

De extrema-unctione.

1. *De essentia, et effectibus Extremæ Unctionis.*
2. *I. De materia remota.*
3. *De materia proxima.*
4. *An necessaria sit unctio omnium sensuum.*
5. *II. De forma, et quomodo aptanda est.*
6. *III. De ministro.*
7. *IV. De subjecto cui ministranda est Extrema-Unctio.*
8. *Quando replicari possit.*
9. *De dispositione.*
10. *An ministranda sit pueris.*
11. *An amentibus, ebriis, impœnitentibus, mutis etc.*
12. *Ad adsit gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.*
13. *De administratione.*

1. Extrema-unctio definitur : *Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo promulgatum ad salutem animæ vel etiam corporis conferendam infirmis de vita periclitantibus per unctionem olei benedicti, et orationem sacerdotis*. Dicitur 1. *Sacramentum*, quia Extrema-Unctio est Verum Sacramentum, ut declaravit Trid. *sess.* 14 *can.* 1. *de Extrema-Unct.* Dicitur 2. *promulgatum a B. Jacobo*, uti habetur ex epistola hujus apostoli c. 5. 14. et seq. *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei*. Dicitur 3. *ad salutem animæ, vel etiam corporis*, ut notentur effectus hujus Sacramenti. Effectus primarius est, ut confortet animam in mortis agone ad resistendum diaboli tentationibus : effectus secundarii sunt tres : 1. Tollere reliquias peccati ; 2. extinguere debitum pœnarum, quæ satisfaciendæ adhuc restant ; 3. conferre etiam salutem corporis, si saluti animæ expedit, ut dicit Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. Quoad autem remissionem peccatorum sententia communior et probabilior affirmat præcipuum effectum hujus Sacramenti esse non remissionem peccatorum (uti contendunt Scotistæ), sed reliquiarum peccatorum abstersionem ; ita Gonet Sot. Suar. etc. cum s. Thoma (1). Dicit autem Angelicus, quod si infirmus invincibiliter ignoraret peccata sua, modo illorum saltem generaliter illum pœniteat per attritionem, per hujus Sacramenti virtutem ei remittuntur omnia tam venialia, quam mortalia. Ita etiam dicunt Bellar. Suar. Laym. et deducunt ex Trid. loco cit. ubi sic legitur : *Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*. Imo valde probabiliter dicunt Merbes Habert Tournely Suar. et Salmant. contra Gonet Petrocor. etc. quod hoc Sacramentum remittit peccata gravia, non quidem per accidens, sed per se, licet consequenter; quia licet hoc Sacramentum sit vivorum, nihilominus institutum fuit a Deo ad remittenda peccata per se, juxta verba apostoli : *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et ut deducitur etiam ex *can.* 2. Tridentini in præfata *sessione* 14. Dictum est *consequenter*, quia principaliter Extrema Unctio instituta est ad abstergendas reliquias peccatorum, nempe internam imbecillitatem, obscuritatem etc. Sed quia, cum in anima reperiatur peccatum, non possunt abtergi illius reliquiæ, quin remittatur peccatum; ideoque consequenter hoc Sacramentum abstergendo reliquias, tollit etiam peccatum (2). Communis autem sententia est cum s. Thoma, et s. Bonav. quod possit hoc Sacramentum esse validum, et informe, adeo ut, remoto obice peccati, saltem per attritionem, si infirmus illud recipit bona fide existens in peccato, reciperet primam gratiam (3). Ideoque dicunt Laym. et Tamb. cui adhæret Benedictus XIV. (4). Quod si infirmus non est capax alterius Sacramenti, sacerdos potest Missam interrumpere, ut ei Extremam-Unctionem afferat, ut gratiam recipiat, si est in peccato, et habet attritionem (5). Dicitur 4. *infirmis de vita periclitantibus*, ut denotetur subjectum, cui hoc Sacramentum exhibendum est. Dicitur 5. *per unctionem olei benedicti* ad denotandam materiam. Dicitur 6. et tandem, *et orationem sacerdotis*, ad denotandam formam. Sed de omnibus sigillatim disserere opus est, et I. De materia ; II. de forma ; III. de ministro ; IV. de sub-

(1) Suppl. q. 30. a. 1.

(2) l. 6. n. 731. — (3) l. 6. n. 707. v quær. 2. — (4) de Synod. l. 8. c. 6. n. 5 — (5) l. 6. n. 728.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jecto cui ferenda est ; V. de administratione.

2. I. Quoad *materiam*. Materia remota est oleum benedictum pro infirmis ; et singulis annis, veteri combusto, renovandum est ex præscripto Clementis VIII, quod obligat sub gravi, ut probabilius tenent Bonac. Castrop. Croix etc. contra alios. Sed casu quo novum haberi non possit, licet uti veteri, ut dicunt Laym. Ayer. Salm. etc. cum quadam declaratione S. C. Et casu quo anni decursu deficeret, licitum est (urgente necessitate) immiscere oleo consecrato non consecratum, sed in minori quantitate, ut dicit Rituale ; et hæc mixtio potest pluries fieri, ut dicunt Bon. Ronc. Carden. Possev. et Croix et ut declaravit S. C. ; modo oleum quod immiscetur sit minoris quantitatis veteri (1). Notandum 1. quod hoc oleum debet esse ex olivis, et benedictum proculdubio de necessitate præcepti ; dubium restat, an etiam necessitate Sacramenti ? Negant Juvenin. Cajet. Sanch. etc. ; sed sententia communissima affirmat cum s. Thoma (2) Scot. Petrocor. Conc. Salm. etc., dum in Trident. *Sess.* 14. cap. I. dicitur : *Intellexit enim Ecclesia materiam* (Extremæ-Unctionis) *esse oleum ab Episcopo benedictum*, in quo certe dogmatice loquitum est (3). Notandum 2. probabile esse cum Bellarm. Valen. Barbos. Castrop. etc. (contra Suar. Laym. etc.) quod oleum debet esse benedictum de necessitate Sacramenti in ordine ad Extremam Unctionem Qua de re sententia opposita, quod possit dari hoc Sacramentum cum oleo Confirmationis vel catechumenorum, in praxi non est probabilis, nisi in solo casu necessitatis ; et tunc administrandum est sub conditione, et si postea haberi possit oleum infirmorum repetendum est, ut præscripsit s. Carolus Borromæus (4). Notandum 3. quod benedictio hujusmodi potest a Papa simplici sacerdoti committi, ex Decreto Clementis VIII. (5). Notandum 4. ad validitatem Sacramenti sufficere digiti extremitatem in oleo intingere et ungere. Sed fit dubium utrum sufficiat una gutta ? Negant Filliuc. Suar. Peyrin. Trullen. etc., dicentes oleum debere diffundi ; sed communius et probabilius affirmant Tannerus Escob. Hurtad. Dicast. Croix etc. ; modo illa gutta sufficiat ad inungendas omnes partes ; nihilominus quia prima non est improbabilis, saltem extrinsece, illa in praxi sequenda est (6).

3. Materia proxima est unctio facta a sacerdote in quinque sensibus, aut saltem in partibus proximis, si forte infirmus esset aliquo sensu mutilatus. Hic notandum 1. quod non est necessarius tactus immediatus manus, cum in necessitate (ut tempore pestis) potest uti virga oblonga oleo tincta, quæ postea comburenda est ; ita Silv. Wig. Escob. Busem. (7). Notandum 2. quod licet unctiones sint multæ, omnes tamen unum constituunt Sacramentum. An autem singulis unctionibus conferatur gratia partialis, negat s. Thomas (8), dicendo totam gratiam conferri in ultima unctione ; sed affirmant multi alii cum Scoto, quia quælibet unctio habet suam formam gratiam significantem. Utraque sententia est probabilis (9).

4. Sed quæritur an unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti ? Alii probabiliter negant, ut Silv. Becan. Merbes. Nat. de Al. etc. dicentes sufficere unam unctionem in qualibet corporis parte, dum apostolus aliud non dicit, quam *ungentes eum oleo*. Sed communius affirmant Sot. Suar. Castrop. Laym. et Salm. cum Bellarm. s. Bonaventura et s. Thoma, quia hic est usus Ecclesiæ communi sensu doctorum sic practicatus. Tantum tempore necessi-

(1) N. 708. — (2) Suppl. q. 29. a. 5. — (3) l. 6. n. 709. dubit. 1. — (4) ib. dubit. 2. — (5) N. 709. dubit. 3. — (6) ib. dubit. 4. — (7) N. 710. — (8) suppl. q. 302. 1. ad. 3. — (9) l. 6 n. 707.

taits (dicunt hi aa. sicut etiam Rituale) potest conferri hoc Sacramentum, sed sub conditione, sub una unctione in aliquo membro ; sed satius esset in capite sub hac contracta forma : *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid per sensus deliquisti*, ut volunt nonnulli ; aut ut melius volunt alii : *Per istam etc. indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, gustum, odoratum et tactum* ; præmittendo verbum *deliquisti*, ut si infirmus deficiat ante verborum absolutionem, possit Sacramentum validum esse. Sed si infirmus supervivit, repetendæ sunt unctiones in singulis sensibus, additis orationibus omissis, ut prescribit Rituale ; ubi etiam dicitur quod in dubio utrum infirmus sit vivus, apponenda est conditio *si vivis* (1). Certum est autem non esse de necessitate Sacramenti ungere ambas partes uniuscujusque sensus, nempe utrumque oculum etc. ; unde in casu necessitatis, si tempus non suppetat, aut adest periculum infectionis, aut si infirmus non volvi potest in aliud latus, sufficit ungere alterutrum oculum, alterutram auriculam, etc. Unctio renum, dicit Rituale, *in mulieribus semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest*. Unctio autem pedum ex sententia communi cum Layn Suarez Castrop. Ronc. et Salm. ex s. Thoma (2), non est de necessitate Sacramenti, sicut nec etiam (juxta communem) ordo inter unctiones partium ; licet hujus ordinis inversio, ut dicunt, esset graviter illicita (3).

5. II. Inquantum ad formam, verba sunt ista : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum* (sive per auditum etc.) *deliquisti. Amen*. Verbum *deliquisti* est de essentia, ut recte dicunt Croix Gobat. et Mazzot. (contra Boscum) ; nam remissio peccatorum est effectus principalis hujus Sacramenti. Verbum *sanctam* certum est non esse de essentia, sed peccari si omittitur. Verba autem *per suam piissimam misericordiam*, multi contendunt esse de essentia ; sed communius et probabilius negant Laym. Castrop. Bonac. Ronc. Salm. Omnes tamen conveniunt illorum omissionem esse peccatum grave (4). An autem valeat forma non deprecatoria, qualis est nostra, *indulgeat*, sed indicativa *ungo te, etc, ut.... possis superare potestates*, ut erat forma Ambrosiana : affirmant Juven. Tourn. et alii ; sed negat sententia communis cum Suar. Merbes. Petrocor. et aliis cum s. Bon. et s. Thoma (5), et jam præscribit s. Jacobus : *Et orent super eum ungentes... et oratio Fidei salvabit infirmum*. Ad formam Ambrosianam respondit Benedictus XIV. quod verba *ut possis* jam dignoscere faciunt esse deprecatoriam, et hunc sensum faciunt, *ungo te, orans ut possis* etc. (6). Notandum 2. formam aptandam esse modo sequenti, ut præscribit Rit. Sacerdos, intincto pollice in oleo sancto, in formam crucis inungere debet, aptando crucem, et verba in unctione cujuscumque partis, semper incipiendo a dextra parte : *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (dum unguntur oculi) *deliquisti*. Advertendo non terminandam formam antequam altera pars ungatur. Pars linita debet abstergi ab ipso sacerdote, aut a ministro (si est in Sacris) gossipio, quod postea comburendum est, et cineres in sacrarium projiciendæ. Deinde eodem modo unguntur aures, *per auditum* : narices *per odoratum* ; os (labiis clausis) *per gustum, et locutionem* : manus (sacerdotibus extra, aliis intra palmas) *per tactus* : pedes (in plantis)

(1) N. 710. v. quær. — (2) suppl. q. 32. 6. — (3) l. 6. n. 710. v. certum et v. ec etiam. — (4) N. 711. — (5) suppl. q. 29. a 8. — (6) l. 6. n. 711. dubit. 1

per gressum : renes, *per lumborum delectationem* (1). Notandum 2. quod juxta ritum græcum septem debent esse sacerdotes qui ungunt, quisque partem suam, sed juxta latinum unus est minister; sed in casu necessitatis potest unus sacerdos unam partem ungere, et alius aliam, pronuntiando quisque formam correspondentem illi parti, ut dicunt communiter Suar. Coninch. Castrop. Bonac. Salm. Spor. etc., sed non potest unus ungere, et alius proferre formam; nec unus ungere unum oculum, et alter alterum, sicut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Etsi pastoralis*, an 1742. §. V. n. 4. Si tamen sacerdos non posset prosequi omnes unctiones, debent reliquæ suppleri ab alio quin repetantur jam factæ : nisi esset quod posteriores supplerentur post aliquod tempus notabile, v. g. post horæ quadrantem, quia tunc debent omnes repeti, ut dicunt Merati Avers. Croix etc. (2).

6. III. In quantum ad ministrum notandum 1. ministrum proprium Extr-Unct. esse pastorem aut alium sacerdotem ex ejus consensu, quo deficiente, validum esset Sacramentum, sed illicitum, adeoque graviter peccaret sacerdos. An autem sufficiat consensus præsumptus parochi ; alii negant, sed probabiliter affirmant Sanch. Castr. Valent. Bon. Salm. etc. Regulares autem administrando hoc Sacramentum sine licentia pastoris, incurrunt excommunicationem papalem in *Clem.* 1. *de Privil.* §. 1. Advertendum tamen quod s. Pius V. in sua Bulla, *Immarcescibilem*, an. 1567. concessit Patribus Theatinis (et per communicationem aliis Religiosis) posse administrare hoc Sacramentum suis servis, mercenariis, ac quibusvis hospitibus qui forte morantur in domibus dictæ Congregationis ; item Sixtus IV. prius concesserat Regularibus posse dare Eucharistiam, et Extremam-Unctionem laicis, si parochus injuste aut malitiose negaret. Communis autem sententia est quod in necessitate, si parochus est absens, aut non vult Extr-Unct. afferre, nec potest adiri Episcopus, tunc quilibet sacerdos etiam regularis, potest hoc sacramentum conferre (modo non sit excommunicatus, vel suspensus), tunc enim præsumitur licentia dari a Pontifice ; ita contra paucos docent Suar. Laym. Bonac. Conc. Tour. Nat. ab Alexand. Salm. Bened. XIV. etc. et idem concessit s. Carol. Borrom. pro sua diœcesi (3). An autem parochus suspensus possit hoc sacramentum conferre ? alii affirmant; sed probabilius negant Bonac. Suar. etc. (4). Notandum 2. cum Soto Possev. Bonac. etc. non incurrere irregularitatem (ut aliqui nimis quam par est scrupulosi tenent) sacerdotem, si jubendo volvi infirmum ut ungeretur, ille spiraret : dum, ut recte dicunt Suar. Corneius Salmant. etc., talis irregularitas deberet esse ex delicto, a quo utique liber est qui charitatis officicium exercet. Notandum 3. quod parochus tenetur sub gravi afferre Extremam-Unct. petentibus, nisi excuset causa justa, ut periculum vitæ (vide dicta *Tract.* 7 *num.* 27. *et* 28 de IV. præcepto Decalogi); sed in quolibet casu tenetur, si forte infirmus probabiliter esset in peccato mortali, et multo abhinc tempore confessus non fuisset, ut communiter dicunt Suar. Castr. Spor. Conc. Salm. etc. (5). Notandum 4. probabile esse cum Gobat Arriag. et Croix, quod licite possit parochus apud se domi retinere oleum sanctum (diligenter custoditum) aliquando, cum crederet nocte accersiri, et quod alioquin non perveniret opportuno tempore (6).

7. IV. Quoad subjectum, cui conferenda est Extrema-Unct., notandum 1. quod, ut animadvertit Bit. et ut docet Bened. XIV. in Epistola, quæ incipit *Ex quo primum*, ad Ecclesiasticos ritus Græci, pro nova editio

(1) l. 6. n. 711. — (2) N. 724. (3) Act. Mediol. p. 4. — (4) l. 6. et 723 — (5) l. 6. n. 729. — (6)

Euchologii (quod idem sonat ac Rituale, vel Manuale) non est ministrandum hoc Sacramentum *bene valentibus, sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant* (1); ideoque non dandum est capite damnatis, in conflictu aut periculosa navigatione, aut alio mortis proximo periculo versantibus. Tantummodo infirmis graviter decumbentibus quibus mors imminet, aut senibus decrepitis, *qui præ senio* (sunt verba Ritualis) *deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate*. Nec obstat ritus Græcus quem opponit Juvenin juxta quem feria V. majoris hebdomadæ omnes adstantes inunguntur oleo infirmorum; sed respondet Bened. XIV. quod talis unctio non datur uti Sacramentum, cum sine ulla forma ungantur (ut late disserit in cit. Ep. pro edit. Euchologii ex §. 46.), sed tanquam vera cæremonia sacra (2). Et ita pariter dicendum cum communi Suar. Castr. Bon. etc. (contra Wig.) quod si detur hoc Sacramentum infirmo non gravi morbo decumbenti, non solum illicite, sed etiam invalide conferretur (3). Si autem daretur in morbo gravi, quin aliquod videatur imminere periculum mortis, daretur quidem valide, sed illicite. Nec obstat quod Bened. XIV. cit. §. 46. docet, nempe quod dandum sit graviter decumbentibus, nam hoc intelligendum est ad prescriptum Ritualis nostri, nempe quod morbus gravis ita sit, ut probabile adsit periculum mortis, *ut mortis periculum* (præscribit Rit.) *imminere videatur*. Sed quæritur 1. in quo morbi gradu danda est vel dari potest Extrema-Unctio? Quando adest periculum proximæ mortis, tunc non dubitatur, quin non solum possit, sed etiam danda est juxta Rit. *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi qui... tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur*. Et juxta communem dd. cum Catech. rom. *de Extr.-Unct. p. 2. n. 18.*) peccat graviter parochus, qui differt E.-U usquequo infirmus destituatur sensibus, nam tum ille privatur effectu consequendi salutem tam animæ quam corporis, quam consecuturus fuisset si tempestive inunctus fuisset : *Gravissime peccant* (dicit Catechismus) *qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat*. Idcirco Bened. XIV. in Euchologio Græcorum sive, Rituali Græcis assignato (vide in Bullar. loc. cit. §. 46.) præcipit ut hoc Sacramentum præbeatur, dum infirmi *sibi constant, et sui compotes sunt*. Hoc currit in quantum ad obligationem præbendi Extremam-Unctionem. Sed in quantum ut possit licite præberi, dicunt communiter dd. sufficere ut infirmitas sit periculosa mortis, licet remote; ita Suar. qui dicit : *Ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remote*. Idem tenent Laym. Castrop. Bonac. Coninc. Salm. et alii. Idem dicit Bened. XIV. (4), et Honoratus Tourn. qui adducit Concilia Aquisgran. et Mogun. Et hoc perspicue infertur tum ex Florentino, ubi dicitur : *Subjectum hujus Sacramenti esse infirmum; cum de ejus morte timetur* ; tum ex Trid. *Sess.* 14. *c.* 3. ubi hæc leguntur : *Hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui in exitu vitæ constituti videantur*. Ibi particula *præsertim* recte denotat quod potest dari E.-U. etiam aliis infirmis, qui non sunt constituti in exitu vitæ. Sed clarius hoc confirmatur a Bened. XIV. in præfata Bul. (Eucholog. cit. §. 46.) ubi dicitur, ne Sacramentum E.-U. ministretur bene valentibus, *sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant*. Unde recte dicit Castr. quod quoties potest infirmo non jejuno præberi Viaticum, potest, et expedit dari E.-U. Recte tamen dicunt Laym. et Castr. quod ut dari possit, non suf-

(1) in bull. edit. Mechl. t. 11. p. 332 § 46. — (2) l. 6. n. 712. et 713. — (3) N. 713. dubit. 9. (4) de Synod. l. 8. c. 7. n. 2.

ficit periculum dubium mortis, sed requiritur saltem probabile, sive prudens timor mortis; ut ceteroquin communiter admittunt Suar. Castrens. Escob. et Holzm. cum Mastrio, et Scoto. Quæritur 2. an possit dari parturientibus? Respondetur cum Lug Filliuc. Bonac. Escob. Trullen. et aliis communiter non posse, si mulier patitur in partu tantum dolores communes, licet sit primus partus, aut licet aliis vicibus fuerit in periculo mortis. Secus autem si gravissimis doloribus cruciaretur, adeo ut actu ei immineret periculum mortis (1).

8. Notandum 2. quod dicit Rit. circa repetitionem hujus Sacramenti: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, aut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.* Adeoque cum infirmitas non est diuturna, nempe non est febris tabida, hydropisis, et similes, non potest denuo ungi, nisi convaluerit, et iterum in aliud vitæ discrimen inciderit. Quando autem est diuturna, si ille in eodem vitæ periculo perduravit, nec potest quidem denuo inungi; secus autem si illud periculum evasit (non post quatuor aut 5. dies, sed post tempus notabile, ut communiter dicunt Coninch. Suar. Wig. Bonac. Viva etc.), et deinde iterum in illud incidit; et hoc scite docet Bened. XIV. (2) posse licite practicari etiam in dubio (intellige positivo) quod mutatus sit status infirmi (3).

9. Notandum 3. quoad dispositionem animæ, quod si infirmus sit in peccato mortali, debet esse saltem contritus putative, ut hoc Sacramento muniatur. Sed hoc intellige, si tempus non suppeteret confitendi; secus, ut recte advertit Busemb. debet prius Pœnitentiæ Sacramento muniri, tamquam magis necessario; unde fit quod iste casus sit moraliter impossibilis. Dumtaxat accidere posset, si infirmus esset sensibus destitutus. Cæterum, ut dicit Rit. et juxta Ecclesiæ usum, si tempus et infirmi qualitas id patitur, non debet Extrema-Unctio conferri nisi prius confessus sit, et communicaverit. Hoc tamen Sacramentum ante Viaticum sumere, aut omni culpa caret, aut ad summum est veniale; Suar. Croix et Ben. XIV. (4).

10. Notandum 4. quod Extrema Unctio non est danda pueris ratione expertibus. ut dicit s. Thomas (5), et etiam Ritual. rom., quia in infantibus non potest verificari forma in qua exprimitur remissio peccati, non quidem originalis (cum hoc remissum sit), sed actualis: *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti*, etc. Contra sententia communior et probabilior est cum Laym. Nav. Suar. Val. Sa Escob. Spor. et Ben. XIV. (6) adversus Sot. Wig., etc. præbendam esse E.-U. pueris ratione pollentibus. licet non adhuc Communionis capacibus; dum in Rit. expresse dicatur: *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui ad usum rationis pervenerint.* Nec obstat s. Thomas loco cit. ubi dicit, *non debet dari pueris*; nam intellige rationis expertibus, dum ratio ibi a Sancto assignata alia non est, nisi quod ipsi sunt incapaces peccati actualis. An autem possint hoc Sacramento inungi pueri, de quibus dubitatur an necne ad usum rationis pervenerint? Tres adsunt sententiæ, sed probabilior mihi videtur illa de Lugo Escob. Dicast. etc. qui dicunt eos pueros ungendos esse sub conditione, cum sufficiat pro causa ne illi hujus Sacramenti fructu priventur, si forte pervenerint jam ad illius capacitatem (7). Et idem dicendum de amentibus, de quibus dubitatur an unquam ratione præditi fuerint (8).

11 Notandum 5. non esse præbendam E.-U. perpetuo amentibus; dico *perpetuo*, quia si aliquod lucis intervallum habent, possunt recte

(1) l. 6. n. 713. dubit. 3. — (2) de Synod. l. 8. c. 8. n. 4.— (3) l. 6. n. 715. (4) N. 716. —(5) suppl q. 32. a. 4.— (6) De synod. 8. c. 8. n. 2. — (7) l. 6. n. 719. — (8) N. 732.

inungi, ut docet s. Th.; imo dicit Rit. *Infirmis autem qui, dum sana mente essent, illud petierint, seu verosimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.* Sed si suspicatur quod infirmus phrenesim patiens posset aliquid contra Sacramenti reverentiam committere, non est inungendus *nisi* (ait Rit.) *periculum tollatur omnino*. Hoc periculum tamen probabiliter dicit Tamb, potest removeri infirmum ligando aut efficiendo, ut ab aliis teneatur. Ebrii, qui jamjam morituri sunt, etiam inungendi sunt, ut dicunt Croix Gobat. et Lohner, modo non constet eos in peccato mortali existere, dum Rit. dicit: *Impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali sunt, et excommunicatis penitus denegetur.* Dicunt tamen Con. Tamburin. Lohner et Croix, quod vulnerati in aliqua rixa sensibus destituti possunt sub conditione inungi, dum recte præsumi potest, quod in illo extremo statu eos peccatorum suorum pœniteat, si usus rationis in eis reperitur. Muti autem, surdi, et cœci a nativitate procul dubio inungendi sunt etiam in sensibus quibus privantur; quia licet cum illis non peccassent externe, nihilominus potuerunt peccare cogitatione; ita communiter Possev. Salm. Diana Præpos. etc. cum s. Carolo Borrom. et s. Thoma (1) quicquid dicant Croix et Gobat. (2).

12. Quæritur hic an infirmus teneatur sub gravi ad suscipiendam Extremam-Unctionem? Prima sententia affirmat cum s. Bonav. Soto Merbesio Ronc. Habert. et Conc., dicens verba apostoli, *inducat presbyteros*, importare præceptum grave. Sed sententia communior negat cum Suar. Nav. Estii. Silv. Tamb. Catr. Salm., etc., quibus adhæret s. Thomas, qui dicit hoc Sacramentum non esse de *necessitate salutis*. Hoc non obstante, puto valde probabilem esse primam sententiam, et dico illam omnino infirmis suadendam non tantum ratione præcepti, cum de illo saltem non constat utrum obliget sub gravi, an sub levi; quantum ratione charitatis, quam moribundus erga seipsum exercere debet; licet enim posset ille aliis muniri mediis, cum tamen in eo statu reperiatur, ex una parte debilis est, ut bonis actibus mentis suæ sibi prospicere possit; ex alia parte (ut dicit Trident.) tunc dæmonis insidiæ sunt vehementiores: unde videtur se exponere magno periculo tentationibus succumbendi, qui hoc Sacramento præmuniri negligit, quod Jesus Christus instituit hoc fine, ut robur conferat ad resistendum diabolo in illo extremo agone. Omnes autem conveniunt quod per accidens potest infirmus sub gravi ad hoc teneri. v. g. si ille non posset aliud suscipere Sacramentum, et existeret in mortali, aut si secus induceret alios ad credendum se esse hæreticum, aut hoc Sacramentum contemnere. Et certum est etiam talem contemptum esse gravem, quando est formalis. Formalis tamen intelligitur, ut dicunt communiter Suar. Castrop. Salm., etc. contra Merb., non quando infirmus recusaret hoc Sacramento inungi, ex aliqua repugnantia, aut negligentia, sed quando proprie omitteret, quia parvi illud ducit. Hoc confirmatur ex Bulla Martini V. ubi dicitur: *Hoc Sacramentum neque negligi sine culpa, nec contemni posse sine peccato mortali.* Et vide quod hic recte notatur contemptum importare culpam gravem. negligentiam vero levem (3).

13. V. Denique quoad administrationem hujus Sacramenti notandum primo, quod, juxta Rituale, sacerdos debet instruere mensam tobalea alba desuper cum vase, in qua septem gossipii globi prompti sint ad abstergendas partes unctas: candela ex cera,

(1) supplem quæst. 32. a. 7.—(2) lib. 6 n. 7. (3) l. 6. n. 733.

cujus lumen inservire debet dum inungitur. Ex Ecclesia vero secum deferat saltem clericum unum, qui afferat crucem (sed sine hasta), aquam benedictam cum aspersorio, et Rituali; et ipse sacerdos sine sonitu campanulæ deferat decenter vas olei clausum in bursa serica violacei coloris collo, ut nunc mos est, suspensa; et si iter esset longum potest sacerdos super equo sedens sacram unctionem deferre. Advertit Rituale, quod si infirmus peracta confessione sit proximus morti, tunc idem sacerdos qui defert Viaticum, potest etiam deferre oleum sanctum. Sed si potest haberi alius sacerdos, aut diaconus, qui oleum sanctum deferat, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus sacerdotem Viaticum portantem sequatur. Notandum 2. esse peccatum mortale ministrare E-U. sine superpelliceo et stola. An autem ab hoc excuset necessitas, negant Suar. Castr. et Bonac.; nam (ut dicunt) reverentia Sacramenti præferenda est utilitati privatæ. Sed hoc non obstante, probabiliter affirmant Possev. Croix Escob. Quintan. Diana et Leand. in casu quo infirmus aliter sine Sacramento esset decessurus, dum non præsumitur Dominus ob sacrarum vestium deficientiam velle infirmum privari tanto auxilio (1). Ita etiam grave est, ex se loquendo, omittere orationes præscriptas a Rituali, ut omnes fatentur; intelligitur etiam extra necessitatem; quia si adest periculum mortis imminentis, dicit Rituale ut infirmus *cito ungatur, et deinde si supervivat, dicantur orationes prætermissæ*. Intelligitur item de orationibus quas dicere debet sacerdos; nam Psalmi pœnitentiales, et Litaniæ cum precibus sequentibus dicendæ sunt ab adstantibus dum inungitur infirmus; probabilius (contra alios) dicit Tamb. quod sint tantum de consilio. Rituale enim non præcipit eas recitandas, sed tantum ibi dicitur : *Dum infirmi sacro liniuntur oleo, dicuntur flexis genibus* ab adstantibus, *etc.* (2). Notandum 3. non esse grave deferre oleum, aut administrare illud sine lumine; ita Barbos. Possev. Quintan ad Escob. etc., aut sine ministro; imo de hoc dicunt Bon. Escob. Possev., etc. nullum esse peccatum; sed ego puto non vacare culpa, dum dicit Rituale : *convocatis clericis, saltem uno*; hinc extra necessitatem esset veniale ungere sine ministro, ut dicunt Tolet dicast. Graff. etc.; sic etiam veniale esset conferre hoc Sacramentum omissis crucibus inter ungendum (3). Advertendum denique quod tempore interdicti vetitum est præbere hoc Sacramentum, ex *cap. Quod in te, Pœnit.*

(1) n. 726.

CAPUT II.

De Sacramento ordinis.

14. *An quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum.*
15. *An materiæ, et formæ Sacramentorum sint in specie a Christo Domino determinatæ.*
16. *Quæ sit materia Ordinis, an manuum impositio, aut instrumentorum traditio.*

De cæteris ad Ordinem spectantibus sermo erit in examine Ordinandorum.

14. De doctrinis ad hoc Sacramentum spectantibus loquemur in *App.* 3. *de examine Ordinandorum* in capitibus 2. et 3. Hic tantum breviter discutiemus tres celebres quæstiones quæ super hanc materiam agitantur. Prima quæstio est an quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum? Quatuor circumferuntur sententiæ. 1. affirmat universaliter, ut Bellarm. Gonet. Sanch. Salm., et hujus sententiæ est s. Thomas (4). Ratio unica hujus sententiæ est Decr. Eugenii IV. ad Armenos, ubi dicitur quod materia Ordinis est illa, cujus traditione confertur Ordo, et deinde singulis septem Ordinibus assignat materiam propriam. Nec obstat quod minister

(2) n. 727. — (3) n. 728. — (4) suppl. q. 37. a. 2. ad. 1. et 3.

ordinationis sit solus Episcopus, ut dicitur in Trident. *Sess.* 23. *cap.* 3. et 8.; nam respondent hoc intelligi de ministro ordinario, sed non de extraordinario, quem Papa assignare potest ad conferendos Ordines. 2. Sententia cum Cajet. et Durando, dicit solum sacerdotium esse Sacramentum; sed hæc sententia est singularis et improbabilis; dum non est dubitandum quin diaconatus sit Sacramentum, siquidem in illius ordinatione habentur illa tria requisita ad constituendum Sacramentum, nempe 1. signum sensibile, quod est manuum impositio. 2. Institutio divina, nam Conc. docet in Ecclesia adesse hierarchiam a Deo institutam ex Episcopis, sacerdotibus et ministris, et nomine ministrorum saltem debent intelligi diaconi 3. Promissio gratiæ significatæ per verba Episcopi : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*, quæ habentur pro forma. III. Sententia cum Soto Nav. et Vasq. prætendit omnes Ordines majores esse Sacramentum. IV. Sententia nobis probabilior cum Gratiano Petro Lombardo Morin. Estio Tourn Cabassut. Habert, et aliis affirmat sacerdotium et diaconatum dumtaxat esse Sacramenta. Probatur 1. hæc sententia, quia si essent Sacramenta cæteri Ordines, præter sacerdotium et diaconatum, non possent illi ab Abbatibus conferri, sicut jam conferuntur, cum unicus minister ordinis Sacramenti non possit esse alius quam Episcopus, ut probat Tourn. (1) dicens quod ad ordinationem ex institutione divina necessario requiritur in ministro character episcopalis; et subjungit hoc probari ex traditione, quia nunquam concessa est, quacumque urgente necessitate, aliis quam Episcopis, facultas ordinandi presbyteros et diaconos. Et respondetur ad quoddam privilegium quod asseritur ab Innoc. VIII. concessum fuisse Cisterciensibus, ut possent conferre tales Ordines, quod illud est valde dubium: et licet fuisset certum, fuit tamen illud idem interpretatum a S. C. Concliii, et etiam a Clemente VIII. intelligi pro facultate non ordinandi, sed concedendi dimissorias. Probatur 2. quia in aliis Ordinibus desideratur materia, nempe impositio manuum quæ est unica materia hujus Sacramenti, ut dicemus in quæstione 3.; et desideratur etiam forma : cum in collatione cæterorum Ordinum non reperiatur forma aliqua significans gratiæ productionem, sed tantum fiat mentio potestatis, sive officii quod ordinatis confertur. Ad Decretum Eugenii respondetur quod materiæ cæterorum Ordinum non sunt a Pontifice assignatæ uti essentiales, sed tantum uti accidentales, ad explicandam potestatem, quæ recipitur (2). Ex hac sententia infert Bened. XIV. (3) non posse damnari certi sacrilegii illos, qui promoventur ad Ordines diaconatu inferiores cum conscientia peccati mortalis.

15. Secunda quæstio est an materiæ et formæ Sacramentorum (et præsertim Ordinis) sint omnes in specie determinatæ a Christo Jesu? Prima sententia negat cum s. Bonavent. Bellar. Valent. Morin. Lugo Salm.; etc. Unica ratio istorum est, quia secus non possent diversæ esse materiæ et formæ Sacramentorum in Ecclesiis græca et latina, ut præsertim est in Sacramento ordinis, dum in græca sacerdotium et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem, sed in latina præter impositionem requiritur traditio instrumentorum, sicut expressum est in Decreto Eugenii IV. ut superius dictum est. Quapropter asserunt quod quoad Baptismum et Eucharistiam, Jesus Christus in specie instituit tam materias, quam formas; sed circa alia Sacramenta, eas instituit tantum in genere, relinquendo Ecclesiæ facultatem determinandi eas in specie, adhibendo eas res et verba,

(1) De ord. q. 4. a. 2. conclus. 2.

(2) l. 6. n. 736. et 737. — (3) de syn. l. 8. c. 9. n. 12

quæ exprimerent Sacramenti effectum. Hæc sententia est probabilis ; sed probabilior est opposita, quæ dicit materias et formas omnium Sacramentorum fuisse in specie determinatas a Domino : ita Merbes. Habert Juvenin. Tournely Petrocor. Concina, et alii multi cum s. Thoma (1), qui non potest negari fuisse pro hac sententia, dum dicit : *Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificetur ; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in Sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.* Huic sententiæ adhæret Bened. XIV. (2), qui dicit nullum haberi fundamentum, unde probetur hæc potestas fuisse a Christo Jesu Ecclesiæ concessa, imo probatur oppositum ex Trident. *sess.* 21. *cap* 2. ubi dicitur Ecclesiam nihil posse circa substantiam, sed tantum circa administrationem Sacramentorum. Quoad autem diversitatem Ecclesiæ græcæ et latinæ, respondetur quod traditio instrumentorum non habeatur pro materia essentiali, sed accidentali, licet integrali. Et Decreto Eugenii respondemus cum Merbes. Tourn. et Conc. quod Pontifex non jam determinavit materias essentiales Ordinis, sed tantummodo instruere voluit Armenos circa ritum Ecclesiæ romanæ, cum qua cupiebant uniri. Nec valet dicere quod Eugenius non loquebatur de ritu, sed de materia ; quia respondetur quod si hoc verum esset, sequeretur certum esse quemlibet Ordinem etiam minorem, cui sigillatim Papa designavit materiam, esse Sacramentum ; sed hanc certitudinem etiam ipsimet adversarii negant (3).

16. Tertia quæstio est, quænam sit materia sacerdotii, an sola impositio manuum, an etiam instrumentorum traditio, et quænam sit forma? Tres adsunt sententiæ : 1. quæ est Fagnan. Sot. et aliorum paucorum, vult materiam esse solam traditionem instrumentorum, quæ Episcopus tradit ordinando, et formam esse verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, et hac sola materia, et forma dicit tradi potestatem, tam sacrificandi, quam a peccatis absolvendi. Momentum totale desumunt ex Decr. Eugenii IV. ubi dicitur : *Ordo presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem.* Sed hæc sententia communiter ab aliis dd. non recepta est. II. Sententia est Bellarm. Estii Scot. Layman. Salm. Coninc. Holzm. Vasq. etc., quæ vult in ordinatione sacerdotii duplicem esse materiam essentialem, dicendo per traditionem instrumentorum dari potestatem super Corpus Christi reale, nempe sacrificandi, cum forma, *Accipe potestatem* ; et per impositionem manuum tradi potestatem super Corpus Christi mysticum, nempe absolvendi a peccatis cum forma, *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata remittuntur eis.* III. Sententia quam tenent Martene Becan. Tourn. Juvenin. Petrocor. Conc. et alii cum s. Bonav. cui adhæret Bened. XIV. (4) vult utramque potestatem sacerdoti conferri per secundam impositionem manuum, nempe cum Episcopus extendit manus super ordinandum una cum presbyteris assistentibus, sicut declaratur a Trid. *sess.* 14. *c.* 3. *de Extr. Uncl.*, ubi dicitur quod ministri Extr. Unct. sunt *aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii.* Probatur hæc sententia, 1. ex Trid. *sess.* 23. *c.* 2., nempe quod ex Scripturis satis docemur nos ea, quæ maxime attendenda sunt in ordinatione sacerdotum, et diaconorum; sed ex Scripturis nihil aliud assignatum habemus pro materia Sacramenti Ordinis, quam manuum impositionem : dicendum igitur est præter impositionem

(1) 3. p. q. 60. a. 5. — (2) de syn. l. 8. c. 10. n. 10. — (3) l. 6. n. 12.

(4) de Syn. l. 8. c. 10. n. 6.

nihil aliud in ordinatione esse de necessitate essentiali. Probatur 2. ex ritu græco, quo ordinantur (ut dictum est) sola manuum impositione ; cum valor Sacramentorum essentialiter dependeat ex materiis et formis a Jesu Christo institutis. Accedit etiam quod notat Bened. XIV. loc. cit. cum Martene, quod traditio instrumentorum non prius in Ecclesiam invecta est, quam a sæculo VIII. vel IX. Ad hoc aa. adversarii nihil quod respondeant habent, nisi quod relatum est in quæstione secunda, nempe quod a Domino relicta sit Ecclesiæ potestas determinandi in specie materias, et formas Sacramentorum ; sed ad hoc jam ibi satisfactum est. Quænam autem sit forma juxta hanc tertiam sententiam, alii dicunt esse verba, *Accipe potestatem, etc.* Sed forte probabilius dicunt Morin. et Tourn. esse orationem quam recitat Episcopus in præfata impositione ; et verba quæ recitat in fine in tertia manuum impositione, *Accipe spiritum*, esse dicunt tantum declarativa *Spir. tus Sancti* jam accepti. Hæc tertia sententia est probabilior, sed quia secunda etiam est probabilis, saltem extrinsece, ideo illa in praxi sequenda (1). Cætera spectantia ad hoc Sacramentum, jam dictum est a principio quod notantur in *examine Ordinandorum*.

(1) l. 6. n. 749.

TRACTATUS XVIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

CAPUT I.

De sponsalibus.

PUNCTUM I.

DE NATURA SPONSALIUM.

1. *Definitio sponsalium. An pueri ante septenium, etc. Qui promittit sine animo se obligandi, aut adimplendi. Qui dolo aut errore, etc.*
2. *Si conditio dederit causam contractui.*
3. *De sponsalibus metu initis.*
4. *An promissio debeat esse mutua ?*
5. *An externata signis? Quid si promittit pater pro filio præsente : et quid si pro absente.*
6. *An in dubio favendum sit libertati. Qui promittit in futurum, etc. Quid si mittitur annulus, etc. An requiratur dispensatio, etc.*
7. *De impuberibus, etc. De tactibus inter sponsos.*

1. Sponsalia definiuntur : *Promissio voluntaria et deliberata, et mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas habiles.* Dicitur 1. *Promissio*, quia solum propositum non externatum, nec acceptatum, certe non obligat (2). Dicitur 2. *voluntaria et deliberata*, nam ad inducendam obligationem gravem, quam secum inducit promissio sponsalitia, requiritur spontanea, et plena deliberatio. Ex quo deducitur 1. quod nemo potest teneri ad sponsalia, nisi constet de suo perfecto rationis usu ; sed si constat utique ille remanet obligatus, licet esset puer, qui adhuc non explevit septennium, juxta probabiliorem, et communiorem sententiam Sanch. Coninc. Bonac. Salmant. etc. contra Palaum et alios, modo (intelligi debet) hujusmodi puer comprehendat aliquo modo onera, quæ secum affert status conjugalis. Deducitur. 2. quod non remanet obligatus qui promittit sine animo contrahendi, aut sine animo se obligandi, licet cognosceret obligationem quæ ex sponsalibus oritur, ut probabilius dicunt Sanch. Pal. Laym. Less. Salm. Mazz. etc. contra Pontium Sot. Vivam etc. quia quando obligatio oritur ex propria voluntate, ubi deest voluntas, deest etiam obligatio. Et hoc valet etiamsi promissio sit jurata, ut recte dicunt s. Bonaventura. s. Antonin. Sanchez Palaus

(2) n. 831.

quæ exprimerent Sacramenti effectum. Hæc sententia est probabilis ; sed probabilior est opposita, quæ dicit materias et formas omnium Sacramentorum fuisse in specie determinatas a Domino : ita Merbes. Habert Juvenin. Tournely Petrocor. Concina, et alii multi cum s. Thoma (1), qui non potest negari fuisse pro hac sententia, dum dicit : *Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificetur ; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in Sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.* Huic sententiæ adhæret Bened. XIV. (2), qui dicit nullum haberi fundamentum, unde probetur hæc potestas fuisse a Christo Jesu Ecclesiæ concessa, imo probatur oppositum ex Trident. *sess.* 21. *cap* 2. ubi dicitur Ecclesiam nihil posse circa substantiam, sed tantum circa administrationem Sacramentorum. Quoad autem diversitatem Ecclesiæ græcæ et latinæ, respondetur quod traditio instrumentorum non habeatur pro materia essentiali, sed accidentali, licet integrali. Et Decreto Eugenii respondemus cum Merbes. Tourn. et Conc. quod Pontifex non jam determinavit materias essentiales Ordinis, sed tantummodo instruere voluit Armenos circa ritum Ecclesiæ romanæ, cum qua cupiebant uniri. Nec valet dicere quod Eugenius non loquebatur de ritu, sed de materia ; quia respondetur quod si hoc verum esset, sequeretur certum esse quemlibet Ordinem etiam minorem, cui sigillatim Papa designavit materiam, esse Sacramentum ; sed hanc certitudinem etiam ipsimet adversarii negant (3).

16. Tertia quæstio est, quænam sit materia sacerdotii, an sola impositio manuum, an etiam instrumentorum traditio, et quænam sit forma? Tres adsunt sententiæ : 1. quæ est Fagnan. Sot. et aliorum paucorum, vult materiam esse solam traditionem instrumentorum, quæ Episcopus tradit ordinando, et formam esse verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, et hac sola materia, et forma dicit tradi potestatem, tam sacrificandi, quam a peccatis absolvendi. Momentum totale desumunt ex Decr. Eugenii IV. ubi dicitur : *Ordo presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem.* Sed hæc sententia communiter ab aliis dd. non recepta est. II. Sententia est Bellarm. Estii Scot. Layman. Salm. Coninc. Holzm. Vasq. etc., quæ vult in ordinatione sacerdotii duplicem esse materiam essentialem, dicendo per traditionem instrumentorum dari potestatem super Corpus Christi reale, nempe sacrificandi, cum forma, *Accipe potestatem* ; et per impositionem manuum tradi potestatem super Corpus Christi mysticum, nempe absolvendi a peccatis cum forma, *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata remittuntur eis.* III. Sententia quam tenent Martene Becan. Tourn. Juvenin. Petrocor. Conc. et alii cum s. Bonav. cui adhæret Bened. XIV. (4) vult utramque potestatem sacerdoti conferri per secundam impositionem manuum, nempe cum Episcopus extendit manus super ordinandum una cum presbyteris assistentibus, sicut declaratur a Trid. *sess.* 14. *c.* 3. *de Extr. Uncl.*, ubi dicitur quod ministri Extr. Unct. sunt *aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii.* Probatur hæc sententia, 1. ex Trid. *sess.* 23. *c.* 2., nempe quod ex Scripturis satis docemur nos ea, quæ maxime attendenda sunt in ordinatione sacerdotum, et diaconorum; sed ex Scripturis nihil aliud assignatum habemus pro materia Sacramenti Ordinis, quam manuum impositionem : dicendum igitur est præter impositionem

(1) 3. p. q. 60. a. 5. — (2) de syn. l. 8. c. 10. n. 10. — (3) l. 6. n. 12.

(4) de Syn. l. 8. c. 10. n. 6.

nihil aliud in ordinatione esse de necessitate essentiali. Probatur 2. ex ritu græco, quo ordinantur (ut dictum est) sola manuum impositione ; cum valor Sacramentorum essentialiter dependeat ex materiis et formis a Jesu Christo institutis. Accedit etiam quod notat Bened. XIV. loc. cit. cum Martene, quod traditio instrumentorum non prius in Ecclesiam invecta est, quam a sæculo VIII. vel IX. Ad hoc aa. adversarii nihil quod respondeant habent, nisi quod relatum est in quæstione secunda, nempe quod a Domino relicta sit Ecclesiæ potestas determinandi in specie materias, et formas Sacramentorum ; sed ad hoc jam ibi satisfactum est. Quænam autem sit forma juxta hanc tertiam sententiam, alii dicunt esse verba, *Accipe potestatem, etc.* Sed forte probabilius dicunt Morin. et Tourn. esse orationem quam recitat Episcopus in præfata impositione ; et verba quæ recitat in fine in tertia manuum impositione, *Accipe spiritum*, esse dicunt tantum declarativa *Spir. tus Sancti* jam accepti. Hæc tertia sententia est probabilior, sed quia secunda etiam est probabilis, saltem extrinsece, ideo illa in praxi sequenda (1). Cætera spectantia ad hoc Sacramentum, jam dictum est a principio quod notantur in *examine Ordinandorum*.

(1) l. 6. n. 749.

TRACTATUS XVIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

CAPUT I.

De sponsalibus.

PUNCTUM I.

DE NATURA SPONSALIUM.

1. *Definitio sponsalium. An pueri ante septenium, etc. Qui promittit sine animo se obligandi, aut adimplendi. Qui dolo aut errore, etc.*
2. *Si conditio dederit causam contractui.*
3. *De sponsalibus metu initis.*
4. *An promissio debeat esse mutua ?*
5. *An externata signis? Quid si promittit pater pro filio præsente : et quid si pro absente.*
6. *An in dubio favendum sit libertati. Qui promittit in futurum, etc. Quid si mittitur annulus, etc. An requiratur dispensatio, etc.*
7. *De impuberibus, etc. De tactibus inter sponsos.*

1. Sponsalia definiuntur : *Promissio voluntaria et deliberata, et mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas habiles.* Dicitur 1. *Promissio*, quia solum propositum non externatum, nec acceptatum, certe non obligat (2). Dicitur 2. *voluntaria et deliberata*, nam ad inducendam obligationem gravem, quam secum inducit promissio sponsalitia, requiritur spontanea, et plena deliberatio. Ex quo deducitur 1. quod nemo potest teneri ad sponsalia, nisi constet de suo perfecto rationis usu ; sed si constat utique ille remanet obligatus, licet esset puer, qui adhuc non explevit septennium, juxta probabiliorem, et communiorem sententiam Sanch. Coninc. Bonac. Salmant. etc. contra Palaum et alios, modo (intelligi debet) hujusmodi puer comprehendat aliquo modo onera, quæ secum affert status conjugalis. Deducitur. 2. quod non remanet obligatus qui promittit sine animo contrahendi, aut sine animo se obligandi, licet cognosceret obligationem quæ ex sponsalibus oritur, ut probabilius dicunt Sanch. Pal. Laym. Less. Salm. Mazz. etc. contra Pontium Sot. Vivam etc. quia quando obligatio oritur ex propria voluntate, ubi deest voluntas, deest etiam obligatio. Et hoc valet etiamsi promissio sit jurata, ut recte dicunt s. Bonaventura. s. Antonin. Sanchez Palaus

(2) n. 831.

Salmant. Bon. cum s. Thoma, quia juramentum sequitur naturam promissionis (1). Secus vero dicendum, si adfuisset defloratio cum ficta promissione, ut dictum fuit *Tr.* 10. *n.* 93., cum de restitutione locuti fuimus (2). Qui promittit sine animo contrahendi, at cum animo se obligandi, iste certe remanet obligatus, licet a principio ei deesset animus promissionem exequendi (3). Deducitur 3. quod non remanet obligatus qui promittit inductus vi, aut dolo alterius, aut errore circa substantiam, aut circa conditionem substantialem, ut esset cum ille expresse promitteret sub illa particulari conditione : quod cæteroquin est commune cum cæteris contractibus : vide dicta *Tr.* 10. *n.* 124.

2. Quæritur 1. an valeant sponsalia, cum dolus aut error sit circa aliquam conditionem, non jam substantialem, sed accidentalem, sed eam quæ causam contractui ita dedit, ut sine illa sponsus non contraxisset ? Plures dd. dicunt sponsalia tunc irrita esse ; sed nos oppositum ut probabilius tenuimus (4) ; vide dicta *Tr.* 10. n. 124. ubi diximus etiam quod pars decepta habet cæteroquin actionem ad rescindendum contractum, licet deceptio evenisset ab aliquo tertio, inscia parte, ut docet Sanch. cum Covar. et aliis ; imo probabiliter dicunt Less. Laym. Spor. et Viva, quod si res integra est (ut evenit in simplicibus sponsalibus), et error sit invincibilis, in conscientia deceptus non tenetur stare contractui, ne judicis quidem post sententiam (5). An autem stando primæ sententiæ, nempe quod talis contractus dolo dante causam contractui sit ex se irritus, eo casu etiam decipiens liber extet a sua obligatione ? negamus juxta probabiliorem cum de Lug. Pal. Less. Laym etc. contra Sanch. Pontium etc ex generali ratione quod nemini patrocinari debet fraus sua (6).

(1) l. 6. n. 833. — (2) N. 832. — (3) N. 833. — (4) N. 835. — (5) Ibid. — (6) N. 835. v. an autem.

3. Quæritur 2. an sponsalia contracta metu injusto, gravi et ab extrinseco sint ex se invalida ? Alii ut Coninch. Dicast. Viva etc, dicunt non esse irrita, sed irritanda arbitrio partis, quæ metum passa est, sicut dictum est de omnibus aliis contractibus *Tr.* 10. *n.* 125. Sed sententia probabilior et communissima cum Sanch. Pontio Laym. Bonac. Azor. Sa Bec. Boss. Salmant. etc. contendit esse omnino irrita, quia sponsalia sequuntur naturam matrimonii, quod certe nullum est, dum metu contrahitur ; ideoque sicut nemo tenetur hujusmodi matrimonium contrahere ; ita nec potest teneri sponsalibus quæ sunt medium ad matrimonium. Unde fit quod ex talibus sponsalibus nullum oritur publicæ honestatis impedimentum (7). Dictum est tamen 1. si metus est *injustus*, quia si esset justus, sicut est validum matrimonium (prout dicemus postea) ita sunt valida etiam sponsalia (8). Dictum est 2. si metus sit *gravis* : si enim metus est levis, obligant sponsalia juxta sententiam probabiliorem et communiorem Bonac. Pont. Medin. Salm. Croix Viva Mazzot. etc. (contra Nav. Less. Ronc. etc.), dum judicatur sponte contrahere ille, qui cum possit metum repellere, cum ille sit levis, non respuit (9). Excipitur tamen, si talis metus, licet levis, dederit causam contractui, ut probabiliter dicunt Laym. Sanchez Bonac. Wigandt Salm Croix Lugo Azor. adversus Pontium Vivam etc. Tanto magis hoc currit, si qui passus est metum hujusmodi levem, tamquam gravem apprehendisset (10). Dictum est 3. *ab extrinseco*. quia si fuisset ab intrinseco (v. g. si quis promitteret, timens ne cogeretur ad solvendum debitum, aut ne in carceres conjiceretur) tunc iste tenetur ad sponsalia (11).

4. Dicitur 3. quod promissio sponsalium debet esse *mutua*. Hinc si alter sponsorum promittit, alter vero non, neuter eorum remanet obliga-

(7) N. 844. — (8) ibid. — (9) ibid. — (10) l. 6. n. 844. quær. 3. — (11) n. 1053.

tus ; præterquam si pars promittens vellet se obligare independenter ab alterius promissione ; sed in eo casu non teneretur illa vi sponsalium, sed vi simplicis promissionis (1), quæ juxta opinionem probabilem innixam auctoritate s. Thomæ (ut dictum est *Tr.* 10. *n.* 127.), cum obliget tantum ratione fidelitatis, non obligat sub gravi. Sed hic quæritur 1. an quis possit se obligare sponsalibus sub gravi cum vera promissione sponsalitia, independenter ab obligatione alterius partis ? Negant Pont. Vasq. et Conc. sed communior et probabilior est sententia opposita Sanch. Laym, Bon. Coninc. Sporer Salm. etc. (2). Quæritur 2. an pars non repromittens, sed solum acceptans alterius promissionem sponsalium intelligatur se obligasse ? Affirmant Pont. s. Ant. Silv. etc.; sed probabilius negant Sanch. Bonac. Laym. Conin. Sot. Castrop. Salm., etc., quia recte potest stare promissio unius sine repromissione alterius : nec acceptatio includit repromissionem, cum possit jam aliquis acceptare alterius obligationem, quin seipsum obliget (3). Advertendum tamen est (ut probabiliter dicunt Spor. et Tamb.) plerumque sponsos non intendere se obligare, nisi sub conditione, ut altera pars etiam se obliget (4).

5. Dicitur 4. *signo sensibili expressa*, quia non sufficit ad se obligandum taciturnitas sponsorum. Excipitur casus, si pater aut mater pro filio, aut filia præsente et tacente promitteret, ut habetur ex *cap. un. § fin. de Despons. impub.* ubi dicitur : *Porro ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expresse consenserint, vel tacite ; et præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur* (5). Advertendum tamen 1. hoc habere locum quoad forum externum, sed quoad conscientiam filius non tenetur sponsalibus si interne dissentit, ut dicunt Bonac. Ronc. Holzm, et Anacl. Et idem puto dicendum, si filius nec assentit, nec dissentit, sed negative se habet ; dum ad contrahendam aliquam obligationem requiritur positivus consensus. Nec obstat verbum textus *obligantur* : quia intelligi debet, (ut recte dicunt Bonac. et Salm.) quoties adest consensus internus (6). Advertendum 2. hoc procedere solum in casu quo promittunt parentes, non autem si promittunt alii, licet sint tutores, aut curatores : quia præfata legis dispositio tantum comprehendit parentes, qui pro filiis promittunt (7). Si tamen hujusmodi parentes promittunt pro filio absente, alii dd. ut Sanch. Pont. Ronc. Escob. Boss. etc. dicunt non sufficere filium certiorem factum promissioni non contradicere, sed amplius requiri, ut ratificet medio aliquo signo expresso, aut tacito. Hæc sententia est probabilis ; sed probabilior est opposita Bonacinæ Palud. Castr. Conc. Sot. Salm. Sporer etc. quæ affirmat sufficere taciturnitatem filii absentis ; et hujus sententiæ est etiam s. Thomas (8) qui dicit : *Robur habent* (sponsalia) *in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, et intelliguntur consentire quæ per alios facta sunt*. Et probatur etiam ex cit. *cap. un. de Despons.* in 6. ubi dicitur : *Et est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, et etiam ignorantes eadem sponsalia, post scienter ratificaverunt tacite, vel expresse. Expresse* intelligitur externe consentiente, *tacite* intelligitur non contradicente, ideoque dicitur ibi, *Et idem est* : in tantum dicitur *ratificaverunt*, quia agitur de re nomine alterius acta. Notant tamen Castrop. et Coninc. non sufficere, si filius casu sciat sponsalia a parente celebrata, et non contradicat : sed amplius re-

(1) n. 836. — (2) n. 837. — (3) n. 836. quær. 4. — (4) n. 837. in fin. — (5). n. 838.

(6) ib. v. id tamen. — (7) n. 838. et 839. — (8) in 4. dist. 27. q. 2. ad. 4.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA TEOLOGICA INTERNACIONAL DE ROMA

quiritur ut parens per se, aut per alium eum certiorem faciat (1).

6. Hic quæritur 1. an in dubio verborum aut signi promissionis sponsalium, sit potius favendum matrimonio, an libertati ? Alii dicunt matrimonio, sed probabilius (ut dicit Viva) favendum est libertati (2). Quæritur 2. an teneretur vi sponsalium qui diceret : *Non ducam aliam nisi te* ?Quicquid dicant alii, verior sententia est et valde communior Laym. Castrop. Sanch. Escob. Boss. Holzm. Salm. Anacl., quæ docet istum non posse aliam ducere uxorem, sed non teneri ad illam ducendam. Teneretur tamen ut dicunt Pontius Viva et Perez, si verba essent de præsenti : *Nolo aliam nisi te* (3). Mittere annulum aut alia dona sponsalitia non inducunt sponsalium obligationem, nisi is esset regionis mos, ut docent communiter Sanch. Castrop. Conc. Bossius Busemb. etc. aut nisi præcessisset promissio alterius partis, et altera acceptasset annulum ab illa missum, ut communiter Castr. Busemb. Escob. Sanch. Sylvest. Holzm. et alii; aut si missus fuerit a parentibus cum illius consensu, ut recte subjungunt Sanchez Castrop. Boss. Mol. etc. Sponsalia autem celebrata inter eos qui aliquo tenentur impedimento, sub conditione, *si Papa dispensat*, licet non sint valida, obligant tamen ad expectandum usque dum exitus videatur dispensationis, si ipsa de facili obtineri possit (4). Vide dicenda *seq. punct. 3. n. 15. in fine.*

7. Dicitur 5. et demum, *inter personas habiles*; hoc intelligitur quod non valeant sponsalia, si deest sponsis ætas præscripta, aut si inter eos aliquod subsit impedimentum (5). Hic notandum 1. promissionem matrimonii per verba de præsenti inter impuberes valere pro sponsalibus ; secus de puberibus, qui clandestine contraherent, nempe sine parocho, et testibus ; quia cum invalidus sit contractus ex se, dum ei obstat lex Tridentini, ille nullam parit obligationem. Intelligitur hoc tamen pro locis ubi Trident. receptum est, nam pro aliis locis sponsalia inita verbis aut signis de præsenti (puta copula affectu maritali exhibita); transeunt in matrimonium (6). Notandum 2. inter sponsos non solum esse mortales actus impudicos, sed etiam pudicos, quoties ad id fiunt ut delectatio sensibilis habeatur, eodem modo, ac sunt mortalia inter solutos, ut dictum est *Tr. 9. n. 2.*; nullus enim sponsorum (quicquid dicant alii) acquirit jus ad alterius corpus ; unde sicut sponsis vetita est copula, ita etiam tactus, qui ideo permittuntur, in quantum sunt ad illam ordinati; ita recte docent Lessius Bonac. Ronc. Conc. Suar. Viva Croix Mazzot. et alii plures. Vix sponsis permitti possunt (ut dicunt La Croix Viva et alii) oscula illa, vel amplexus, quos mos patriæ permittit, modo non sint pressi, neque per notabile tempus protracti. Nec practice probabilis est opinio illorum aa. dicentium licitos esse sponsis tactus pudicos, si ipsi non intendant delectationem veneream, sed solam sensibilem; in hoc enim ordinarie adest periculum incidendi in veneream tam sensibili propinquam, aut saltem in prava desideria progrediendi ad veneream (7). Et sic etiam sub gravi prohibitum est sponsis se delectari de copula futura ; cum illa ipsis in præsenti statu actualiter sit vetita (8). Vide dicta *Tr. 3. n. 51.*

(1) l. 6. n. 839. dub. 2. — (2) n. 840. v. quando. — (3) n. 842. — (4) n. 843. — (5) n. 840.

(6) n. 853. in fin.— (7) l. 6. n. 854 — (8) ib. in fin.

PUNCTUM II.

DE SPONSALIUM OBLIGATIONE.

8. *Quomodo, et quando sponsalia sint exequenda.*
9. *Quid si unus promittit duabus mulieribus.*
10. *An filius possit insciis parentibus se obligare.*
11. *Qui a sponsalibus recedit, etc. Et de pœna apposita recedenti.*
12. *An debeatur legatum relictum sub conditione, si nubat, etc. aut si non nubat.*

8. Sponsalia obligant certe sub gravi ad contrahendum matrimonium : et si non est præfixum tempus, obligant statim, juxta sententiam veriorem Pontii Castrop. Ronc. Conc. Coninch. Salmant. etc. contra Sanchez Nav. Holzman etc. qui contendunt non obligare, nisi cum pars instat; sed ratio nostra est, quia omnes obligationes, ubi terminus præfixus non est, debent quamprimum adimpleri, ut exprimitur in *L. eum qui, § Quoties, ff. de verb. oblig.* ubi dicitur : *Quod sine termino præfixo debetur, statim debetur.* Probabiliter tamen dicunt Castrop. Coninch. Salm. etc., quod in casu quo altera pars commode posset pro matrimonio contrahendo instare, et taceret, tunc prudenter potest judicari consentire illam dilationi (1). Hoc valet quoad partes, sed quoad judicem, recte docent Sanchez cum s. Bonaventura s. Antonin. Navar. Concina Castrop. Holzm. Roncagi. Salm. et aliis communiter, quod ille non debet eos cogere ad matrimonium, si ex eo timentur scandala, aut rixæ, ut exprimitur in *cap 10. de Sponsalib.* ubi dicitur : *Ecclesiastica censura compellas, nisi rationabilis causa obsisterit.* Et ita declaravit etiam S. C. Et in dubio semper satius erit, ut dicunt Bus. Tamb. et Concina, evitare damna talis matrimonii, quam evitare damnum partis; unde si unquam pars renitens ideo excommunicata fuit, expedit ut judex eam absolvat, quoties timetur ne futurum sit, ut hujusmodi nuptiæ malum exitum habeant (2).

9. Notandum 1. quod si quis sponsalia cum duabus contrahit, et secunda conscia erat sponsalium, quæ cum prima inita erant; matrimonium cum prima erit contrahendum. Si vero erat inscia, aliqui dd. dicunt quod in casu quo copula intercessisset cum secunda, sponsus hanc ducere debet ; sed communius et probabilius dicunt Nav. Sanch. Led. Bon. Ronc. Elbel, Laym. Soto, Holzm. Anacl. Croix, etc. in omni casu ducendam esse primam, quia promissio facta secundæ semper nulla est, et de re illicita, cum jam promissa fuerit priori sponsæ, ideoque non tenet, licet juramento firmata fuisset. An autem cum intercesserit copula cum secunda, debeat prior cedere ex æquitate? Alii affirmant ; sed non improbabiliter Holzm. Anacl. Gutt. et Pichler, sentiunt ne teneri quidem ad hoc primam, dum secunda sponsa imbecillitati suæ imputare debet incommodum talis damni (3).

10. Notandum 2. sponsalia inita a filiis, insciis parentibus, certe esse valida, ut declaravit Trid. *sess. 24. cap. 1. de Ref. matrim.* contra Lutherum, et Bucerum. Celebris illa quæstio est, an peccet graviter filius, qui invitis parentibus, matrimonium contrahit ? In hoc quatuor adsunt sententiæ. *Prima* dicit peccare graviter, sive contrahit insciis, sive invitis parentibus; et hoc ratione gravium scandalorum et damnorum quæ cæteroquin ex hujusmodi matrimoniis oritura sunt; ita Pontius, Sylvius, Nav. Mol. Conc. Petrocor. et Ronc. *Secunda* autem sententia dicit filium teneri sub gravi obligatione parentes certiores facere, et etiam consilium accipere, alioquin eis gravem inferret injuriam ; sed non teneri postea eorum consilio stare, cum non tenentur filii ; juxta id quod docet s. Thomas (4), parentibus parere in iis quæ ad matrimonium spectant, cum in id totalis requiratur libertas ; ita Vasq. Sanch. Barb. Laym. Bonac. Filliuc. Viv., etc. *Tertia* sententia dicit, quod quoties matrimonium non affert dedecus familiæ, et non adsit causa ob quam parentes juste contradicant, filius non peccat graviter

(1) n. 845. v. quær. igitur.—(2) n. 846. (3) n. 868. — (4) 2. 2. q. 101. a. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si uxorem ducit, aut nubit insciis parentibus; cum enim ille non teneatur eorum stare consilio, consequens est non posse esse gravem illius obligationem ut eos consulat ; ita Cast. Bossius, Holz. Salm. Pichler, Elbel. Covar, Renzi, Led. Vict. Henr. Spor. Aver. Dicast., etc. *Quarta* sententia quasi cohærens cum tertia distinguit, et dicit : Si parentes juste vetant filio aliquod matrimonium particulare, puta quia esset illud dedecori aut scandalo familiæ, tunc filius peccaret graviter, si illud contraheret. Et in casu quo esset dedecori familiæ, ille non tenetur sponsalibus contractis, etiam juratis, licet sponsam defloresset, cum sufficiat tunc si tantum illam dotet, si potest ; cum justitia non possit obligare ad actum qui sine peccato executioni mandari nequit. Secus autem dicunt, si pater sine justa causa impediret matrimonium; ita Laym. Delb. et Aversa (1). Cæterum omnes conveniunt communiter dd. ad excusandum filium in casibus sequentibus : nimirum 1. si pater injuste vetaret status conjugalis electionem, et filius esset in periculo incontinentiæ. 2. Si filius injuste a parentibus vexaretur. 3. Si pater longe abesset, et filius posset prudenter præsumere ejus consensum. 4. Si pater impediret matrimonium suo statui conveniens; nam cum in tali casu peccaret pater, non teneretur filius ei obedire, ut communiter dicunt Sanch. p. Sotus, Cordub. Boss. Gutt. Rebel. Viva, etc. 5. Si pater vellet filio uxorem indignam, infirmam, aut pravæ conditionis dare (2). Quæritur autem hic, an filius teneatur obedire parenti, qui jubet eum statum matrimonialem inire, aut uxorem a qua ipse abhorret, ducere? Plerumque ab omnibus negatur ; sed Laym. Sanch. Bellarm. Sot. Petrocor. Croix, Bossius, et alii communiter excipiunt, si ob tale matrimonium gravis inimicitia dirimenda esset, aut parentes a magna paupertate per illud essent sublevandi ; sed hoc intelligitur, quoties filio status matrimonialis esset assumendus; intelligi etiam debet, quoties illi non esset horror valde intolerabilis erga illam mulierem ; charitas enim neminem potest obligare ad tantum, ut ei vivendum esset totam vitam suam cum uxore quam notabiliter horreret (3).

11. Notandum 3. partem, quæ voluntarie a sponsalibus promissis recedit, amittere arrhas sponsalitias, et teneri amplius acceptas restituere cum refectione omnium damnorum, quæ ab hoc suo recessu emanant, Quocirca advertendum esse illicitam et invalidam promissionem pœnæ quæ apponeretur in sponsalibus in recedentem, uti constat ex *c. Gemma de spons.* ubi hæc habentur: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda*, etc. Itaque in tali casu qui recedit non tenetur ad præfatæ pœnæ solutionem, licet promissionem juramento obfirmasset (4). Et si pœna unquam soluta sit, qui eam exegit, tenetur ad restituendum, uti sentit probabilior opinio Castrop. Soti, Boss. Guttier, Hurtad. Salm., etc. adversus Sanch. Less. Escob. Mol. et alios, quia illi nullus titulus est, quo eam sibi retineat ; dum lex omnino irritat talem promissionem. ut expressum est in *L. fin. c. de Sponsal.* ubi dicitur : promissio pœnæ *ex utraque parte nullas vires habebit* (5). Hoc tamen currit quando pœna apponitur a sponsis, aut a sibi conjunctis, aut amicis, secus autem, si ab extraneo, ut notant communiter San. Castr. Salm., etc. (6). Insuper currit, si pars juste recedit ; sed si injuste repugnat matrimonium inire, licet sit probabilis sententia Sanch. Bonac. Boss. Conc. Becan., etc. ne teneri quidem ad eam pœnam, quia secus matrimonii libertas etiam ali-

(1) l. 6. n. 849. — (2) ib. v. conveniunt.

(3) n. 850. — (4) n. 855. quær. 2. — (5) l. 6. n. 853. quær. 3. — (6) n. 853.

quam pateretur læsionem ; attamen probabilior est opposita Pontii. Lay. Castropal. Suar. Vasq. Salm. Anacl. Ronc. Holz. etc., quia præfata pœnæ promissio non est prohibita neque jure naturali, nec positivo: non quidem naturali, cum æquum sit subjici pœnæ eum qui injuste recedit ; libertas autem quæ in matrimonio requiritur, est libertas rationabilis, non irrationabilis : alias nunquam posset judex censuris, aut carceribus cogere sponsos ad contrahendum: nec positivo, nam (sicut affert Pontius) in *Novella* 18. expresse approbatur pœnæ impositio in recedentem injuste a sponsalibus. Et textus canonicus in *cap Gemma*, superius relatus, debet intelligi de recessu justo, non autem de injusto (1). Advertendum etiam quod Benedictus XIV. in Bulla *Nimiam licentiam*, die 18 mai 1743. damnavit, et irrita declaravit pacta inter conjuges inita de non appellando a sententia pro matrimonii nullitate, adeo ut in nullo foro obligent nec interno nec externo, sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, præterquam in articulo mortis.

12. Sed quæritur hic, an legatum relictum puellæ sub conditione ut nubat certo juveni, ei debeatur, cum nubit alteri? Respondetur : per se loquendo non debetur, ut habemus ex *L. Titio*, §. 1. *ff. de Condit et demonst.* dum illa jam libera restat ad acceptandas aut respuendas tales nuptias. Sed excipitur 1. si secus pater ei Legitimam denegaret. 2. Si illud matrimonium esset indignum, quia tunc talis conditio reputatur ut turpis ; ita communiter Laym. Mol. Ronc. Vasq. Salm. Boss. etc. cum Sot. Ronc. Si autem sponsus esset dignus sed pater puellæ vellet ut illa alteri nuberet, Pontius, etc. dicit tunc legatum ei non deberi ex sententia quam ipse tenet, non peccare filiam cum nubit personæ dignæ, licet invito parente ; multi alii tamen, ut Bos. Sanch. Mol. Coninc. Guttier., etc. tenent oppositum, dicentes quod cum non possit puella, parente dissentiente nubere, parenti obtemperando, privari non debet legato (2). Si autem mulieri sit relictum legatum sub conditione, ne nubat, et illa nuberet, si ipsa est virgo, etiam ei debetur legatum : secus autem si est vidua (3).

(1) ib. quær. 1.

PUNCTUM III.

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

13. *Solvuntur sponsalia. 1. Ob nuptias cum alio initas. An debligatus restet nocens.*
14. *II. Mutuo consensu, licet intercesserit juramentum. Quid de impuberibus.*
15. *III. Ob impedimentum superveniens. An teneatur petere dispensationem.*
16. *An disparitas dirimat sponsalia.*
17. *An parentum dissensus.*
18. *IV. Ob delictum atrox. An ob fornicationem: et an talis fornicatio malitiam contineat diversam.*
19. *V. Ob notabilem mutationem, v. g. odii, æris alieni, morbi, etc. An ob novam hæreditatem. An si melior occasio, etc.*
20. *VI. Ob discessum in longinquam regionem.*
21. *VII. Ob terminum elapsum.*
22. *VIII. An ob religiosam professionem aut ob Ordines sacros. An ob ingressum, etc.*
23. *An si ante ingressum, etc.*
24. *An peccet qui Sacris initiatur.*
25. *An votum castitatis, aut sacros suscipiendi Ordines dirimat, etc.*
26. *An requiratur judicis auctoritas etc.*
27. *Quænam probatio requiratur, etc.*

13. Dissolvuntur sponsalia ob sequentes causas. 1. Ob *matrimonium validum* ab alia parte contractum (4). Hoc certum est quoad partem innocentem; sed dubium fit, an etiam nocens libera a sponsalibus remaneat ex matrimonio a se contracto. Affirmant Sanch. Bonac. Laym. Wigandt, et alii, quibus etiam inclinat Concina ; sed oppositam sententiam Pontii, Castropal. Concin. Roncagl. Sylvii, Sal.

(2) l. 6. n. 853. quær. 4. — (3) l. 3. n. 930. v. dubit. 7. — (4) l. 6. n. 875.

Ledesm. etc., ego puto absolute probabiliorem, nam taliis dissolutio non probatur nec lege positiva, nec naturali, nam ratio naturalis dictat obligationem jam contractam sponsalium durante matrimonio, suspendi dumtaxat, non extingui (1).

14. 2. Ob *mutuum consensum* sponsorum. Sed hic advertendum quod inter puberes ob talem consensum mutuum solvuntur sponsalia, licet fuerint juramento firmata ; intelligitur, modo adsit justa causa, alias peccarent sponsi, non quidem graviter, sed leviter, ut dicunt Sanch. Ronc. Navar. Holzm. Salm. etc., licet juramentum principaliter fuerit factum in Dei honorem, quia in omnibus juramentis in proximi favorem redundantibus, semper subauditur conditio, nisi a parte remittatur (2). Inter impuberes autem non dissolvuntur mutuo consensu nisi cum ad pubertatem pervenerint: uti habetur ex *cap. De illis, de Sponsal. impub.* Itaque impuber, cum pubertatem attigerit, poterit a sponsalibus recedere, modo statim animum suum declaret: hoc *statim*, intelligitur intra tres dies, qui incipiunt non quidem a tempore pubertatis, sed a die quo pars venit in notitiam privilegii posse recedere. Quod si sponsus dissentit jam ante pubertatem, et in dissensu perseverat, jam sponsalia soluta sunt, statim ac puber ille fuit factus : modo hunc dissensum suum aperuerit ; ut vult sententia probabilior Ronc. Castr. Suar. Conc., etc. (contra Sanch. Bonac. etc.); quia tale beneficium non est concessum nisi reclamantibus, quod proculdubio intelligitur externe (3). An autem sponsus, cum ad pubertatem pervenit, possit recedere, licet sponsalia juramento firmaverit, negant Bonac. Sanch. Ronc. etc.; sed probabilius affirmant Pont. Castr. Concina, Viva, Palud. Salm. etc., quia juramentum sequitur naturam contractus, sive sponsalium quæ inter impuberes sunt revocabilia: nec obstat *cap. Litteris, de Sponsal*, quia sicut animadvertunt Castr. Pont. et Viva ibi tantum loquitur de *impubescentibus*, ut exprimit textus, nempe de proximis pubertati, qui merito habentur uti puberes et huic sententiæ etiam assentitur Sanch. cum aliis (4).

15. 3. Ob *impedimentum superveniens*. Sed hic distinguenda sunt impedimenta: si impedimentum est tantum impediens, probabilior est sententia, et est communissima cum Sanch. Castropal. Palud. Bon. Conin. etc. (contra Sotum) sponsalia non dissolvi; modo impedimentum non sit ob votum religionis, et etiam probabiliter castitatis, ut infra dicetur n. 25. Si vero impedimentum est dirimens, certum est sponsalia dissoluta esse, quoad partem innocentem, etiam si nihil aliud esset, quam fama apud majorem partem viciniæ; secus autem quoad nocentem, juxta probabiliorem sententiam, et communiorem Sanch. Castrop. Coninch. et Gutier. (contra Dicast.) ex illa generali regula, quod nemo potest ex suo delicto commodum reportare (5). Propterea in eo casu sponsus qui impedimentum contraxit, tenetur dispensationem procurare, quoties de facili potest, et intra tempus breve ; secus cum magna impensa, aut magno labore, et tempore opus esset ; etenim ille tenetur fidem præstare mediis ordinariis, non autem extraordinariis, ut probabilius Sanch. Bonac. Gutt. Wigandt ; et Sporer, contra Castrop. Ronc. et Salm. qui eum obligant, etiamsi impensa esset nimia. Merito tamen excipit Sporer, cum Tamb. si sponsus teneretur ad matrimonium, ut damnum reparet defloratio nis, aut infamiæ sponsæ (6). Et si forte aderat impedimentum tempore quo celebrata fuerunt sponsalia, et hæc celebrata fuerunt cum pacto impetrandi dispensationem,

(1) ib. v. quæritur. — (2) n. 855. — (3) n. 856.

(4). ib quær. — (5) num. 857. — (6) l. 6. n. 858. et l. 3. n. 650.

tunc licet sponsalia non sint valida ante dispensationis impetrationem, ac proinde non inducant impedimentum publicæ honestatis ; nihilominus remanent sponsi obligati ad expectandum conditionis eventum ; et sponsalia, quæ cum alia persona inirentur, essent nulla, ut dicunt Spor. et Ronc. cum Decret S. C. Et dicimus cum Sanchez, Ronc. Lug. Laym. Bon. Salmant. Castrop. etc., dispensatione obtenta, hujusmodi sponsalia sine novo consensu esse valida, modo consensus præstitus adhuc perseveret (1); vide infra *n.* 34.

16. Quæritur hic 1. an notabilis disparitas conditionis inter sponsos, sit impedimentum potens sponsalia dissolvere? Respondetur, quod si tempore contractus ignorabatur disparitas, sponsalia utique sunt nulla. Secus si cognita erat ; præterquam si tale matrimonium non posset iniri sine notabili familiæ dedecore, v. g. si nobilis filiam rustici, aut fabri ducturus esset ; ita communiter Laym. Sanch. Panorm. Ronc. Spor. etc. (2). Et idem dicitur si sponsus esset longe ditior, quia tunc promissio sponsalitia uti prodiga non obligat, cum nunquam quis teneatur ad exequendum illicitum, licet sit tantum venialiter illicitum, juxta communiorem et veriorem sententiam Soti, Prad. Bann. Suar. Salm. etc. (3). Hoc tamen intelligitur (loquendo de disparitate divitiarum) modo sponsa aliqua peculiari prærogativa nobilitatis, honestatis, prudentiæ, aut pulchritudinis prædita non esset, qua carentiam bonorum fortunæ compensasset, et modo non adesset defloratio, aut modo infamia notata non remaneret sponsa, si matrimonium non fieret (4). Dicunt autem dd. quod licet matrimonium non sit familiæ opprobrio, nec liceret illud contrahere, cum timerentur damna, aut odia inter parentes. Sed considerando quod obligatio hoc matrimonium non contrahendi in hoc casu non esset nisi charitatis actus, nescio quomodo posset excusari sponsus cum suo damno aut incommodo a tali matrimonio non contrahendo, ut vitet odia inter parentes ; nisi esset quod ex tali matrimonio orituræ essent communes perturbationes apud plures familias in oppido parvo, adeo ut posset aliquo modo judicari esse malum commune toti regioni (5).

17. Quæritur 2. an dissensus parentum sit impedimentum adeo potens, ut solvi possint sponsalia ? Respondetur : si parentes injuste dissentiunt, non potest filius a matrimonio resilire, cum jure canonico certum sit parentum consensum non esse de necessitate valoris matrimonii, sed tantum honestatis. Secus vero dicendum, si parens juste contradicat, ut cum tale matrimonium esset familiæ dedecori, aut scandalo parentibus ; Layman. Nav. Sanch. etc. aut, ut ait Roncagl., si filius juste timeret hæreditate privari paterna, modo hoc periculum non prævideri, cum sponsalia contraxit (6).

18. 4. Ob *atrox delictum* alterius partis, ut si alter sponsus in hæresim incideret, aut aliquod homicidium, aut grave furtum, aut aliud facinus, quod gravi sibi esset damno, aut infamiæ, committeret. Si autem crimen esset fornicationis, distinguere oportet virum a muliere. Quoad sponsam, certum est virum liberum fieri, si illa ab alio carnaliter fuerit cognita, licet invita, juxta communem et veriorem sententiam Sanch. s. Antonin. Sot. Concin. Navar. Pont., etc. et ut habetur ex *C. Raptor* 33. *Caus.* 27. *q* 2. ubi permittitur sponso repudiare sponsam vi raptam ; aut si ipsa permisit impudice tangi. Contra quoad sponsum, sive ipse fornicasset ante, sive post sponsalia, etiam communius, et probabilius dicunt Sanch. Pont. Castrop. Salm. etc. sponsam non posse recedere. Excipiunt tamen,

(1) l. 6. n. 859. — (2) n. 851. et l. 3. n. 643. dubit. 1. et 2. — (3) l. 6. n. 851. v. sed quid, et seq. — (4) ib. v. juxta.

(5) ib. v. ad id. — (6) n. 877.

et merito præfati aa. cum aliis, si celebratis sponsalibus, cognovisset sponsa, ex alia muliere sponsum habuisse prolem, aut in hoc vitium frequenter lapsum fuisse, cum multis congressum habendo (1). Dubitatur autem inter dd. an fornicatio inter sponsos habeat malitiam diversam, quæ mutet speciem ? Tres adsunt sententiæ omnes probabiles. Prima affirmat tam de sponsa, quam de sponso ; quia ex utraque parte irrogatur injuria juri acquisito ad corpus alterius : ita Castr. Laym. Salm. etc. Secunda affirmat de sola sponsa, non vero de sponso, qui fornicando non videtur gravem afferre injuriam sponsæ : ita Sanch. Bonac. et Fill. Tertia etiam probabilis negat de utroque, quia neuter sponsus acquirit jus ad corpus alterius ; ita Pont. Trullen. Covar. Vival. et probabilem vocant Sanch. Laym. Lug., Salm. Elbel, etc. (2). An autem nec ne teneatur sponsa, virgo reputata, suum defectum patefacere, si talis non est ? vide dicenda numero sequenti.

19. Ob *mutationem notabilem*, quæ suboriatur, ut esset 1. timor gravis odii inter sponsos (cognita ab altero alterius asperitate) aut inter parentes ; ita Bonac. Laym. Busemb. 2. Si delegatur alter sponsus nimio ære alieno gravatus, aut si sponsa dotem non haberet ; Sanch. Tol. Pont. Bon. Spor. etc. 3. Si alteruter sponsus in lepram, paralysim, morbum gallicum incidat, aut aliud simile ei accidat quo difformis, aut inhabilis ad familiam sustentandam evadat, Sanch. Conin. Layman, Bon. et alii communiter cum s. Thoma (3) et sufficit ut de hoc prudens habeatur suspicio (4). Et si forte tempore sponsalium alterutra pars haberet aliquem personalem defectum occultum ex descriptis aut suæ familiæ, qui redderet nuptias nocivas alteri parti ignoranti, illa non potest matrimonium contrahere, nisi illum manifestet. Dictum est *nocivas*, quia si eas redderet tantum minus appetibiles, v. g. si sponsa putabatur dives, pulchra, aut virgo, et postea talis non esset, quoties illa non fingat esse a tali defectu immunem, non tenetur illum manifestare, sed potest dissimulare, quia tunc non fingit, sed vitium suum occultat : nec aliquis tenetur suam patefacere infamiam, cum illa jus alterius non lædit ; ita communissime Sanch. Pont. Castropal. Coninc. Roncag. Salm. Escob. Croix, et alii, contra Concinam (5). Ad judicandum quænam causa valeat dissolvere sponsalia, hæ duæ regulæ attendendæ sunt. Prima est, quod ob causas sponsalibus supervenientes sufficit ea, quæ si prævisa esset, illa utique contracta non fuissent ; unde tunc pars a tali defectu immunis remanet, quæ præsumitur contraxisse semper sub conditione quod talis rerum non adsit mutatio, quæ prævisa si fuisset, eam a contrahendo removisset. Secunda regula est, quod ob causas sponsalia præcedentes sufficit, ut adsit illa, quæ si suboriretur, valet ea impedire. Hinc fit, quod si ignorantia illius causæ non dedisset causam contractui, sed fuisset concomitans, nempe quod si fuisset cognita, etiam contracta fuissent sponsalia, tunc non possunt dissolvi ; ita Sanch. Ronc. Castrop. Sal. et alii communiter (6). Sed hic quæritur, an superveniente alterutri sponsorum pinzui hæreditate, possit ille recedere a sponsalibus ? Affirmat Hurtad. Trull. Leand. etc. dicendo, tunc notabiliter mutari sponsorum conditionem. Sed alii communissime, ut Sanch. Boss. Comit. Castrop. Escob. Concina, Ronc. etc. id negant, quia tunc ille jam non deceptus est in conditione alterius partis, in qua nulla accedit mutatio. Quare dicit Croix, quod si sponsus inveniret sponsam melioris conditionis, non potest pri-

(1) l. 6. n. 860. et seqq. — (2) n. 847. — (3) sup. q. 43. a. 3. ad 3. — (4) l. 6. n. 863.

(5) n. 864. — (6) n. 865. v. ad videndum

mam dereinquere ; sed in hoc casu, quo conditio esset longe melior, ego non auderem, meliore advertentia salva, damnare sponsum, si vellet ducere secundam ; quia magni lucri amissio æquivalet magno damno, ut dictum est *tract.* 6. *n.* 22. et ita invenio dixisse multos theologos in vita s. Joannis a Capistrano c. 9.

20. 6° *Ob discessum alterius partis in regionem longinquam ;* unde fit quod si sponsus alio domicilium suum transferret, aut in locum longinquum proficisceretur, licet cum animo redeundi, sponsa liberatur a promissione, et potest nubere cui velit, ut exprimitur in c. *De illis* 5. *De sponsa*. ubi dicitur : *Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre.* Sed si sponsus ad vicinas partes se animo redeundi transferret ; tunc sponsa aut expectare debet regressum, aut debet requirere sponsum ut redeat ; et si ille prosequatur absentiam, aut expectare debet usque ad competens tempus ad prudentis arbitrium, aut (ut melius dicunt alii) adeatur judex, ut præfigatur terminus (1). Hoc currit cum in sponsalibus terminus non præfixus fuit ; quia si jam fuit appositus, observetur quod infra dicetur.

21. 7. Ob *termini præfixi lapsum*, hoc nihilominus intelligitur cum tempus est adpositum ad solvendam obligationem ; et tunc libera restat pars innocens, licet promisisset sponsalia juramento, ut dicunt omnes cum s. Thoma (2), et est expressum in c. *Sicut* 22. *de spons.* ubi Papa damnavit sponsum, qui sponsalibus initis cum una, contraxerat cum alia : *Nisi* (addidit tamen) *terminum præfixit, et per eum non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit.* Igitur, si per ipsum non stetisset, juste recessisset (3). Et hoc currit etiamsi terminus elapsus fuisset defectus alterius partis, sed inculpabiliter, ut communiter, et probabilius contendunt Laym. Castrop. Nav. Conin. Conc. Salmant. Ronc. (contra Bonac. Pont. Vivam, Sanch., etc.) ; et hoc deducitur perspicue ex eodem textu citato (4). An autem elapso termino liberetur etiam qui culpa sua distulit nuptias ; affirmant Ronc. et Conc., et hæc opinio videtur non posse dici improbabilis, nam eam expresse tenet s. Thomas (5), dicens : *Si per eum stetit, debet agere pœnitentiam de peccato factæ promissionis, et contrahere* (potest) *cum alia, si vult.* Sed attenta ratione, et communiori sententia Pon. Sanch. Lay. Navar. Castrop. Conin. Sal. Palud., etc. mihi videtur valde probabilior opposita, quia nemo debet commodum ex sua culpa reportare. Cæterum, si ex utriusque partis culpa steterit, quin matrimonium contractum fuisset, certum est elapso termino utramque liberari (6).

22. 8. Ob *professionem religiosam aut ob Ordinis sacri susceptionem* certe solvuntur sponsalia, etsi juramento firmata (7). Quæritur autem 1. an ob ingressum in religionem remaneat libera tam pars quæ ingreditur, quam altera ? Affirmant Busemb. Sanch. Bon. Tol., etc. ; sed ego puto absolute probabiliorem oppositam, quæ est communior, cum Laym. Spor. Pont. Castrop. Croix Conin. Viva Gonet. Salm., et aliis pluribus, liberam remanere tantum partem quæ in sæculo remanet, dum altera religionem ingrediens videtur suo juri cessisse ; secus autem pars ingrediens ; illa enim ingrediendo non fit inhabilis ad contrahendum matrimonium. Opinio autem illorum quod utraque pars libera restet, non videtur satis probabilis (8).

23. Quæritur 2. an cum sponsalia sunt jurata, teneatur sponsus, ante-

(1) l. 6. n. 866. — (2) in 4. d. 27. q. 2. a. 3. ad 2. — (3) l. 6. n. 867.

(4) n. 868. — (5) in 4. d. 27. q. 2. a. 3. ad 2. — (6) l. 6. n. 868. dubit. 3. — (7) n. 869 — (8) l. 6. n. 870. v. hinc.

quam religionem ingrediatur, matrimonium contrahere ? Dicunt Sotus Nav. Led., etc. illum teneri nuptias contrahere, sed ante matrimonii consummationem posse, si velit, religionem ingredi Sed sententia opposita est communior, et verior Pont. Sanch. Petrocor. Castr. Bonac. Holzm. Spor. Salm., etc., quia juramentum semper intelligitur factum sub conditione nisi eligatur status perfectior. In unico casu tantum tenenda est prima sententia, cum matrimonii celebratio necessaria esset ad legitimandam prolem jam conceptam, aut ad reparandum scandalum, aut infamiam sponsæ. Et tunc non permitteretur sponso religionem ingredi relicto matrimonio rato, ut advertit Busemb. (1). Quod confirmatur ex eo quod dictum fuit *Tr.* 10. *n.* 97., ubi diximus, quod si sponsus, etiamsi castitatem vovisset (aut religionem, ut dicunt dd. ibi citati) et postea sponsam defloravisset sub promissione (licet ficta) matrimonii, tenetur procurare dispensationem voti, ut matrimonium ad effectum adducat. Si autem sponsus post sponsalia, sed defloratione remota, voveret religionem ingredi, proculdubio tenetur ad votum, et non obligatur sponsalibus, nisi cum e religione egrederetur. Sed si votum esset etiam profitendi, tunc certe utraque pars libera remanet, quia tunc qui vovet, fit omnino inhabilis ad matrimonium, ut pro certo affirmant Salmant. Viva, etc. (2).

24. Quæritur 3. an peccet sponsus sacris si initietur Ordinibus, sponsa inscia, aut non consentiente? Certum est ordinatum a sponsalibus liberum esse ex *Extrav. Antiquæ de Voto*. Dubium in hoc versatur, an peccet graviter; alii affirmant, quia tantum, ut in religionem se recipiat, permissum est jure canonico (uti volunt) a sponsalibus divertere, non vero ut statum amplectatur ecclesiasticum. Hoc non obstante valde probabilis est sententia opposita Pont. Navar. Conin. Bonac. Gutt. Sot. Silvest. Salm. Escob. Henriq., etc. ex ratione superius allata, quia in sponsalium promissione semper subauditur conditio, modo non eligatur status perfectior (3). Si autem sponsus minoribus tantum Ordinibus initiaretur non potest sponsa propter hoc deflectere, juxta sententiam communiorem, et veriorem Sanch. Pont. Palud. Wigandt Salm. (quicquid dicant Ronc. et Spor.) dum Ordines minores non impediunt matrimonium, cum eorum dentur clerici conjugati (4).

25. Quæritur 4. an votum castitatis, aut sacris Ordinibus initiandi sit validum, et dirimat sponsalia etiam quoad voventem ? Dico *voventem*, quia altera pars procul dubio liberatur. Dico votum *post sponsalia*, quia si ipsum antecedenter fuerit emissum, sponsalia sunt irrita, cum irrita sit promissio rei illicitæ. Dubium igitur in hoc restringitur, quid si votum sponsalia subsequatur? Alii dicunt probabiliter fuisse nullum quia in tertii præjudicium emissum ; ita Laym. Nav. Castrop. Cabass. Ronc. etc.; sed alii communius, ut Pont Petrocor. Suar. Gonet Coninch. Sot. Azor. Bon. volunt esse validum : et probabile dicunt ipsi aa. citati Laym. Sanch. Castropal. Cabass. et Salm. cum s. Thoma (5) qui dicit : *Per votum simplex sunt sponsalia dirimenda.* Ratio Angelici est, quia ubi concurrunt duæ obligationes, præferenda est potior ; sed ratio communior aliorum est superius relata, nempe quod sponsalia promissa esse intelliguntur semper sub conditione, nisi status melior eligatur. Quocirca adest etiam quædam decisio S. C. Conc. apud Pittonnium (6) sub die 5. martii 1701., ubi dicitur votum castitatis, aut suscipiendi Ordines sacros, irritare sponsalia etiam jurata. Addunt Bonac. et Sanch. voventem solutum remanere a sponsalibus, licet

(1) ib. dubit. 2. — (2) n. 873, (3) n. 871. — (4) n. 872. — (5) suppl. q. 53. a. 1. ad 1. — (6) de matrim. n. 2512.

postea voti dispensationem impetraverit, et hoc non omnino est improbabile, sed probabilius mihi videtur oppositum cum Rebell. Aver et Salm. quia prior obligatio non penitus extinguitur, sed suspenditur, donec votum servatur (1).

26. Quæritur 5. an ad sponsalia dirimenda semper intercedere debeat judicis auctoritas ? Respondetur negative, cum sponsalia fuerunt publica et causa etiam est publica et certa ; idem dicendum si sponsalia fuerint occulta, et causa est occulta. Secus vero, si causa non est certa, sed est dubia sive juris, sive facti, quia tunc omnino intercedenda est judicis auctoritas ; ita communiter Sanchez Castrop. Holzm. Gutt., etc. Cum vero sponsalia sunt publica, et causa est occulta : tunc si causa non potest probari in judicio, non requiritur judex, sed cum jam probari potest, requiritur, sed non sub gravi, nisi esset ad evitandum grave scandalum, ut dicunt dd. citati cum Nav. Pont. et aliis communiter. Cum autem defectus posset probari, sed esset occultus, debet pars innocens alteram admonere ; et tunc si illa non quiescit ut sponsalia solvantur, tunc poterit licite defectum ad judicem deferre ; Laym. Pont. Sanch. Castrop. Coninch., etc. (2).

27. Quæritur 6. quænam probatio requiritur ad solvenda sponsalia? Respondetur : si causa est circa aliquod impedimentum (sive sit dirimens, sive impediens) tunc sufficit quilibet testis juratus, modo sit oculatus, ut habetur in *cap. Super eo de Test. et attest.*. et hoc valet, licet ille sit criminosus, et non citatus, sed tantum productus a parte ; et etiamsi deponeret in secreto, tacito suo nomine, ut dicunt Sanch. Castr. Salm. Coninch. Holzm. Viva Croix Gutt., etc (3). Si causa vero non fuerit impedimentum, sed alia sufficiens ad efficiendum ut alter sponsorum possit a sponsalibus desciscere, tunc, ut dicunt communius Sanch. Laym. Castrop. Salm. Coninc., etc. requiruntur duo testes (4). In cap. *In omni, de Test.* requiruntur duo testes jurati, ubi agitur de damno tertii. Nihilominus probabiliter tenent Palud. Aver. Salmant. et Trull. sufficere etiam unum testem fide dignum, in casu quo ipse testaretur sponsæ fornicationem. Cæterum hoc currit quoad forum ; sed in conscientia communis est sententia sufficere unum tantum testem pro omnibus casibus ; Sanch. Castrop. Croix Con. Salm., etc.

(1) l. 6. n. 873. dubit. 1. — (2) n. 878. dubit. 1. (3) n. 878. dubit. 2. (4) ib. v. si vero.

CAPUT II.

De matrimonio.

PUNCTUM I.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO MATRIMONII.

28. *Quænam sit materia, forma, et quinam sit minister.*
29. *Illationes. An sponsi possint simulare. De matrimoniis clandestinis. An, cum convalidantur, requiratur præsentia parochi, etc.*
30. *De finibus matrimonii.*
31. *An sufficiat consensus per signa.*
32. *De matrimonio per procuratorem, aut epistolam.*
33. *De consensu conditionato.*
34. *An, adimpleta conditione, novo opus sit consensu.*

28. Communis inter dd. est sententia ministros matrimonii esse ipsos contrahentes. Materia est mutua traditio juris quod alter in alterius acquirit corpus, per verba aut signa consensum exprimentia. Forma autem est mutua acceptatio iisdem verbis aut signis expressa. Sed huic adversantur Canus Juvenin. Conc. et Tournely, dicentes ministrum matrimonii esse sacerdotem assistentem, et formam esse verba : *Ego vos in matrimonium conjungo, etc.* Sed nostram sententiam tenent Bellarm., qui eam vocat communem in scholis (ut eam appellat etiam idem Canus), Gonet Frassen. Cabass. Ronc. Abel.

quam religionem ingrediatur, matrimonium contrahere ? Dicunt Sotus Nav. Led., etc. illum teneri nuptias contrahere, sed ante matrimonii consummationem posse, si velit, religionem ingredi Sed sententia opposita est communior, et verior Pont. Sanch. Petrocor. Castr. Bonac. Holzm. Spor. Salm., etc., quia juramentum semper intelligitur factum sub conditione nisi eligatur status perfectior. In unico casu tantum tenenda est prima sententia, cum matrimonii celebratio necessaria esset ad legitimandam prolem jam conceptam, aut ad reparandum scandalum, aut infamiam sponsæ. Et tunc non permitteretur sponso religionem ingredi relicto matrimonio rato, ut advertit Busemb. (1). Quod confirmatur ex eo quod dictum fuit *Tr.* 10. *n.* 97., ubi diximus, quod si sponsus, etiamsi castitatem vovisset (aut religionem, ut dicunt dd. ibi citati) et postea sponsam defloravisset sub promissione (licet ficta) matrimonii, tenetur procurare dispensationem voti, ut matrimonium ad effectum adducat. Si autem sponsus post sponsalia, sed defloratione remota, voveret religionem ingredi, proculdubio tenetur ad votum, et non obligatur sponsalibus, nisi cum e religione egrederetur. Sed si votum esset etiam profitendi, tunc certe utraque pars libera remanet, quia tunc qui vovet, fit omnino inhabilis ad matrimonium, ut pro certo affirmant Salmant. Viva, etc. (2).

24. Quæritur 3. an peccet sponsus sacris si initietur Ordinibus, sponsa inscia, aut non consentiente? Certum est ordinatum a sponsalibus liberum esse ex *Extrav. Antiquæ de Voto*. Dubium in hoc versatur, an peccet graviter; alii affirmant, quia tantum, ut in religionem se recipiat, permissum est jure canonico (uti volunt) a sponsalibus divertere, non vero ut statum amplectatur ecclesiasticum. Hoc non obstante valde probabilis est sententia opposita Pont. Navar. Conin. Bonac. Gutt. Sot. Silvest. Salm. Escob. Henriq., etc. ex ratione superius allata, quia in sponsalium promissione semper subauditur conditio, modo non eligatur status perfectior (3). Si autem sponsus minoribus tantum Ordinibus initiaretur non potest sponsa propter hoc deflectere, juxta sententiam communiorem, et veriorem Sanch. Pont. Palud. Wigandt Salm. (quicquid dicant Ronc. et Spor.) dum Ordines minores non impediunt matrimonium, cum eorum dentur clerici conjugati (4).

25. Quæritur 4. an votum castitatis, aut sacris Ordinibus initiandi sit validum, et dirimat sponsalia etiam quoad voventem ? Dico *voventem*, quia altera pars procul dubio liberatur. Dico votum *post sponsalia*, quia si ipsum antecedenter fuerit emissum, sponsalia sunt irrita, cum irrita sit promissio rei illicitæ. Dubium igitur in hoc restringitur, quid si votum sponsalia subsequatur? Alii dicunt probabiliter fuisse nullum quia in tertii præjudicium emissum ; ita Laym. Nav. Castrop. Cabass. Ronc. etc.; sed alii communius, ut Pont Petrocor. Suar. Gonet Coninch. Sot. Azor. Bon. volunt esse validum : et probabile dicunt ipsi aa. citati Laym. Sanch. Castropal. Cabass. et Salm. cum s. Thoma (5) qui dicit : *Per votum simplex sunt sponsalia dirimenda.* Ratio Angelici est, quia ubi concurrunt duæ obligationes, præferenda est potior ; sed ratio communior aliorum est superius relata, nempe quod sponsalia promissa esse intelliguntur semper sub conditione, nisi status melior eligatur. Quocirca adest etiam quædam decisio S. C. Conc. apud Pittonnium (6) sub die 5. martii 1701., ubi dicitur votum castitatis, aut suscipiendi Ordines sacros, irritare sponsalia etiam jurata. Addunt Bonac. et Sanch. voventem solutum remanere a sponsalibus, licet

(1) ib. dubit. 2. — (2) n. 873, (3) n. 871. — (4) n. 872. — (5) suppl. q. 53. a. 1. ad 1. — (6) de matrim. n. 2512.

postea voti dispensationem impetraverit, et hoc non omnino est improbabile, sed probabilius mihi videtur oppositum cum Rebell. Aver et Salm. quia prior obligatio non penitus extinguitur, sed suspenditur, donec votum servatur (1).

26. Quæritur 5. an ad sponsalia dirimenda semper intercedere debeat judicis auctoritas ? Respondetur negative, cum sponsalia fuerunt publica et causa etiam est publica et certa ; idem dicendum si sponsalia fuerint occulta, et causa est occulta. Secus vero, si causa non est certa, sed est dubia sive juris, sive facti, quia tunc omnino intercedenda est judicis auctoritas ; ita communiter Sanchez Castrop. Holzm. Gutt., etc. Cum vero sponsalia sunt publica, et causa est occulta : tunc si causa non potest probari in judicio, non requiritur judex, sed cum jam probari potest, requiritur, sed non sub gravi, nisi esset ad evitandum grave scandalum, ut dicunt dd. citati cum Nav. Pont. et aliis communiter. Cum autem defectus posset probari, sed esset occultus, debet pars innocens alteram admonere ; et tunc si illa non quiescit ut sponsalia solvantur, tunc poterit licite defectum ad judicem deferre ; Laym. Pont. Sanch. Castrop. Coninch., etc. (2).

27. Quæritur 6. quænam probatio requiritur ad solvenda sponsalia? Respondetur : si causa est circa aliquod impedimentum (sive sit dirimens, sive impediens) tunc sufficit quilibet testis juratus, modo sit oculatus, ut habetur in *cap. Super eo de Test. et attest.*. et hoc valet, licet ille sit criminosus, et non citatus, sed tantum productus a parte ; et etiamsi deponeret in secreto, tacito suo nomine, ut dicunt Sanch. Castr. Salm. Coninch. Holzm. Viva Croix Gutt., etc (3). Si causa vero non fuerit impedimentum, sed alia sufficiens ad efficiendum ut alter sponsorum possit a sponsalibus desciscere, tunc, ut dicunt communius Sanch. Laym. Castrop. Salm. Coninc., etc. requiruntur duo testes (4). In cap. *In omni, de Test.* requiruntur duo testes jurati, ubi agitur de damno tertii. Nihilominus probabiliter tenent Palud. Aver. Salmant. et Trull. sufficere etiam unum testem fide dignum, in casu quo ipse testaretur sponsæ fornicationem. Cæterum hoc currit quoad forum ; sed in conscientia communis est sententia sufficere unum tantum testem pro omnibus casibus ; Sanch. Castrop. Croix Con. Salm., etc.

(1) l. 6. n. 873. dubit. 1. — (2) n. 878. dubit. 1. (3) n. 878. dubit. 2. (4) ib. v. si vero.

CAPUT II.

De matrimonio.

PUNCTUM I.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO MATRIMONII.

28. *Quænam sit materia, forma, et quinam sit minister.*
29. *Illationes. An sponsi possint simulare. De matrimoniis clandestinis. An, cum convalidantur, requiratur præsentia parochi, etc.*
30. *De finibus matrimonii.*
31. *An sufficiat consensus per signa.*
32. *De matrimonio per procuratorem, aut epistolam.*
33. *De consensu conditionato.*
34. *An, adimpleta conditione, novo opus sit consensu.*

28. Communis inter dd. est sententia ministros matrimonii esse ipsos contrahentes. Materia est mutua traditio juris quod alter in alterius acquirit corpus, per verba aut signa consensum exprimentia. Forma autem est mutua acceptatio iisdem verbis aut signis expressa. Sed huic adversantur Canus Juvenin. Conc. et Tournely, dicentes ministrum matrimonii esse sacerdotem assistentem, et formam esse verba : *Ego vos in matrimonium conjungo, etc.* Sed nostram sententiam tenent Bellarm., qui eam vocat communem in scholis (ut eam appellat etiam idem Canus), Gonet Frassen. Cabass. Ronc. Abel.

Wigandt Van-Espen Pontas Petroc. Benedict. XIV. Fagnanus, qui oppositam vocat periculosam in Fide, Merbes, qui asserit oppositam nunquam fuisse probabilem, et Henriq. Manuel Sotus vocant eam temerariam. Pro nostra sententia etiam stant Scot. et s. Thomas (1). Et quod ipsi sponsi, non autem sacerdos, sint ministri matrimonii, probatur 1. ex Conc. Florentino, ubi dicitur causa efficiens matrimonii esse mutuus consensus sponsorum ; ergo ipsi sunt ministri. 2. Probatur ex Trident. *sess.* 24. *c.* 1. *de Reform. matrim.* ubi matrimonia sine parochi præsentia dicuntur olim fuisse rata, nempe indissolubilia ; contra probatur aliunde ex *cap. Quanto de Divort.* quod matrimonia fidelium ideo sunt rata, quia sunt Sacramentum : *Etsi matrimonium* (sunt verba textus) *infidelium verum existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum Fidei* (nempe Baptismus) *quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Igitur Baptismus, non parochus efficiebat tunc ratum Sacramentum matrimonii, adeo ut esset indissolubile, sicut indissolubilis est Baptismi character. Hoc argumentum valde exaltat Benedictus XIV. (2). 3. Probatur ex eo quod verba *Ego vos conjungo etc.*, ut testantur Martene, et Simonetus, apud Bened., olim non dicebantur, sed alia; idque probant ex pluribus antiquis Ritualibus. Si autem verba prolata a sacerdote fuissent forma Sacramenti, uti autumant adversarii, illa semper eadem, vel saltem æquivalentia esse debebant. Adde quod Tridentinum permisit parocho posse uti etiam *aliis verbis, iuxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* 4 Probatur ex eodem Concilio *loc. cit.* ubi dicitur ita : *Qui aliter quam præsente parocho... contrahere attentabunt, inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos etnullos esse decernit.* Igitur non est nullum matrimonium, si fiat coram parocho, licet ille taceat ; sed tantum cum fit illo absente ; itaque ejus verba, quæ adversarii supponunt esse formam, non sunt necessaria et per consequens non est minister matrimonii sacerdos (3). His tamen non obstantibus, oppositam sententiam, nimirum parochum esse ministrum matrimonii, quam tenent Guillielmus Paris. Canus Toletus Maldonatus Estius Juvenimus Tournely et Collet ejus Continuator Natalis Alexand. Conc. et alii, territus ab auctoritate tantorum virorum non audeo improbabilem dicere, tanto magis quod Benedictus XIV. in Opere de *Synod.* (4) eam valde probabilem vocat.

29. Cæterum ex prima nostra sententia, quam saltem probabiliorem censemus, infertur 1. quod parochus assistendo matrimonio publicorum peccatorum non peccat uti minister, sed tantum uti cooperator sacrilegii eorum, uti diximus *Tr.* 14. *n.* 6. Infertur 2. quod sponsi, qui in mortali matrimonium contrahunt, duo committunt sacrilegia, unum quia Sacramentum suscipiunt, alterum quia in peccato ministrant, licet hoc secundum probabiliter non sit grave, quia sponsi non sunt ministri consecrati ad hoc Sacramentum, uti volunt Concina Tournely Gonet et alii cum s. Thomas (5): quamquam loco citato oppositum sustinuimus. An autem sponsa possit contrahere licite cum publico peccatore ? vide dicta *Tr.* 14. *n.* 6. (6). An autem possit simulare celebrationem nuptiarum, justa intercedente causa, v. g. si aliquod interesset impedimentum dirimens, et non posset sine gravi damno hujusmodi simulationem omitte-

(1) Scot in 4. d. 26. q. 4. n. 14. et s. Th. in 4. d. 26. q. 2. ad 1. a. 1 et d. 28. q 1, ar. 3. — (2) Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 13 n. 5.

(3) Lib. 6. ex n. 897. — (4) Bened. XIV. loc. cit. n. 6. — (5) Vide l. 6. n. 32. v. infertur 2. et n. 54. — (6) N. 55. v. si autem.

re ? Negat p. Milante; sed affirmant communiter Sanch. Castropal. Conc. Card. Coninch. Viva Croix Henriq. etc.; dicunt enim cum tunc non adsit contractus defectu consensus, nec Sacramentum intercedit; nec propterea Sacramenti simulatio (1). Infertur 3. quod sponsi debent esse in gratia, etiam cum per procuratorem contrahunt, quia cum sint veri contractus, sunt vera Sacramenta; Bellarm. Sanch. Navar. Sot. etc. (2) Infertur 4. quod matrimonia clandestina, nempe celebrata coram parocho repugnante assistere, et dare benedictionem, sunt graviter illicita, sed sunt valida, et vera Sacramenta. Hinc refert p. Ferraris *Biblioth. verb. Matrim. art.* 1. *n.* 31., pluries declarasse S. C. sufficere ad valorem Sacramenti præsentiam parochi nulla verba dicentis. Idcirco animadvertendum, quod matrimonia celebrata coram parocho, tunc tantum sunt nulla, cum parochus adfuisset quidem, sed nihil audivisset, aut percepisset, modo ille ex industria non affectasset non percipere ; ita decrevit S. C. Conc. ubi dictum fuit ; *Matrimonium non valere si non intellexissel, nisi ipse parochus affectasset, non intelligere.* Infertur 5. quod parochus assistendo matrimonio in mortali, non peccat graviter, quia nec conficit, nec ministrat Sacramentum; Sanch. Bonac. Suar. Coninch. Reg. etc. Advertendum tamen quod si ille omittit pronuntiare benedictionem, *Ego conjungo vos, etc.*, peccat mortaliter, ut vult sententia probabilior cum Barbosa Rebell. Henriq. etc. quia omittit cæremoniam gravem Ecclesiæ. Infertur 6. quod matrimonia celebrata coram parocho, et duobus testibus cum occulto impedimento, obtenta dispensatione, convalidantur, et vera Sacramenta fiunt solo consensu de novo a sponsis præstito (a quo tamen potest dispensare Papa, vide n. 81.); nec requiritur parochi præsentia; ita communiter Nav. Fagnan. Nat. de Alex. Hab. Tournely Sanch. Card. Sot. Lamb. Salm. Van Espen., et alii (contra Comit. et Conc.); et ita declaravit S. C. et ita est praxis s. Pœnitentiariæ ex oraculo S. Pii V. qui ab ea consultus (ut refert Cardenas), declaravit non opus esse parocho, et testibus, cum matrimonium jam semel palam initum est; et revera s. Pœnitentiaria in concedenda dispensatione dicit : *Ut uterque inter se secrete contrahere valeant* (3). Et hoc argumentum, ut ait Benedictus XIV. loco citato valde probat ministrum matrimonii non esse sacerdotem, sed ipsos sponsos ; alias recte dicit quod Ecclesia, nisi id haberet pro certo, numquam permitteret sponsos relinqui in periculo, quod remaneant sine gratia Sacramenti. Adest tamen Decretum S. C. sub die 8. junii anni 1610. apud Ferrar. *Biblioth. t.* 5. *v. Matrimonium art.* 2. *n.* 19. quod si matrimonium esset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum ætatis, tunc recon. validandum est ante parochum et testes.

30. Hic plura notanda sunt. Notandum 1. quoad honestatem finium matrimonii, duos esse fines intrinsecos et essentiales, mutuam corporum traditionem, et vinculum indissolubile: quicumque contraheret hos fines excludendo, nempe aut animo non reddendi debitum, aut contrahendi ad tempus, matrimonium esset nullum (4). An autem peccet venialiter qui matrimonium contraheret principaliter in concupiscentiæ remedium, affirmant Bossius Navar. Conin. etc. cum s. Thoma (5) ; sed probabiliter negant Castrop. Pont. Ronc. Cajet. Croix Conc. Holzm. et alii multi qui innituntur eo quod dixit apostolus: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* 1. Cor. 7. 2. Sicut explicant Estius Salm. et Cornelius. cum s. Joanne Chrys., illud *propter fornicationem*

(1) N 62. — (2) N. 884.

(3) N. 1110. — (4) N. 882. — (5) Suppl. q. 49. a. 5. ad 2.

non intelligitur ad evitandam fornicationem alterius conjugis, sed propriam. Et hoc probatur ex eo quod dicit *cap.* 7. 1.-2. idem apostolus: *Bonum est homini mulierem non tangere ; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Et vide quod prius suadeat cœlibatum ; sed postea in remedium incontinentiæ hortatur ad ducendam uxorem ; igitur loquitur ibi de incontinentia propria, et deinde subjungit: *Quod si non se continent, nubant ; melius est enim nubere, quam uri, ibid.* 9. (1). Et ita probabilius etiam dicunt Pont. Castrop. Cajet. Coninc. Salm. etc. culpa vacare matrimonium contrahi principaliter ob aliquem finem accidentaliter extrinsecum, v. gr. ad conservandum familiæ decus, ad conciliandam duarum familiarum pacem, etc. (2). Si quis autem contraheret animo se obligandi, sed postea negandi debitum, aut vitandi prolis procreationem, peccaret graviter, sed valide contraheret ; modo talis intentio non deducatur in pactum, sicut contractum fuit matrimonium inter B. Virginem, et s. Josephum (3).

31. Notandum 2. quoad contrahentium consensum, non esse de matrimonii valore verba, sed satis esse signa exprimentia, ut certum est ex *cap. Tuæ Fraternitat.* 25. *de Spons.* (4). Et satis sufficiens signum esset, si mulier, expresso jam viri consensu, manum ei extenderet ; secus autem si tantum eam non retraheret, posteaquam sponsus illius manum apprehendit. Sicut nec sufficit annulli donatio, nec conductio sponsæ in viri domum, nisi esset quia ob loci consuetudinem hujusmodi signa consensum exprimant ; ita Sanch. Pont. Salm. et alii communiter (5). Dicimus autem venialiter peccare, qui solis signis vellet exprimere suum consensum, et nollet uti verbis, nisi verecundia excusaret (6).

32. Notandum 3. quod cum per procuratorem celebratur matrimonium, si forte mandans, revocaret consensum (licet interne) antequam contrahatur, matrimonium esset nullum. Sed quæritur an esset validum, cum mandans, dum mandatum dedit, animum contrahendi non habuisset, sed tempore contractus consensum præstitisset ? Alii dicunt matrimonium non valere, quia tale mandatum, quod nullum fuit cum datum est, non potest postea consensu interno reconvalidari ; ita Castrop. et Coninc. Hanc sententiam non puto improbabilem ; sed opposita est communior Sanch. Bon. Ronc. Salm. etc. et est etiam probabilior, quia procurator contrahendo non exprimit voluntatem præteritam mandantis, sed præsentem ad tempus contractus, quæ jam adest (7). Ad hoc autem ut procurator valide contrahat, multa requiruntur : 1. Ut illud sit mandatum speciale. 2. Ut persona, cum qua contrahendum est, sit determinata. 3. Ut procurator contrahat per se (non per alios) coram parocho, et testibus, illis mandatum exprimendo ; quod sufficit si oretenus sit datum, ut dicunt Castropal. Sanch. Salmant. Guttier. etc. 4. Ut procurator non excedat conditiones in mandato appositas, v. g. temporis, dotis, etc. secus matrimonium est nullum. Sed si ille contraheret sine Episcopi licentia, aut sine proclamationibus, matrimonium esset validum ; ita communiter dd. (8). In hujusmodi nuptiis parochus interrogare debet procuratorem : *Vis in uxorem Titiam nomine N. N.?* et postea ad mulierem : *Vis in virum N. N. medio præsente procuratore* ? Potest etiam matrimonium contrahi per epistolam, et sic fiet : Sponsus scribit ad sponsam quod ipse in virum ei se tradit, et ex tunc eam in sponsam acceptat. Sponsa idem rescribit viro,

(1) L. 6. n. 882. v. dubit. 1. — (2) N. 883. — (3) N. 881. ad 3. et n. 882. in fin. — (4) N. 887. — (5) N. 889. (6) N. 888. — (7) N. 886. — (8) num 885.

et hæc responsio legitur coram parocho, et testibus. Cæterum satis est etiam ut vir scribat mulieri modo relato, et sponsa, quin sponso rescribat, litteras coram parocho et testibus aperiat, et suum præbeat consensum ; ita Sanch. Villal. Dian. Salm. etc. (1).

33. Notandum 4. quod cum consensus est conditionatus, si conditio est de *præteritis* aut *de præsenti*, et conditio jam verificata est, aut verificatur, tunc jam sufficit talis consensus ad contrahendum. Pariter sufficit si conditio esset *de futuro*, sed de futuro necessario, v. gr. *Si pater tuus morietur* ; ita omnes cum sancto Thoma: modo ex hoc non intelligatur suspendi consensus usque ad patris mortem ; Ronc. Salmant. Conc. etc. Sed si conditio est de futuro contingenti, iterum distinguendum est si conditio esset turpis, aut contra substantiam matrimonii, v. gr. contra Sacramentum, contra fidem conjugalem, aut prolem : si dicatur, v. g. *Te volo, si prolis generationem vitabis* ; aut, *si adulterium committes* ; aut si dicat : *Te duco usquedum uxorem te meliorem inveniam* ; tunc matrimonium est nullum. Si autem conditio est turpis alio modo, aut si est impossibilis, tunc habetur pro non adjecta, et matrimonium est validum, *cap. fin. de Condit. app.* ubi dicitur : *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur* (juxta exempla superius allata) *matrimonialis contractus caret effectu ; licet aliæ conditiones, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant pro non adjectis haberi.* Et ratio est, quia tunc præsumitur datus consensus, non obstante conditione apposita. Sed si unquam sponsi vere non intenderent consentire sine tali conditione, matrimonium etiam esset invalidum. Cæterum in dubio debet judicari in favorem illius, ut docent Sanch. Pont, Ronc, Holzm. etc. ex *cap. fin. de Sent. et re judic.* (2).

34. Contra si conditio de futuro esset honesta, tunc matrimonialis contractus nullus foret, sed tantum sponsalitius. Sed hic quæritur an, adimpleta conditione, requiratur novus consensus pro matrimonio ? Alii affirmant, ut Suar. Pont. Sot. Concina Gonet et alii, quibus favet s. Thomas (3), qui dicit : *Aut* (conditio) *est contingens, ut acceptatio parentum, et tunc...non facit matrimonium.* Ratio hujus sententiæ est, quia matrimonium non solum est contractus, sed etiam est Sacramentum, cujus valor non potest pendere ab effectu futuro. Alii tamen negant, ut Laym. Bonac. Cast. Salm. Ronc. Salmant. Coninc. etc. quia matrimonium, licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractus, et ad hujus rationis normam ejus valor dirigitur. Hæc secunda sententia videtur probabilior, sed quia prima est etiam fundata in praxi, expedit eam sequi. Et idem dicendum in casu quo sponsi aliquo impedimento præpediantur, et ipsi contraxissent sub conditione. *Si obtinebitur dispensatio* ; et hoc ita declaratum fuit a sacra Congreg. (4). Advertendum hic tamen, quod conditio suspendit matrimonium, quod non suspendit demonstratio, aut causa, aut modus appositus. *Demonstratio* est cum dicitur : *Duco te quæ es virgo nobilis.* etc ; *causa* cum dicit : *Duco te, quia es virgo* ; modus est cum dicit : *Duco te ut mihi in ancillam famuleris.* Et hic modus non suspendit, licet sit de modo impossibili aut turpi ; ita Sanch. Salm. et Viva, quia consensus non dependet a modo, uti dependet a conditione. Addit P. Viva cum Castrop. licet modus sit contra substantiam matrimonii, v. g. *Te duco ut adulteres, etc.* Sed probabilius contradicunt Sanch. et Salm. quia revera non videtur habere animum contrahendi, qui habet intentionem omnino oppositam contractui (5). Si vero apponitur dies, v. g. *Te duco post* 10. *dies,* probabi-

(1) L. 6. n. 886. — (2) N. 890. et 891. (3) Suppl. q. 47. a. 5. — (4) Vide p. Zacch. Advot. ad Croix l. 6. p. 3. n. 83. — (5) L. 6. n. 896.

lius et communius dicunt Viva Coninch). Perez Salmant. etc. (contra Sanch.) quod intelligitur suspensus consensus, usque ad terminum appositum (1).

PUNCTUM II.

DE USU LICITO MATRIMONII.

35. *Usus conjugii est illicitus. I. Si Matrimonium est nullum. II. Si est dubium: an liceat contrahere cum dubio impedimenti.*
36. *An liceat petere, aut reddere urgente dubio.*
37. *Quid si nuptiæ fuerint contractæ cum dubio, etc.*
38. *III. Si adsit periculum sanitatis.*
39. *IV. Si ob solam voluptatem, etc. V. Si mente adultera, etc. VI. Si modo indebito.*
40. *Si conjux se retrahat a seminatione.*
41. *VII. Si in loco indebito. VIII. Si tempore indebito, scilicet prægnationis. Si conjux sit impeditus ob votum, aut incestum.*
42. *An tactus, et delectationes morosæ conjugibus permittantur.*

35. Usus matrimonii per se loquendo licitus est, sed ob plures causas quandoque fit illicitus, et I. Si matrimonium est certe nullum, quo casu nunquam licet parti id scienti nec petere, nec reddere debitum alteri ignoranti (2). II. Si matrimonium est dubium. Sed hic dubitatur 1. an liceat inire matrimonium cum dubio impedimenti? Communiter docent dd. Sanch. Suar. Castr. Carden. Croix Bos. Holzm. Viva etc. quod post adhibitam diligentiam, licet contrahere matrimonium cum opinione probabili de carentia impedimenti. Nec obstat quod in confectione Sacramentorum non est licitum uti opinione probabili: nam in Sacramento matrimonii, ut diximus *Tract.* 1. *n.* 27. et tradunt aa. communiter, stante opinione probabili, ex inveterata consuetudine censetur Ecclesia dispensare in impedimento, si forte adsit (3). Attamen notandum 1. quod id currit si opinio est probabilis de jure (nempe ex auctoritate dd.) non autem tantum de facto, ut dicunt Card. Viva Croix Aversa etc. contra Bon. et Tamb., quia probabilitas facti non constituit veram probabilitatem, sed tantum conjecturam, qua non licet uti ad contrahendum matrimonium; nisi pro carentia impedimenti talis forte urgeret præsumptio, quæ certitudinem quamdam moralem exhiberet (4). Notandum 2. id procedere tantum in impedimentis de jure ecclesiastico, non autem in aliis de jure naturali, in quibus Ecclesia nequit dispensare; unde si dubium sit de morte prioris conjugis, illicitum est novum inire conjugium, nisi de illius morte certe moraliter constet, ut habetur ex *c. Dominus de secund. nupt.* Tantum excipitur aliquis rarissimus casus in quo Pontifex, tanquam divinæ legis interpres, ob urgentissimam causam declaret matrimonium, non obstante tali dubio, posse contrahi; prout refert Cardenas Urbanum VIII. in quodam casu declarasse (5). At autem in impedimentis de jure ecclesiastico, quando dubia sunt, possit Episcopus dispensare? Plures graves dd. communissime, et probabiliter id admittunt, Castr. Cabass. Barb. Ronc. Holzm. Bon. Salm. et Elb. juxta dicenda *Tract.* 20 *de Privil. num* 57. (6).

36. Dubitatur 2. quandonam, inito jam matrimonio, et urgente dubio de ipsius valore, liceat petere, aut reddere? Manente dubio, conjux dubitans ne potest quidem petere ante diligentiam adhibitam ad dubium vincendum; sed tenetur reddere alteri petenti in bona fide, ut patet ex *cit. cap. Dominus de secund. nup.* (7). Ratio, quia alter adhuc possidet jus petendi: intellige vero post bimestre ab inito conjugio, et modo ipse non sit a petendo impeditus ob incestus, vel adulterii crimen (8). Diximus *ante diligentiam*, quia si dubitans contraxit in bona fide, et post diligentiam

(1) Ib. v. utrum. — (2) N. 900. — (3) 901. (4) N. 992 qu. 3. — (5) Ib. qu. 2. — (6) Ib. v. cæterum. — (7) L. 6. n. 903. — (8) N. 905. in fin.

non potuit dubium vincere probabilissimum et communissimum est posse etiam petere, ob possessionem petendi jam acquisitam, Sotus Wigandt, Hab. Castrop. Suarez Lug. Less. Laym. Ronc. Sanch. Salm. etc. (contra Navar. et Conc.). Quapropter tradunt Sanch. Anacl. Carden. Henriq. et alii, quod conjux ille post diligentiam licite potest petere, semper ac certus non sit de impedimento, non obstante quacumque probabilitate in contrarium (1).

37. Dubitatur 3. quid si matrimonium sit contractum cum dubia fide, an tunc conjux dubitans possit post diligentiam adhibitam petere, adhuc dubio perseverante? Alii negant, quia non licet uti re quæ incœpta est possideri cum dubia fide; et hæc sententia est quidem communior cum Sanch. Castr. Salm. Ronc. etc. Attamen Holzm. et Elbel non improbabiliter id affirmant, quia tametsi dubitans nequeat deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen ex alio principio, nempe quod in dubio standum est pro valore actus, præsertim matrimonii, in cujus favorem in foro tam externo, quam interno semper in dubio judicandum. Excipitur tamen casus, quo dubium adsit de morte prioris conjugis, ut vidimus ex *cit. cap. Dominus*. Dico *dubium*, nam si habeatur firma probabilitas de valore matrimonii, tunc communiter docent dd. Sanch. Bon. Boss. Ronc. Salm. Spor. Croix etc., tali dubitanti licitum esse post diligentiam non solum reddere, sed etiam petere, cum textus præfatus in casu dubii, non autem probabilitatis, loquatur; et cum probabiliter dubitatur de vita prioris conjugis, probabiliter dubitatur etiam de ipsius conjugis possessione (2). Quando autem debeat quis vel non dubitare de valore matrimonii: tres dantur regulæ: Prima, quod conjux ordinarie loquendo non tenetur credere alteri asserenti ficte consensisse, licet asserat cum juramento; Bonac. Sanch. Sotus Salm. etc. ex *c. Cum a nobis, de Testib.* Secunda, quod si quis audiat adesse impedimentum a personis non fide dignis, vel ex fama a nullo auctore certo exorta, nec teneatur credere. Tertia, quod si audiat a fide digno, aut per famam ex certo auctore, teneatur veritatem inquirere, et interim abstinere a nuptiis, aut a petendo; sed tenetur reddere, si unus tantum adsit testis, ut Nav. Silv. Salm. etc. (3). Cæterum in dubio semper judicandum pro matrimonio; Sanch. Pontius et alii communiter (4).

38. 3. Non est licitus usus matrimonii, si adsit grave periculum sanitatis, nec obsit periculum incontinentiæ. Probabiliter autem licet, si morbus sit diuturnus, ut lepra, phthisis, morbus gallicus et similia; modo non sit talis, ut proxime tendat ad mortem; et modo adsit aliqua juxta causa; ita Sanch. Cajet. Pont. Laym. Boss. Bus. Bonac. etc. Cæterum talimorbo laborans tenetur illum manifestare alteri nescienti, si petat, et etiamsi velit reddere; nam si nolit, potest licite debitum negare, cum non teneatur morbum suum (v. gr. gallicum) cum sua infamia patefacere, ut Tamb. cum Soto (5). Non licet petere statim a balneo, vel a sectione venæ, aut cum febri; Sanchez Bonac. Boss. etc. Licet vero petere ab uxore quæ laborat seminis fluxu, seu gonorrhæa, si fluxus sit perpetuus; secus si sit maleficus, et non adsit in alterutro proximum periculum incontinentiæ (6). Coitus post prandium probabiliter non affert grave damnum; quapropter tunc uxor non excusatur a reddendo, dum tenetur reddere etiam cum modico incommodo (7). An autem licitus sit usus tempore lactationis? Negat Pontius, si prudens sit timor de gravi nocumento prolis; sed admittit Sanchez (8). An tempore menstrui? Li-

(1) N. 906. et 907. — (2) L. 6. n. 906. (3) N. 908. — (4) N. 907. — (5) N. 909. — (6) Num. 940. — (7) L. 6. n. 940. v. videtur. — (8) N. 944.

cet, si menstruus sit extraordinarius et diuturnus ; non vero si naturalis ; sed tunc probabilius non erit nisi venialiter illicitus. ut communissime s. Antonin. Nav. Conc. Pont. Sanch. Et idem dicitur de usu in purgatione puerperæ ; modo non fiat eadem die, vel sequenti partus (1).

39. 4. Usus est illicitus, (sed non plus quam venialiter) si adhibeatur ob solam voluptatem, nisi voluptas intendatur ad bonum generationis, vel ut reddatur vir aptus ad reddendum ut recte aiunt Croix et Viva (2). 5. si exerceatur mente adultera. Se excitare ad usum respiciendo ad imagines sacras, gravis esset irreverentia. Periculosum autem se delectando de pulchritudine alterius personæ, et maxime de coitu alieno inter quasdam cognitas personas (3). 6. Si fiat modo indebito, nempe extra vas naturale, quod sine dubio erit mortale, et gravius si in vase præpostero, etiamsi ibi tantum copula inchoetur, ut verius dicendum cum Sanch. Pont. Castropal. Bonac. Tamb. Sporer. Boss. et communi, contra Nav. et Ang. (4). Vel si fiat in vase naturali, sed indebito modo, sive situ, prout stando, sedendo, vel more pecudum, aut viro succumbente. Hoc tamen est tantum veniale juxta communem dd. sententiam, s. Antonini Navar. Petrocor. Alb. M. Gers. Cajet. Soti Castrop. Sanch. Tol. Ronc. Salm. Croix etc. ex d. Thoma quia mutatio situs minime impedit generationem, dum matrix fœminæ ex se attrahit semen viri. Addunt que aa. citati cum Concina id nullum esse peccatum, si fiat ex aliqua justa causa (5). An autem sit mortale mutare situm, si propter id casu aliquid seminis effunditur? affirmant Salmant., sed communius negant Sanch. Pont. Castropal. Boss. Perez Hurtad. et Aversa (6).

40. Hic autem dubitatur 1. an peccent graviter conjuges, si incœpta copula se retrahunt a seminatione? Negant communiter Sanch. s. Antonin. Laym. Pont. Cajet. Less. Salm. etc. si hoc fiat ex consensu, et sine effundendi seminis periculo, quod tamen, ut ait Sanchez ordinarie adest (7). Si autem uxor jam seminarit, vel proxima sit ad seminandum, graviter quidem peccat vir se retrahens, nisi forte faciat ad vitandam mortem, aut scandalum aliorum; iidem aa. etiam communiter (8). Si tamen contravir seminavit, alii ut Sanch. Pont. Salm. etc. excusant, a mortali uxorem, si se retrahat. Alii vero, ut d. Bonav. Cajet. Abul. Major. Aversa Hurtad. etc. non excusant, dicentes cum Suarez semen mulieris simpliciter esse necessarium ad generationem ; et quoniam horum opinio satis videtur probabilis, hæc sequenda est, cum non liceat sequi oppositam cum probabili damno prolis, sive generationis (9). Dubitatur 2. an viro se retrahente, liceat uxori statim post seminationem viri tactibus se excitare, ut seminet ? Negant Diana et Rodriquez. Sed communissime affirmant Wigandt Less. Sanchez Bonac. Fill. Salm. Sporer Boss. Elbel et alii plures, nec reprobat p. Concina; idque ob eamdem rationem mox supra allatam, quia semen mulieris est necessarium, vel saltem valde confert ad generationem ; nihil enim *in* natura frustraneum (10).

41. 7. Si usus habeatur in loco indebito, puta publico vel sacro. An autem copula conjugalis etiam occulta vetita sit in ecclesia ? Vide dicta *Tr.* 9. *de sexto Præcepto Decalogi n.* 21. 8. Si habeatur tempore indebito. Plura hic notanda : 1. Petere ante Communionem est veniale (nisi petatur ad incontinentiam vitandam); nullum vero peccatum reddere, aut petere post Communionem; vide dicta *Tr.* 15. *n.* 57. Pariter nequaquam peccant conjuges, ut communiter dd.

(1) N. 925. — (2) N. 912. — (3) N. 913 et 914. — (4) N. 915. et 916. (5) N. 717. — (6) Ib. v. dicunt. (7) N. 918. — (8) Ib. v. si vero. — (9) Ib. v. si autem. — (10) Num. 919.

dicunt, si reddant in diebus festivis ; et etiam si petant, communius docent s. Bonav. Sotus Cajetan. Pont. Sanchez Azor. Castrop. Bonac. Salmant. Valent. Conin. etc., quia nullo jure id vetatur, et si aliquis ss. Patrum videtur id vetare, eloquitur de consilio, non de præcepto, ut probat Sanchez (1). Saltem, ut ait Benedict. XIV. *de Synodo, l.* 5. *c.* 1. *n.* 8. si olim id erat de præcepto, nunc certe non est nisi de consilio. 2. Tempore prægnationis usus, ut communiter docetur, non est nisi veniale (modo absit abortus periculum, quod ordinarie non adest, et nullum si periculum adsit incontinentiæ, vel alia justa causa (2). 3. Conjux prohibitus a petendo ob votum, aut impedimentum affinitatis post matrimonium ab eo contractum, potest, imo tenetur reddere, si alter sit in periculo incontinentiæ, vel si interpretative petat, nempe quando *mulier* (ait d. Thomas) *verecunda est* (particulari modo quam aliæ mulieres), *et vir sentit ejus voluntatem de debiti redditione* ; et ita communiter alii. Præterea, si ipse impeditus (intellige ratione affinitatis tantum, non autem voti) sit in proximo periculo incontinentiæ, et periculum sit in mora, potest etiam petere ; ita Viguer. et Quintanad. Et quidem probabiliter si dispensatio brevi obtineri nequeat (3). 4. Certe licet conjugi petere ab altero excommunicato ; et juxta veriorem sententiam id licet etiam excommunicato, si existat in periculo incontinentiæ; ita Suar. Bon. Sanch. Boss. etc. communiter (4).

42. Quæres hic, an tactus, delectationes morosæ conjugibus permittantur. Resp. 1. Tactus etiam impudici, si ad copulam ordinantur, sine dubio conjugibus permittuntur ; si vero non ordinantur, ut communiter et verius docent Sotus Cajet. Tolet. Vasq. Less. Laym. Sanch. Castrop. Abul. Armil. Bon. Salm. Conc. Sa etc. (contra quosdam) sunt tantum veniales, quia status conjugalis excusat eos a mortali (5). Excipe nisi conjux petens sit ligatus voto castitatis ; vel nisi prævideatur pollutio (quamvis involuntaria) in se, vel in altero, ut aiunt Sotus Castr. Cajet. Boss. Salm. etc. Tunc tantum autem poterit petens excusari, si tactum impudicum habeat, ut se aptet ad copulam, secluso periculo consensus in pollutionem; ita Sanch. Filiuc. Sporer Escob. Elbel etc. Et si periculum proximum pollutionis sit ex tactu pudico, tactus neque potest adhiberi, etiam secluso periculo consensus, nisi fiat ex gravi causa, puta ad fovendum mutuum amorem, etc. Hoc de petente ; sed reddens in hujusmodi tactibus videtur semper excusari, cum alter habeat jus ad illos, nisi adeo sint impudici, ut videantur quasi inchoata pollutio (6) ; vide dicenda in *puncto seq. n.* 48. Resp. 2. Probabilius peccat graviter conjux seipsum turpiter tangens ob delectationem, tum propter periculum pollutionis, tum quia conjuges nullum habent jus ad seipsos tangendos, nisi tantum ad se aptandos ad copulam, ita Laym. Diana Spor. Salm. etc. contra Sanch. Castrop. Boss. etc. (7). Resp. 3. Quoad delectationes, hortandi sunt conjuges, ut abstineant a delectatione morosa de copula habita vel habenda, si alter absit ; sed non damnandi de mortali, ut communius dicunt Sanch. s. Antonin. Bonacin. Suar. Gers. Cajet. Filiuc. Croix etc. cum d. Thoma (8). Excipe nisi delectatio habeatur cum aliqua, non solum carnali, sed etiam venerea voluptate (9).

(1) L. 6. n. 923. — (2) N. 924. — (3) N. 930. — (4) N. 931. (5) N. 933. — (6) N. 934. (7) N. 936. — (8) De malo q. 15. a. 2. ad 17. — (9) L. 6. n 937.

PUNCTUM III.

DE USU PRÆCEPTO MATRIMONII.

43. *Quando conjux teneatur petere.*
44. *Si neget semel aut bis.*
45. *Si plures nascuntur filii.*

46. *Si alter petat in mortali.*
47. *Si velit vir seminare extra vas.*
48. *Si petat cum veniali.*
49. *Si petat amens, vel ebrius. De impedimento petendi ob incestum. Si immineat damnum sanitatis, aut prolis.*
50. *Si conjux cohibeat seminationem. Si uxor surgit, aut mingit. An puella oppressa possit semen expellere. Si senex sæpe effundit extra vas.*
51. *De cohabitatione, et de alimentis uxori debitis.*

43. Distinguere hic oportet petitionem a redditione. In quantum ad petitionem spectat, per se loquendo, neuter conjugum tenetur petere, nisi prævideat in se, vel in altero periculum incontinentiæ. Sufficit tamen ut uxor tacite petat, ut vir teneatur ad eam accedere, ita omnes cum d. Thoma (1) qui ait : *Quando vir percipit per aliqua signa, quod vellet debitum, tenetur reddere.* Contra vero dicunt Sanch. Sot. etc. ex eod. d. Thoma, uxorem non teneri copulam præstare, nisi vir expresse petat. Excipe 1. cum Sanchez s. Antonin. Nav. etc., si potius erubescentia esset ex parte viri, puta si mulier esset feræ conditionis, vel magnæ auctoritatis (2). Excipe 2. si vir esset in periculo incontinentiæ, ut diximus ; sed quia tunc probabilius, juxta Sanchez Coninch. Palud. etc., ex sola charitate uxor petere teneretur, facile posset excusari, si in petendo maguam pateretur verecundiam (3).

44. In quantum autem ad redditionem, conjux negans alteri debitum ordinarie graviter peccat. Sed dubitatur 1. an sit mortale, semel vel bis debitum negare ? Si alter remisse petat, vel facile cedat precibus negantis, ex communi sententia non est mortale (et ne veniale quidem, si adsit causa), nisi alter sit in periculo incontinentiæ, nec contra adsit gravis causa negandi. Si tamen ille serio et instanter petat, Castr. Tam. Boss. Croix etc. putant gravem esse materiam, nisi petat immoderate, puta quater in eadem nocte. Alii vero levem, ut Pont. Sanchez Sa Bonac. Hurtad. Ledesm. etc. et non videtur omnino improbabile, si alter non sit in periculo incontinentiæ Sic etiam Pontius Sanch. et alii communissime excusant a mortali conjugem qui differt reddere a die ad noctem, vel a nocte ad mane (4).

45. Dubitatur 2. an sit causa justa negandi debitum, si plures nascantur filii quam ali possint ? Alii negant, Laym. Ronc. et Spor., quia procreatio prolis spectat ad præcipuum finem conjugii ; affirmant vero Sanchez Pontius Bonac. Boss. etc., quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Excipiunt tamen nisi in petente sit periculum incontinentiæ ; hinc quia periculum hoc vix poterit abesse ; primæ sententiæ magis puto adhærendum (5).

46. Dubitatur 3. an conjux teneatur, aut possit reddere alteri petenti cum peccato gravi. Hic distinguendum : Si culpa se tenet ex parte actus, puta si vir petat in loco sacro, vel cum periculo abortus, scandali, aut sanitatis alterutrius, tenetur uxor negare sub gravi ; tunc enim vir non habet jus ad petendum ; ita communiter Sanch. Pont. Conc. Bonac. Salmant. etc. cum d. Thoma (6). Si vero culpa se tenet ex parte petentis, puta si habeat votum, aut petat ob pravum finem, prima sententia cum Pont. La-Croix et aliis paucis tenet non licere ei reddere, nisi sit in potestate petenti se a culpa eximere, puta si peteret ob voluptatem aut alium malum finem ; sed communis et probabilior sententia cum Suarez Lugo Tourn. Conc. Laym. Bonacina Salm. Castr. etc., docet posse et teneri ad reddendum, quia vovens retinet jus ad petendum (7). Tenetur tamen reddens, ut advertunt Sanch. Boss. Coninch. etc., ex charitate al-

(1) Suppl. q. 64. a. 2. (2) L. 6. n. 928. — (3) N. 929. (4) N. 940. — (5) N. 941. — (6) N. 943. v. certum. — (7) L. 6. n. 944.

terum monere ut desistat ; at si desistere nolit, expedit ut ipse petitionem anticipet ; sed merito ait Salm. uxores ad id raro teneri (1). Si vero petat conjux incestuosus qui jam privatus est jure petendi, alter non tenetur quidem, sed bene potest ei reddere, cum ipsi semper competat jus tam petendi quam reddendi : ita Sanch. Castrop. Bonac. Laym. s. Anton. Salm. etc. (2).

47. Dubitatur 4. an liceat uxori petere vel reddere viro volenti seminare extra vas post copulam incœptam ? Alii negant, quia tenetur impedire peccatum viri ; alii affirmant, quia ipsa dat operam rei licitæ. Sed puto distinguendum inter petitionem, et redditionem : In reddendo, etsi probabile est cum Ronc. et Elbel, quod uxor possit negare debitum, et etiam teneatur, si potest sine suo gravi incommodo juxta primam sententiam ; quia vir, cum sit abusurus re debita, non habet jus ad illam ; tamen probabilius est cum Sanch., quod post monitionem teneatur reddere, cum culpa se teneat non ex parte actus, sed personæ, ut supra mox diximus. In petendo vero diximus cum Ronc. et Elbel, uxorem non posse petere ab hujusmodi viro, quia tenetur ex charitate illius peccatum impedire. Excipe nisi gravem haberet causam petendi, nempe si esset in periculo incontinentiæ, vel si alioquin perpetuo abstinere deberet a suo jure petendi, charitas enim cum tanto onere non obligat ; unde non videtur teneri ad abstinendum, nisi per paucas vices (3) ; vide dicta in simili casu *Tr. 4. n. 28. in fine.*

48. Dubitatur 5. an conjux teneatur reddere petenti cum culpa veniali ? Alii affirmant, alii negant ; sed pariter ut supra distinguendum puto : Si copula est illicita ex parte petentis, nempe si petat ob voluptatem, vel mane ante communionem, tenetur alter reddere ; si vero ex parte actus, puta si petit situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, etc., tunc alter potest quidem reddere, si aliqua adsit causa v. g. ne incurrat illius indignationem ; non tamen tenetur, nisi petens justam habeat causam petendi tali modo, aut tempore (4).

49. Deinde plura hic sunt notanda. Notandum 1. quod juxta communissimam sententiam non est obligatio reddendi debitum amentibus, vel ebriis, cum hi sint incapaces jure dominii, excipe nisi sint in periculo prodigendi semen, vel si non sint universe amentes, aut omnino ebrii ; ita probabilius Sanch. Castropal. Bonac. Conc. Layman Soto Croix Busemb. Con., etc. contra Navarr. et Sylv. Cæterum communiter admittitur posse istis reddi, si absit periculum scandali, aut abortus, puta cum uxor esset furiosa (5). Notandum 2. quod si vir rem habuit cum consanguinea alterius in primo vel secundo gradu, tenetur reddere, sed amittit ipse jus petendi ex *cap. Si quis* 1. *De eo qui cognov.*, etc. et sic contra (6). Ut autem quis contrahat hoc impedimentum petendi, requiritur ut sciat legem, non tantum divinam sed etiam ecclesiasticam vetantem incestum : et probabiliter, ut sciat etiam hujusmodi pœnam, ut dicunt Bon. Wigandt Castrop. Boss. Elbel Sanch. Laym., etc. (7) Notandum 3. quod si conjux timeat damnum tantum leve sanitatis ex redditione, tenetur reddere ; et hoc est certum apud omnes. Si vero timet grave damnum, nec tenetur, nec potest, nisi ipse vel petens sit in proximo periculo incontinentiæ ; aut nisi alias magna formidet dissidia, modo morbus quo inficiari veretur, non sit proxime tendens ad mortem ; ita Pontius Sanch. Laym. et alii passim. Dixi *potest*, sed non tenetur, quia charitas eo casu excusat si reddat, sed non obligat (8). Solum autem periculum prolis nascituræ, nempe

(1) Ib. v. bene autem. — (2) N. 945. — (3) N. 947. (4) N. 946. — (5) N. 948. — (6) N. 949 et 1070. — (7) N. 1074. — (8) L. 6. n. 950.

quod ex tali coitu defectuosa nascatur, non excusat ab obligatione reddendi, ut verius docet d. Thomas (1) cum aliis, quia (ut ait) *melius est proli sic esse, quam penitus non esse* (2). Notandum 4. quod non tenetur conjux reddere, si laborat febri : Bon. Sanch. Per. Bus., etc. (3). Neque uxor, si experta sit non posse parere sine mortis periculo, ut communiter docetur (4). An autem possit reddere, si experta sit filios parere mortuos? Affirmat. Layman ; sed communius negant Bonac. Bossius Rodriq. Victor, etc., nisi adsit periculum incontinentiæ, ut addunt Bonac. et Sanchez ; quod periculum (ait Sanchez) maxime aderit, si ob hanc causam perpetuo deberent abstinere conjuges ab usu matrimonii (5).

50. Notandum 4. peccare mortaliter conjugem, si cohibeat seminationem, altero seminante : vel si post suam seminationem se retrahat, antequam alter seminet, quia hoc modo impeditur generatio. Tantum poterit permitti copulam interrumpere, cum immineat scandalum aliorum, aut mortis periculum (6); vide dicta *n.* 40. Sic pariter peccat uxor, si statim post copulam surgit aut mingit, animo impediendi generationem, nisi hoc faciat ut supra ad scandalum, aut mortem vitandam. Dixi *statim*, quia non tenetur diu immota manere; ita Sanch. Pont. Salm. Bonac. Boss., etc. contra Tambur. (7). Puella autem oppressa extra matrimonium non potest sine peccato semen viri expellere, postquam illud jam recepit in matricem; tantum ipsa poterit impedire ne immittatur, ut rectius Pontius Tamb. Escob. et Leandr. (contra Sanch. et Boss.), quia nunquam potest semen receptum in matricem ejici sine injuria generationi humanæ (8). An autem liceat viro copulari, si ob senectutem, aut aliam infirmitatem sæpe extra vas semen effundat? Licet, ut dicunt communissime Sanch. Laym. Bonac, Bossius La-Croix, etc. semper ac adest probabilis spes effundendi intra, quia tunc adhuc possidet jus ad copulam (9).

51. Notandum 6. quod conjuges ratione debiti reddendi tenentur cohabitare, non solum quoad domum, sed etiam quoad torum; nisi separentur ex consensu, absitque tunc periculum incontinentiæ, et damnum educationis. Vir autem licite potest suscipere aliquam brevem peregrinationem ex causa devotionis, vel alia honesta, etiam invita uxore : sed non uxor, invito viro. Potest imo vir etiam diu abesse, si id oporteat ad bonum publicum, vel familiæ : ita communiter Sanch. Castr. Bos. Laym. etc. Dicit autem Boss. cum Tolet. Sayro, quod vir tenetur tunc secum ducere uxorem, si commode possit (10). Quando vero uxor teneatur sequi virum, et vir eam ducere, vide dicta *de quarto præcepto Decalogi Tr. 7. n. 13.* Notandum 7. quod ob dotem non solutam nequit vir negare debitum, aut cohabitationem; sed non tenetur uxorem alere, si dos non solvatur culpa promittentis (et idem currit si uxor renuat cohabitare), nisi nulla extiterit promissio facta dotis; vel nisi uxor non habeat unde ali, et sine sua culpa dos non solvatur, aut nisi omittat cohabitare absque sua culpa (11). Casu vero quo vir deprehenderit uxorem fuisse adulteratam, bene poterit ei alimenta denegare, modo negare possit sine illius infamia, puta si crimen jam est notorium; ita communius et probabilius Sanch. Soto Salm. Trull.; etc. Idem dicunt Salm. cum aliis, si uxor admiserit oscula ab alio notoria, et etiam occulta, si fuerint nimis lasciva, vel si ipsa sit nobilis (12).

(1) In 4. d. 32. q. un. a. 1. ad 4. — (2) L. 6. 1. 951. — (3) N. 952. — (4) 953 — (5) Ibid. — (6) N. 948 et 954. — (7) Ib. v dicunt. — (8) Ib. dub. aut. hic.

(9) Ib. dubit. 2. — (10) N. 939. — (11) Ib. dubit. 1. et 2. (12) L. 6. n. 939. dubit. 3.

PUNCTUM IV.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

52. *Quænam sint impedimenta.*
53. *I. Vetitum. II. Tempus feriarum. An tempore feriarum vetetur consummatio. De benedictione sacerdotis. III. Catechismus. IV. Crimen. V. Sponsalia.*
54. *VI. Votum. An Episcopus possit dispensare a voto castitatis.*
55. *De clandestinitate, et proclamationibus.*
56. *De obligatione denuntiandi impedimenta, et quando denuntiatio impedit.*
57. *An sufficiat fama. Si sponsi interrogati, etc. Si parochus sciat impedimentum.*
58. *Quandonam Episcopus possit et debeat dispensare a Proclamationibus.*
59. *An possit vicarius, aut parochus dispensare aut declarare.*

52. Duo sunt impedimentorum matrimonii genera : altera impedientia, nempe quæ reddunt illud illicitum, aut impediunt illius usum : altera dirimentia, quæ illud reddunt omnino nullum: et est certum, imo de Fide est utraque impedimenta posse ab Ecclesia constitui, prout declaravit Trident. *sess.* 24 *can.* 4. quia licet Ecclesia non possit irrita reddere Sacramenta, cum debita existunt requisita, nihilominus quia Sacramentum matrimonii subsistit in contractu, ideoque bene potest Ecclesia, justis existentibus causis, invalidare contractum; et cum desit contractus, nec Sacramentum adesse potest (1). In *punct. sequenti* loquemur de impedimentis dirimentibus, in hoc agemus de impedientibus dumtaxat. Præter peccatum mortale, et excommunicationem, quæ reddunt matrimonium illicitum, adsunt sex alia impedimenta, quæ his comprehenduntur versibus :

53. I. *Ecclesiæ vetitum,* II. *nec non tempus feriarum,*
III. *Atque Catechismus,* IV. *Crimen,* V. *Sponsalia,* VI. *Votum.*

(1) N. 979.

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

1. *Vetitum* : nempe Episcopi, aut parochi prohibitio, ob dubium, an forte adsit impedimentum, aut inhabilitas ad contrahendum (2). II *Tempus feriarum* : feriæ sunt ab Adventu ad Epiphaniam, et a die Cinerum ad octavam Paschæ. Sed hic advertendum, quod tali bus temporibus vetatur benedicere nuptiis, instruere convivia solemniora, non quidem matrimonium contrahere, nec sponsam in domum conducere, si hoc fiat sine solemnitate ; nec prohibitum est matrimonium consummare, ut recte dicunt Bellarm. Sanc. Pont., et fuse id confirmat Lambertini, qui postea Benedictus XIV. (3), cum Pignatell. Fill. Croix, etc. ac cum Declarat. S. C. dicens Canones allatos a canonistis esse de consilio non de præcepto (4). Et licet dicant aliqui peccari (sed tantum venialiter, ut communiter dicunt Sanch. Boss. Sot. Sa Escob. etc. (5) contra Concinam, qui contendit esse mortale) omnino omittere benedictionem quæ datur a parocho, aut a sacerdote de ejus licentia in missa pro hac re peculiariter designata pro primis nuptiis, nam secundæ non benedicuntur, ut præcepit Benedict. XIV. in Bulla *Etsi pastoralis*, §. 8. *n.* 4. edita 26 mai 1742.; nihilominus communius et probabilius dicunt Navar. Pont. Laym. Sanch. Bellarm. Castr. Salm Viva, etc. cum Lambert. loco cit. matrimonium consummare ante benedictionem omni culpa vacare, et probatur ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. et ex Rituali, ubi hoc non solum insinuatur, sed etiam præcipitur, et clarius ex *can. Nostrates,* 30. *qu.* 5. ubi dicitur *: Sicque demum benedictionem, et velamen cœleste suscipiunt ; peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus* (6) 3. *Catechis-*

(2) N. 982. — (3) Notif. 89. n. 17. — (4) L. 6. n. 984. — (5) N. 988. v. secun. — (6) L. 6. n. 984. dubit. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mus : quid catechismi nomine veniat, alii dicunt esse Fidei professionem, quæ nomine baptizandi fit; alii aliter explicant. Cæterum hoc impedimentum cessavit per Tridentinum, ut dicunt Sanch. Coninch. Castrop. Salm., etc. cum quadam Declaratione S. C. (1). 4. *Crimen* : sub hoc nomine olim comprehendebantur quædam delicta, nempe incestus cum propria matre, raptus alienæ sponsæ, etc. ; sed hoc impedimentum etiam desuetudine exolevit (2). 5. *Sponsalia*, nempe sponsalia cum alia persona inita, sed non dissoluta, de quibus jam *puncto antecedenti* sermo factus est.

54. 6. *Votum* : nempe simplex castitatis, aut religionis, aut non nubendi. Hic notandum est quod Episcopus ante nuptias contrahendas non potest dispensare in voto castitatis (cum votum est absolutum ; secus si est pœnale aut conditionatum, juxta dicta *Tr.* 5. *n.* 49) ; excepto, si non dispensaretur, adesset periculum incontinentiæ, aut alterius damni gravis ob moram, nec posset citius adiri Papam, ut dicunt communiter Sanch. Suar. Less. Nav. Sot. Silv. Salm. etc. (3); reservationes etiam ad ædificationem, non ad destructionem instituæ sunt. Initis autem nuptiis, bene potest dispensare Episcopus (et ut dicunt Salm. etiam Vicarius generalis ex concessione generali, quæ ei collata est omnium casuum episcopalium) in voto castitatis post matrimonium edito, aut etiam ante illud, ut communius et probabilius dicunt Sotus Sanch. s. Anton. Conc. Nav. etc. ex s. Thoma (4). Et eadem facultate fruuntur etiam Mendicantes ut communiter dicunt Castrop. Wigandt Sanch. Suar. Tourn. Salmant. etc., vigore suorum privilegiorum (5). Votum tamen castitatis a conjugibus emissum communi consensu solus Pontifex potest dispensare, ut dicunt cum communiori Sanch. Spor. Anacl. etc. apud Ferraris (6). Cæterum Episcopus, exceptis voto castitatis, et sponsalibus cum alia persona initis, potest dispensare in omnibus impedimentis impedientibus, et in omnibus aliis, quæ post matrimonium suboriuntur ; Castrop. Bon. Salm. Croix, etc. (7).

55. Præter allata adest impedimentum clandestinitatis, nempe cum matrimonium fit prætermissis tribus proclamationibus præscriptis a Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* Hæc ut fiant modo debito, oportet, 1. ut fiant a proprio parocho, aut ab alio sacerdote de ejus licentia. 2. Ut fiant in ecclesia populo ad Divina congregato, ut præscribit Tridentinum ; licet probabiliter dicant Sanch. Barbosa et Ronc. posse eas fieri etiam tempore concionis, aut processionis ; imo admittunt etiam Wigandt, Sanchez Layman Barbosa Boss. Escob. Fill. etc. (contra Pont. et alios) extra ecclesiam in loco magni concursus, quia sic jam finis Concilii obtinetur (8). 3. Ut fiant in loco originis, ut pluries declaravit S. C. (9). Unde si sponsi sunt diversarum parochiarum, oportet ut in utraque ecclesia fiant proclamationes ; nisi esset (ut dicunt Laym. Boss. Salm. etc.) quod parochiæ essent inter se valde propinquæ. Et in casu quo alter sponsorum per breve tempus actualiter alibi moraretur, non satis est, quod ibi fiant proclamationes, sed oportet ut illæ fiant ibi etiam unde profectus est, ut valde probabilius dicunt (contra Pontium) Sanch. Coninch. Barbos. Ronc. etc. cum Declarat. S. C. Præterea notandum hic, quod si alter sponsorum est externus, parochus non debet ad proclamationes procedere, nisi prius coram Ordinario fide authentica de ejus statu libero constiterit, ut habetur ex instructione S. C. (1). 4. Tres præfatæ proclamationes debent fieri tribus diebus festis continuis, ut dicit Trid. *sess.* 24., *cap.* 1., non autem immediatis, ut dicunt Sanch. Ronc. Pont. etc. ; licet etiam probabiliter teneant Trull. Salm. Hurtad. Regin. etc. nihil obstare esse immediatos, dum Concilium aliud non præscribit, quam *tribus diebus festivis*, et non addit ne sint immediati. Permittit etiam Salm. cum Aver. et aliis posse fieri proclamationes tribus diebus festivis non continuis, modo non intercedant plures dies festivi ; sed hoc recte Sanch. Castrop. Bonac. Escob. etc. non excusant saltem a culpa veniali (2). Hic advertendum quod si, factis proclamationibus, matrimonium non celebratur intra duos menses, præcipit Rituale (*tit. de Sacr. matr.*) ut illæ denuo fiant, modo aliud Episcopo non videatur.

56. Itaque proclamationibus jam absolutis, quæritur an quilibet impedimenti conscius, teneatur ad illud denuntiandum, licet illud non posset probare ? Negant Pont. Diana etc. ; sed sententia verior, et communissima affirmat cum Sanch. Castrop. Coninc. Escob. Laym. Bon. Barb. etc., et ut probatur ex *cap. Præterea* 12. *de sponsal.* et ex. *cap.* 22. *Super eo de Test. et attest.* ubi dicitur : *Matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi*. Et ita sufficit ad impediendas nuptias fama impedimenti, licet illud sciret sub secreto naturali, etiam cum juramento, ut dicunt Sanch. Escob. Boss. Barbos Salmant. etc. cum s. Thoma (3), qui docet secreti juramentum non obligare, ubi agitur de impediendo damno communi, aut tertii (4). Hoc tamen intelligitur quoties denuntiatio potest commode fieri, quia contra non tenetur testis denuntiare cum gravi suo damno, aut cum gravi aliorum scandalo (5). Intelligitur item, facta monitione, quia antequam Episcopo aut parocho impedimentum deferat, tenetur sponsos admonere (si admonitio est profutura) ut ab hujusmodi matrimonio desistant (6). Ad hoc autem, ut matrimonium impediatur ob testis denuntiationem, requiritur 1. ut ille non solum denuntiet, sed etiam deponat impedimentum, licet ceteroquin sponte ad deponendum se offerat, ut dicunt Sanch. Boss. Gutt. etc., modo ille non probasset famam impedimenti, quia tunc sufficit ut denuntiet, ut habetur ex *cap. Non in duo, de Sponsal.* 2. Requiritur ut deponat, aut denuntiet cum juramento. 3. Ex certa scientia, non autem audito, excepto si impedimentum esset consanguinitatis, aut affinitatis, quia tunc sufficit, si illud sciverit a personis certis et fide dignis. 4. Requiritur ut testis non sit vilis conditionis, modo factum non sit adeo occultum, ut probari non possit aliter, nam ubi deficit potentia probandi, admittitur etiam probatio quæ ex se non esset sufficiens ; ita communiter dd. (7).

57. Præterea super hac materia multa advertenda sunt. Advertendum 1. quod fama impedimenti sufficit ad impediendas nuptias, ut superius dictum est ; sed hoc non currit, cum consanguinei sponsorum, ut dicunt Sanch. Castrop. Guttier. etc. ex *cap. Cum in tua, de spons.*, aut ipsi sponsi, ut addit Sanch., jurarent non adesse impedimentum (8). Advertendum 2. quod contrahentes, cum sunt legitime interrogati, tenentur aut fateri impedimentum, aut a nuptiis abstinere, licet impedimentum non sit probatum ; nisi tamen occulte obtinuissent dispensationem ; tunc enim non tenentur patefacere impedimentum, cum illud non sit aliunde probatum ; ita Silv. Laym. Sanch. Ronc. Boss. et alii communiter (9). Advertendum 3. quod parochus, Episcopus, aut alius judex, si ipse tantum ha-

(1) N. 985. — (2) Ib. v. dicitur 4. — (3) N. 987. dub. 3. — (4) Ib. dubit. 2. — (5) Ib. v. an autem.

(6) Ferr. Bibl. v. Debitum conjug. a. 2. n. 4.—(7) Ib. 6. n. 987. dubit. 3.—(8) N. 991 — (9) Ut refert Zacch. Ad. not. ac Croix l. 6. p. 3. n. 477.

(1) L. 6. n. 991. dubit. 3 — (2) N. 992. — (3) 2. 2. q. 70. a 1. ad 1. — (4) L. 6. n. 995. — (5) ibid. in fin.

(6) N. 991. v. certum. — (7) N. 997. — (8) N. 999. — (9) L. 6. n. 1.000

buisset notitiam impedimenti, modo id non sciat sub sigillo confessionis, tenetur impedire matrimonium. Nec obstat dicere quod peccatori occulto non potest negari Sacramentum, cum ille publice petit ; hoc enim currit cum aliud non evenit malum, quam sacrilega perceptio Sacramenti, secus autem cum interveniunt alia gravia damna, quæ plerumque accidunt ex matrimoniis invalidis ; ita recte docent Sanch. Castr. Boss. Coninch. Ronc. Escob. etc. contra Pontium (1). Et hic advertendum parochum teneri sub gravi, cum aliquod celebrandum est matrimonium, investigare diligenter utrum aliquod subsit impedimentum (2).

58. Advertendum 4. quod Episcopus, juxta Trident. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matrim.* potest ex tribus duas proclamationes dispensare ; ut unica tantum, et etiam ut nulla fiat, cum justa intervenit causa, ut cum suspicio probabilis habetur matrimonium malitiose impediri, ut dicitur in textu Concilii ; et etiam ob alias causas, ut dicunt Sanch. Barbos. Pont. Cabass. Bonac. Bos. Salm. etc., nimirum si nuptiæ celebrandæ essent inter primarios homines, aut inter senes, aut inter personas valde dispares conditione, ætate, divitiis, aut alia qualitate : aut si moraliter certum esset nullum subesse impedimentum : aliter Episcopus, si dispensat, semper se certum saltem aliunde facere debet impedimentum non adesse (3). Et cum dispensatio necessaria esset ad evitandum grave damnum spirituale aut temporale, aut ad auferendum aliquod impedimentum alicujus notabilis boni, etiam privati, tunc (ut dicunt Ronc. Sanch. Barb. Castropal. Bonac. Filliuc. Boss. Conin. etc.) Episcopus tenetur ad dispensandum, ut esset 1. si probabilis timor haberetur, ne matrimonium injuste impediretur. 2. Si matrimonium necessarium esset ad evitandam infamiam sponsi, aut prolis, v. g. si præcessisset defloratio, et sponsus jamjam moriturus esset, aut discessuus in longinquam regionem, aut timeretur ne mutaret voluntatem. 3. Si parentes cogerent filium ad ducendam indignam. 4. Si timeretur aliquod periculum spirituale aut temporale. 5. Si immineret tempus Adventus, aut Quadragesimæ, ut addit Roncaglia, et ita pariter ob quamcumque aliam rationabilem causam, juxta prudentum judicium (4). Dicit tamen Boss. (5) quod si forte Episcopus his stantibus causis injuste negaret dispensationem, ipsi recurrere debent ad judicem superiorem ; non possunt tamen contrahere, nisi cum periculum esset in mora, et ad Superiorem adeundi non suppeteret facultas. Advertendum hic ex Concilio præcipi quod, cum dispensetur in proclamationibus, *ante consummationem denuntiationes in ecclesia fiant,... nisi Ordinarius judicaverit, ut remittantur.* Insuper advertendum id quod mandat observari Bened. XIV. in Bulla *Nimiam licentiam* (edita 18. Maii 1743.) ubi vetat, ne Episcopi alii sacerdoti quam parocho licentiam assistendi matrimoniis dent, nec dispensent in denuntiationibus, nisi *urgente legitima, gravissima et ineluctabili* causa, cum apertissime intelligant ex Trident. facultatem effrænatam ac immoderatam dispensandi sibi non adesse. Et ne committant facultatem contrahendi coram alio sacerdote, quam parocho, priusquam ex diligentiis adhibitis sibi tuto constiterit nullum interponi impedimentum.

59. Quæritur hic tandem, an Vicarius generalis, et etiam parochus possint in denuntiationibus dispensare ? Quoad Vicarium generalem probabilius est, quod possit, dum ipse cum Episcopo unum efficit tribunal ; ita communissime Sanch. Castr. Bon. Wig. Elbel Barb. Navar. Ronc. Fill.

(1) N. 1002. — (2) N. 54. v. certum. — (3) N. 1006.

(4) N. 1005. v. docent. — (5) Boss. t. 1. c. 7. n. 34. de matr.

contra Pontium et Dianam (1). Parochus contra non potest, quia ille nulla potitur jurisdictione. Unde si præsumit assistere ad matrimonium sine denuntiationibus, incurrit suspensionem ab officio tribus annis, sed hæc est *ferendæ sententiæ*, ut habetur ex *cap. Cum inhibitio, §. Sane, de clandest. desp.* Probabiliter tamen dicunt Sanch. Laym. Croix. Ronc. Gob. et Elbel, quod in casibus, in quibus Episcopus tenetur dispensare, et non possit ad eum confugere, et contra periculum dilationem non pateretur, in eo casu parochus non potest quidem dispensare, sed potest (modo ei constet non subesse impedimentum) declarare tunc non obligare præceptum denuntiationem. Imo addunt Pont. Castrop. Boss. Salmant. Busemb. Sanc. Conc. Sot. Escob. etc. ipsosmet sponsos, si certi sunt nullum adesse impedimentum, posse, omissis denuntiationibus, contrahere (2).

PUNCTUM V.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

60. *Annuuntur impedimenta dirimentia.*
61. *I. De impedimento erroris circa personam, et circa qualitatem.*
62. *II. Conditionis. III. Voti, IV. Cognationis.*
63. *V. Criminis.*
64. *VI. Disparitatis cultus. VII. De violentia, et metu.*
65. *VIII. De impedi; Ordinis IX. Ligaminis X Publicæ honestatis.*
66. *XI. Ætatis.*
67. *XII Affinitatis.*
68. *De impedimento ad petendum.*
69. *Quinam dispensare potest in hoc impedimento.*
70. *et 71. XIII. De clandestinitate, et de assistentia testium. De parochi assistentia.*
72. *De vagis, et exteris.*
73. *Quænam assistencia parochi requiratur*
74 *et 75. XIV. De impotentia.*
76. *XV. De raptu.*

60. Impedimenta dirimentia (præter defectum consensus) sunt sequentia :

1. *Error*, 2. *Conditio*, 3. *Votum*, 4. *Cognatio*, 5. *Crimen*,

6. *Cultus disparitas*, 7. *Vis*, 8. *Ordo*, 9. *Ligamen*, 10. *Honestas*,

11. *Ætas*, 12. *Affinis*, 13. *Si clandestinus* 14 *et impos*,

15. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.*

Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

61. Sermo sit de singulis sigillatim. 1. *Error* : Error circa personam lege naturæ irritat matrimonium, licet sit vincibilis, et etiamsi concomitans, qui causam non dedit contractui, adeo ut etiam cognito errore, pariter nuptiæ contractæ fuissent (3). Error contra circa personæ qualitatem, v. gr. si illa judicata fuerit nobilis, virgo, aut dives, et talis non reperiatur, certe non irritat matrimonium ; et hoc currit juxta communem sententiam, et veriorem cum Sanch. Mol. Laym. Nav. Conc. Hab. Ronc. Less. Gon. Salm. etc. cum s Thoma (4), contra Pontium, et alios paucos, etiamsi error dederit causam contractui ; nam intercessit jam consensus circa substantiam matrimonii, quæ consistit in verificatione personæ ; alioquin si verificandæ essent omnes qualitates a sponsis apprehensæ, innumerabilia matrimonia restarent dubia, et litibus obnoxia (5). Qualitas tamen si redundaret in substantiam, communiter dicunt dd. tunc errorem circa qualitatem irritare matrimonium. Tres dantur regulæ quibus dignosci possit quando error circa qualitatem redundet in substantiam. *Prima*, cum quis actu intendit, aut prius, voluntate numquam mutata, intellexit non contrahere, nisi sub illius qualitatis conditione ; ita

(1) L. 6. n. 1007. — (2) Ib. dubit. 2.

(3) N. 1010. — (4) Suppl. q. 51. a. 2. in corp. ad 1. et ad 3. — (5) L. 6. n. 1011. et 1012.

Sanch. Pont. Castr. Salm. et alii communiter (1). *Secunda*, cum qualitas est propria et individualis alicujus certæ personæ, v. gr. si quis intendit contrahere cum primogenita regis Galliæ ; ita Castr. Petrocor. Habert Laym. Holzm. et Spor. Secus autem si intenderet contrahere cum una filiarum regis, quia tunc qualitas non est individualis, sed communis aliis filiabus, et tanto minus si intenderet contrahere cum filia regis, nisi esset quod principaliter intenderet non contrahere, nisi cum persona regali (2), ut dicemus mox infra in tertia regula. *Tertia*, cum contrahens principaliter intendit qualitatem, et minus principaliter personam, ut si diceret : *Volo ducere nobilem, qualem puto esse N. N.* Secus autem esset, si diceret : *Volo ducere N. N. quam puto esse nobilem* ; ita Sotus Silv. Abul. Holzm. Cabass. et alii cum s. Thoma (3).

62. II. *Conditio* : Per conditionem intelligitur servilis; unde si ex ignorantia cum serva contrahitur, matrimonium nullum est (4), et hoc etiamsi ignorantia esset crassa, ut probabilius dicunt Sanchez Conin. Salm. etc. contra Sotum (5). Secus autem si jam sciret illam esse servam, tunc enim valide contraheret, fieret tamen irregularis ex *Can. Si quis, dist.* 34. (6) Sicut etiam esset validum matrimonium, si ipse esset servus, uti probabilius tenent cum s. Thoma (7) Sanch. Salm. Bonac. etc. (8). Idem currit, prout probabilius dicunt Sanch. Salm. Bon. etc contra Castropalaum (9), si serva ob matrimonium fieret libera ut evenit cum Dominus ipsemet chirographum dotale dat servæ, aut eam in uxorem dat alteri ignoranti esse servam. III. *Votum* ; intelligitur solemne castitatis vel ob Ordinis sacri susceptionem : vel ob religiosam professionem spontaneam dicitur *spontaneam*, nam illa emissa metu, nulla est (10). An autem Papa possit dispensare in voto in professione emisso, probabilissimum est posse, cum s. Thoma (11) s. Antonin. Suar. Castr. Less. Sanch. Cajet. Pont. etc. (12). Et idem dicitur de voto sacri Ordinis (13) IV *Cognatio* : Triplex est cognatio : *legalis*, quæ oritur ex adoptione perfecta, nempe facta principis supremi rescripto ; et hæc dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum ; et inter uxorem et descendentes adoptati, et inter uxorem adoptantis, ac inter ejus consanguineos in primo gradu : ita ex *c. Per adoptionem* 3. *q.* 3. et ex *c. Diligere* 30. *q.* 3. (14) *Spiritualis* est illa quæ oritur ex Baptismo, aut ex Confirmatione, et hæc dirimit matrimonium inter baptizantem et baptizatum, inter patrinum et baptizatum, et parentes baptizati, ut ex *c.* 1. *de Cogn. spir. in* 6. et ex Trid. *sess.* 24. *c.* 2. (15). Vide dicta *Tract.* 14. *n.* 33. *et* 53. Tertia denique est *carnalis*, quæ provenit ex consanguinitate personarum quæ ex eodem stipite descendunt : et hæc in linea transversali lege ecclesiastica matrimonium dirimit usque ad quartum gradum ; sed in linea recta semper (16). An autem in linea recta hoc sit lege naturæ, an Ecclesiæ, quæstio est : cæterum probabile est in primo tantaxat gradu lege naturæ prohibitum esse matrimonium in linea recta, adeo ut in reliquis gradibus possit Papa dispensare, ita Less. Lug. Sanch. Salm. Ronc. etc. Vide dicta *Tract.* 9. *n.* 18. Ad distinguendos gradus consanguinitatis, hæ traduntur regulæ : I. In linea *recta* tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite, qui nunquam in numero computatur. II. In linea *transversali æquali* quot gradibus sponsus distat a communi stipite sponsæ, tot distant inter se III. In linea *transversali inæquali* quot gradibus consanguineus remotior distat a stipite, tot distant inter se (1). An autem debeat in dispensatione exprimi gradus proximior, vide *seq. n.* 86.

(1) L. 6. n. 1013. et 1014. — (2) N. 1015. — (3) N. 1016. — (4) N. 1017. — (5) N. 1019. — (6) N. 1018. — (7) Suppl. q. 52. a. 1. ad 1. — (8) L. 6 n. 1018. v. si vero. — (9) N. 1022.

(10) N. 1024. — (11) in 4. d. 38. q. 1. a. 4. ad 1. — (12) L. 3. n. 256. — (13) Ib et l. 6. n. 807. 808. et 1009. — (14) N. 1027. — (15) N. 1028. — (16) N. 1029.

63. V. *Crimen* : Crimina matrimonium dirimentia sunt homicidium adulterium et raptus. De raptu dicetur infra *n.* 76. Loquendo igitur hic de homicidio, et adulterio, hoc impedimentum tribus in casibus incurritur, nimirum, 1. Utroque patrante (to *patrante* respicit solum homicidium, non vero adulterium). 2. Uno patrante. 3. Nemine patrante. Et 1. *utroque patrante* intelligitur cum ambo sponsi conspirarunt (sed sine adulterio) in conjugis mortem, quocum alter eorum matrimonio ligatus erat, fine matrimonii ineundi cum eo (2) ; saltem cum alter sponsorum talem habuit finem et complici communicavit; ut probabilius tenent Pont. Vasq. Peyr. Diana Salm. etc. contra Sanch et Castrop. qui affirmant impedimentum incurri, etiamsi finis prædictus matrimonii parti alteri participatus non fuerit. Cæterum ego puto sufficere, seu saltem requiri ut indiciis sufficientibus manifestatus sit, v. gr. donis, litteris amatoriis, aut aliis signis amoris et familiaritatis quæ inter partes intercesserunt (3). II. *Uno patrante*, cum una pars tantum, altera inscia, conjugem suum dedit morti ; sed amplius adulterium commisit cum parte cui nubere cupit, ut ex *can. Si quis vivente* 5. *Caus.* 31. *q.* 1. et *cap. Propositum* 1. *de eo qui duxit* etc. Sed ad incurrendum hoc impedimentum requiritur 1. ut adulterium præcedat homicidium ; 2. ut adulterium sit perfecte consummatum cum seminatione intra vas non tantum ex parte viri sed etiam mulieris, juxta sententiam s. Bonav. Innoc. Hostiens. Viguer. et P. Concina, qui tradit eam ut communem ; et merito probabilem vocant Sanchez Castrop. Ronc. Salm. etc. Ratio, quia hoc impedimentum habet rationem pœnæ, et quævis pœna non incurritur, nisi crimen sit perfecte consummatum in suo genere; ut autem adulterium sit perfecte consummatum, requitur ut adulteri fiant una caro per utriusque seminationem mixtionemque seminum ; ait enim d. Thomas, (cujus verba proferemus infra *n.* 68. *in fin.*) quod tantum per mixtionem seminum vir et fœmina efficiuntur una caro (4). Requiritur 3. ut uterque adulter sint consecii prioris matrimonii; quare probabiliter (ut dicunt Sanch. Rebell. Aversa Bus. et Salm.) excusat ignorantia etiam culpabilis, si non sit affectata (5). Requiritur 4. ut occisio sit patrata eo fine, ut ducere possit adulteram, et talis finis sit ei manifestatus (saltem signis supra narratis) ; ita Sanch. Pont. Vasq. Salm. Perez etc. (6). III. *Neutro patrante*, intelligitur cum non intercessit homicidium, sed tantum adulterium cum matrimonii promissione, ut habetur ex *cap. fin. de Eo qui duxit*, etc. Ad incurrendum hoc impedimentum requiritur primo ut adulterium et promissio intercesserint vivente conjuge. Secundo ut promissio non sit revocata ante adulterium. Tertio ut promissio sit acceptata. Hæc certa apud omnes habentur (7). Alia sunt dubia quoad ea dicimus 1. probabile esse cum Sanch. Castrop. Gutt. (contra Pont. etc.) ad acceptationem non sufficere solam adulteræ taciturnitatem (8). Dicimus 2. probabilius et communius esse cum Laym. Bon. Salm. Holz Croix Spor. etc. (contra Sanch. Castr. etc.) non sufficere promissionem fictam, dum textus citatus requirit promissionem, qualis non est promissio ficta (9). Dicimus 3. non sufficere conditionatam promissionem; cum enim agatur de pœ-

(1) Lib. 6. n. 1029. v. prima. — (2) N. 1033. v. ex 1. capite. — (3) N. 1034.

(4) N. 1036. v. hinc autem. — (5) Ib. v. requir. 5. — (6) Ib v. requir. 6. — (7) N. 1037. — (8) N. 1038. — (9) N. 1039.

na, pro promissione a textu allata, debet intelligi absoluta, et probabilius etiam dicunt Laym. Conin. Perer Holzm. contra Sanch. Tourn. etc. Dicimus 4. contra probabilius, et communius esse cum Sanch. Bonac. Castr. Sot. Coninch. Silv. etc. adversus Bellarm Laym. Holzm. Elbel, etc. non requiri mutuam promissionem : nam in *c.* 1. *et* 6. *de Eo qui duxit*, etc. nulla mentio fit repromissionis, sed tantum fidei datæ (1). Præterea notandum est ad tria illa crimina addendum esse quartum ex quo etiam oritur impedimentum, et est adulterium cum *matrimonio attentato*, nempe cum vir vivente uxore aliam cognoscit, ac intentat cum illa contrahere : hoc matrimonium est nullum, sive copula præcesserit, sive sequatur attentatum, ut habetur ex *c.* 2. 4. 5. et 9. *de Eo qui duxit*, etc. (2). Qui autem, vivente uxore, daret fidem ducendi aliam, sed sine adulterio, et sine matrimonio attentato, non incurreret hoc impedimentum, sed non excusaretur a culpa gravi, ut communiter dicunt Sanch. Laym. Bon. Castr. Elbel etc. et deducitur ex *c. fin de Eo qui duxit* (3).

64. 6. *Disparitas cultus* : intelligitur disparitas religionis. Hæc dirimit matrimonium inter baptizatum, et non baptizatam ; sed inter baptizatos, nempe inter catholicum, et hæreticam disparitas non dirimit, sed tantum impedit matrimonium, et reddit illicitum, nisi Papa dispenset, ut ex *c.* 1. *de Divort.* et ex Bulla Bened. XIV. *Matrimonia*, data 4. Nov. 1741. (4). 7. *Vis* : intelligitur non solum vis proprie dicta, sed etiam metus, qui dirimit matrimonium tam lege Ecclesiastica ex *c. Significavit*, *c. Veniens* et *c. Consultationi*, *de Eo qui duxit*, *etc.* quam lege naturali (5). Et dirimit, licet juramento sit firmatum, modo juramentum non sit præstitum ad liberum præbendum consensum, quia tunc certo obligat, ut ait p. Viva (6). Sed ad hoc ut metus irritet matrimonium, 1. debet esse gravis, quia levis satis non est, ut tenendum est cum sententia communissima Pont. Castr. Sanch. Sot. Tamb. Boss. Vivæ (contra Lugo et Nav.) cum s. Thoma (7), qui dicit : *Coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia.* Batio est, quia neque lege naturæ, nec positiva habetur quod metus levis tollat matrimonium (8). Pro metu *gravi* intelligitur periculum mortis, exilii, carceris, infamiæ, aut amissionis gravis bonorum, aut excommunicationis, aut alius damni gravis, quod contrahens timeret sibi, aut sibi conjunctis usque ad quartum gradum : ita communiter dd. (9). Solus metus reverentialis erga parentes, avos, dominos, prælatos, et tutores (addunt Ronc. Sanch. Boss. etc. etiam erga patruos, et fratres natu majores) dicimus cum sententia communi Lessii Sot. Sanch. Suar. Mol. Layman Conc. Pont. etc. cum quadam decisione Rotæ rom. contra aliquos canonistas, quod non satis sit ad arritandum matrimonium, nisi cum additur timor gravis mali, ut diuturni odii, aut indignationis, aut verberum, etc ; nam, ut recte ait Pont., metus mere reverentialis non est proprie metus, sed simplex reverentia quæ secum nullius mali affert timorem, sed solam quamdam erubescentiam, quæ potius ab intrinseco quam ab extrinseco ortum habet, sicut mox infra explicabitur (10). 2. Metus iste debet esse ab extrinseco incussus, nempe ab alio : et non sufficit ut sit ab intrinseco, ut si quis contraheret, ut ab aliquo liberetur damno, a nemine incusso, sed a seipso apprehenso ; ita communiter Sanch. Pont. Sotus Ronc. Salm. (11). 3. Debet esse injuste incussus ; unde si forte sponsus,

(1) L. 6. n. 1041. — (2) N. 1042. — (3) N. 1043. — (4) N. 56. et 1044. — (5) N. 1045. et 1054.

(6) M. 1045. — (7) Suppl. q. 47. a. 3. — (8) L. 6. n. 1055. — (9) N. 1047 et 1048. — (10) N. 1056. — (11) N. 1049.

facta matrimonii promissione ex timore carceris, quem ei juste minatus est judex, contrahat, aut timore ne sponsa eum accuset, tunc matrimonium est validum. 4. Debet incuti metus ad finem contrahendi matrimonii ; quare si stuprator ducit corruptam incussus timore minarum illius conjunctorum, matrimonium est nullum ; secus vero si parentes minantur ei mortem ob violationem puellæ, et ille, ut a periculo liberetur, matrimonium contrahit ; ita communiter Sanch. Bonac. Ronc. et alii (1). Dubitatur autem an irrito facto matrimonio metus causa, libera restet etiam pars quæ metum incussit ? Affirmant probabiliter Sanch. Sot. Castr. Busemb. Hurtad. etc. ; sed probabilior videtur opposita Pontii Nav. Coninch. Salm. etc. uti deducitur ex *c.* 1. *de eo qui duxit*, quia nemini commodum de suo facinore comparandum est. Imo dicimus cum Castrop. eum, qui metum incussit, omnino teneri mulierem ducere, cum non posset alio medio illius honori consulere (2).

65. 8. *Ordo* : intelligitur sacer, quo dirimitur matrimonium, non quidem lege divina, uti volunt nonnulli, sed ecclesiastica sicut probabilius docent Sanch. Pont. Suar, Bellarm. etc. cum s. Bonav. et s. Thoma (3) qui dicit : *Sed quod* (Ordo) *impediat matrimonium ex constitutione Ecclesiæ habet* ; quia votum simplex castitatis ex se non irritat certe matrimonium ; si igitur irritat, est quia est solemne, sed talis solemnitas dumtaxat provenit ex lege Ecclesiæ : ideoque bene potest Papa in eo dispensare (4). 9. *Ligamen* : intelligitur de eo qui alio matrimonio ligatus est, propter quod cum nemine alio contrahere potest, nisi certe constet de prioris conjugis morte : qui si comparet, tenetur, qui aliud contraxit matrimonium, ad priora redire vota (5). 10. *Honestas* : nempe publica honestas, qua nullum redditur matrimonium illius qui, sponsalibus celebratis cum una, matrimonium contrahit cum consanguinea illius in primo gradu, sicut novissime statuit Tridentinum, quia jure antiquo tale impedimentum extendebatur usque ad quartum (6). Hic notandum 1. tale impedimentum non oriri ex sponsalibus cum persona incerta initis (v. g. cum una ex filiabus Petri), uti constat ex *c. uno de sponsal. in* 6., neque ex sponsalibus conditionatis, si adhuc conditioni non fuerit eventus, ut dicunt communiter Sanchez Castrop. Bonac. Salmant. et certum est ex declaratione Bonifac. VIII. apud Tourn. Notandum 2. ex matrimonio rato oriri impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, licet matrimonium fuerit nullum, modo nullitas non provenerit ex defectu consensus, quia in hoc jus antiquum correctum non est a Concilio ; ita communiter Sanchez Pont. Castrop. Salmant. Sed hic quæritur an adsit impedimentum, cum nullitas oritur ex defectu consensus ? Affirmant Sanch. Pont. et alii, quoties defectus est occultus (et idem dicunt de sponsalibus nullis ob quemcumque defectum occultum, cum valida sunt in foro externo) ; sed probabilius negant Castr. Bon. Conc. Salm. Coninch. etc. quia in textu citato universaliter dicitur quod ex matrimonio nullo defectu consensus non oritur impedimentum ; et ita refert Barbosa declarasse S. C. Quoad autem sponsalia, indistincte dixit Trident. *sess*, 24. *c.* 3. *de Reform. matrim. Ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit* (impedimentum) (7). Notandum 3. sponsalia licet mutuo consensu soluta, aut alia ex juxta causa, parere impedimentum, uti recte dicunt Sanch. Tourn. Conc. Sot. Laym. Bonac. Salmant. etc. (contra Pont. Castrop.) Ratio est quia ex sponsalibus validis, juxta Trid. jam oritur

(1) Lib. 6. n. 1049 ad 1053. ubi alii casus discutiuntur. — (2) N. 1057. — (3) In. 4. dist. 37. q. 1. a. 1. — (4) L. 6. n. 1058 et 1059. — (5) N 1060.

(6) N. 1061. — (7) N. 1062.

mpedimentum; unde hoc non potest deinde tolli sponsorum voluntate, aut alia causa superveniente: et hæc sententia (uti recte ait La-Croix) est omnino tenenda ex approbatione S. C. approbata ab Alex. VII. die 6. Julii 1668 ubi prohibitum fuit, ne hoc deinceps amplius in dubium revocaretur (1). Notandum 4. ex matrimonio nullo, ex eo quod fuit clandestinum, etiam oriri impedimentum publicæ honestatis, ut recte dicunt Pont. Castrop. Pign. Ronc. Tourn. Conc. Laym. etc. (contra Sanch. Nav. et Coninch.), et ita declaravit S. C. (2). Insuper hic advertendum matrimonium ratum cum una sorore, sed invalidum ob publicam honestatem, non inducere impedimentum in præjudicium alterius sororis, cum qua contracta sunt sponsalia, uti ex *cit. c. unic. de spons. in* 6. (3).

66. 11. *Ætas* : intelligitur, si sponsus sit minor natus quam 14. annos completos, et sponsa 12., matrimonium est nullum, uti habetur ex *c.* 7. 10. et 14. *de Despons. impub.*, modo malitia non suppleat ætatem, ut excipitur ex *c. de illis* 9. *eod. tit.*; sed hoc intelligitur pro illis impuberibus qui pubertatem jam attingunt, et præterea intelligitur de illis qui non solum potentes sunt ad generationem, sed etiam sunt capaces ad intelligendas consequentias conjugalis vinculi, ad quod contrahendum perfecto opus est rationis usu, ut dicunt Sanchez Sotus et alii cum s. Thoma (4). Quæritur hic, an matrimonium sit nullum, si pueri etiam completa ætate coire nequeant? Alii affirmant, sed communiter negatur cum Navar. Castr. Sanch. Silvest. etc.; nam nulla lege cavetur quod matrimonium inter puberes pueros sit nullum, si adhuc potentia generandi careant; dum impotentia tunc potius judicanda est temporalis, quam perpetua. Itaque tunc, ut communius dicunt Castr. Pont. Sanch. Sylvest. Escob. etc. quoad marem exspectanda est ætas usque ad annum 18, quoad mulierem saltem usque ad 14. (5). Notandum hic matrimonium senum ætatis decrepitæ etiam esse validum, modo coire possint arte medica; ita communiter Sanch. Salm. et alii cum s. Thoma (6).

67. 12. *Affinis* : Affinitas illa quæ oritur ex copula habita ab uno sponsorum cum consanguineis alterius. Hæc dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, si ex copula licita nata est: usque ad secundum, si ex illicita; ita ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. Notandum hic quod affinitas non parit affinitatem, unde duo fratres possunt ducere duas sorores; et vitricus potest ducere uxorem sui privigni, ut declaravit S. C. (7). Insuper notandum quod si quis cognoscit sororem sponsæ suæ, neutram sine dispensatione ducere potest; sed obtenta dispensatione, si iterum eamdem sororem sponsæ cognoscit, nova dispensatione non indiget; et hoc etiamsi dispensatio executioni data sit, ut dicunt probabilius Sanchez Tourn. Anacl. Guttier. etc. contra Hubert. et Elbel. cum Declaratione S. C. quia illa affinitas jam per dispensationem sublata est ad effectum contrahendi matrimonium. Et ita revera respondit s. Pœnitentiaria 21. Sept. 1752. cuidam rescripto quod authenticum ego vidi. Advertit autem Lambertini (8) cum Fill. Cleric. et Tamb., quod si postea impedimentum, super quo in foro conscientiæ dispensatum est, detegatur in foro externo et conjuges non possunt ad probandam dispensationem aliquam probationem adducere, tunc Episcopus aut parochus debet quiescere, si confessarius testetur de obtenta dispensatione (9).

68. Præterea notandum præfatum affinitatis impedimentum tunc dirimere matrimonium, cum illud præs-

(1) L. 6. n. 1066. — (2) N. 1064. — (3) Ib. v. notandum. — (4) 1065. et 1066.

(5) N. 1067. — Ib. v. matrim. — (7) N. 1068. et 1069. — (8) Notif. 87. n. 51. — (9) L. 6. n. 1140.

cessit; sed si post matrimonium conjux rem habet cum consanguineo alterius in primo aut secundo gradu, ille privatur jure petendi debitum, ut habetur ex *c. si quis* 1 *de Eo qui cognov. etc.* et ex Declaratione Gregorii XIII. (1). Advertendum autem: ab hoc impedimento 1. excusat metus, v. g. si uxor metu gravi coacta cognoscitur a consanguineo viri: ita communiter et probabilius Navar. Bonac. Rebel. Elbel cum Layman. Sotus Castropal. et Salmant. qui hoc probabile vocant, quia sicut metus gravis a lege humana, ita etiam excusat a pœna (2). 2. Excusat ignorantia: hæc ignorantia potest esse aut facti, aut juris, aut pœnæ. Si est facti, nempe si conjux ignorat illam personam, cum qua copulam habet, esse consanguineam sui conjugis, ab omnibus excusatur, licet ignorantia esset crassa, ut dicunt Sanch. Pont. Nav. Castr. etc., cum illa pœna sit imposita, ut legitur in textu citato, *scienter peccantibus* (3), Nec incurritur ab eo qui ignorat legem ecclesiasticam, quæ præter divinam id prohibet; dum non potest incurri pœna illius legis, cujus nulla habetur notitia; ita communissime Suar. Navar. Bonac. Wigandt Pont. Salm. etc. contra pauciores (4). Et est etiam probabile non incurri ab eo, qui licet sciat legem ecclesiasticam, ignorat tamen pœnam: ita tenent Bon. Wigandt Castrop. Boss. Coninch. et alii; quia hoc impedimentum (ut dicunt) habet veræ pœnæ rationem; alias etiam incurreretur ab eo qui citra culpam committeret incestum; et cum sit pœna extraordinaria, ei non subjicitur ignorans, uti dicetur *Tr.* 19. *n.* 8. loquendo de *Censuris* (5). 3. Non incurritur præfatum impedimentum, nisi copula sit ex utraque parte consummata cum seminatione, ut probabiliter dicunt Castrop. Silv. Sanch. Bonac. Salm. et alii cum s. Bonav. et s. Thoma (6), qui dicit: *Vir et fœmina efficiuntur una caro per commixtionem seminum: unde,... nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas.* Advertendum tamen quod in dubio semper præsumenda est copula fuisse perfecta, et consummata ab utraque parte (7).

(1) L. 6. n. 1070. — (2) N. 1074. — (3) N. 1073. — (4) N. 1072. — (5) N. 1074.

69. Huic impedimento, communis est sententia cum Merb. Castr. Lay. Pont. Sanch. Boss. Wig. Anacl. etc. contra aliquos pauciores, posse dispensare Episcopus ex potestate sua ordinaria, aut saltem ex consuetudine jam introducta (8). Et possunt delegare etiam aliis facultatem dispensandi, cum ipsa annexa sit dignitati episcopali; ita etiam communiter Barbosa, Pont. Sanch. Castrop. Sal. Bon. etc. (9). Item possunt dispensare omnes confessarii mendicantes ratione privilegiorum suorum, ut referunt Sanch. Pont. Spor. Sal. etc. contra Concinam (10). Ad hoc autem ut regulares confessarii possint super hoc impedimento dispensare, alii volunt ut illi habeant licentiam suorum Generalium, aut Provincialium; alii absolute id negant; cæterum recte dicunt Salm. cum aliis non requiri, sed sufficere licentiam Superioris localis, dum privilegium concessum Benedictinis Vallisolitanis a Martino V. et a Julio II. concessum fuit Priori monasterii (11).

70. XIII. *Si clandestinus* : Advertendum clandestinitatem, loquendo de matrimonio, bifariam accipi posse: primo cum fiunt nuptiæ omissis denuntiationibus, et de hac jam actum est num. 55. Secundo cum celebratur matrimonium sine parochi, et testium assistentia, et de hac est sermo. Trid *sess.* 24. *c.* 1. declaravit nullum fore matrimonium, nisi contrahatur coram parocho, aut alio sacerdote de ejus licentia, et coram duobus saltem testibus; et hoc currit (si in locis ubi Trident. receptum est,

(6) Suppl. qu. 55. a. 4. ad 2 — (7) L. 6. n. 1075 — (8) N. 1076. — (9) N. 1125. — (10) N. 1127. — (11) N. 1128.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
ARCHIVO GENERAL DE LA COMPAÑÍA

versatur) etiamsi aliqua urgeat necessitas quæ oppositum expostularet, et etiamsi matrimonium sit contractum ex ignorantia; ita communiter dd. (quicquid dicant aliqui cum Scot.), dum Concilium declaravit *omnino inhabiles* eos qui aliter contrahunt (1). Quoad testes, notandum quod quilibet testes in hoc sufficiunt, etiam mulieres, pueri (modo sint rationis capaces), infideles, infames, parentes, servi, et etiam illi qui casu illac transeunt, aut vi detinentur; ita communiter Sanch. Barb. Castrop. Lay. Bon. etc. (2).

71. Quoad parochum autem, plura notanda sunt. Notandum 1. nomine parochi intelligi non solum Episcopum, et Vicarium capitularem Sede vacante, sed etiam Abbatem jurisdictionem quasi episcopalem habentem, Vicarium generalem Episcopi, licet ei hoc Episcopus prohibuisset, cum non possit hic impedire quominus parochus, aut Vicarius suus generalis matrimoniis assistat, ut pluries declaravit S. C. (3). Peccaret tamen graviter parochus, si assisteret postquam ei ab Episcopo jurisdictio vetita sit, ut communiter dicunt dd. Notandum 2. parochum etiam irregularem, aut suspensum, aut excommunicatum, licet vitandum, valide assistere, ut dicunt communiter Sanch. Pont. Salm. etc. et Fagn. cum Decreto S.C.; ibi enim non exercet jurisdictionem, sed tantum uti testis assistit (4). Licet, assistente vitando, non excusarentur a culpa gravi nec ipse nec sponsi, modo casus non accideret quo gravissima causa urgeret, ut citius matrimonium contraheretur; et non suppeteret tempus Episcopum adeundi, ut dicunt probabilius Conin. Pont. Suar. Vasq. Bonac. etc. contra Sanch. Boss. etc. (5). Contra probabilius dicunt Sanch. Castrop. Barb. Pont. Bonac. Cajet. Salm. etc. (contra Laym. et alios) parochum vitandum recte dare posse alteri sacerdoti licentiam assistendi; nam licentiam dare non est actus jurisdictionis, sed potestatis sibi a Concilio concessæ, non uti parocho, sed uti testi, cum facultate delegandi alium sacerdotem (6). Bene potest etiam assistere, aut licentiam dare parochus non sacerdos infra annum, quo sacerdotio initiandus est; et etiam post annum (saltem valide), sicut declaravit S. C. (7). Et ita pariter sacerdos qui titulo colorato parochus haberetur (8), aut errore communi, juxta dicta *tr.* 16. *n.* 90. Notandum 3. sufficere licentiam parochi etiam tacitam, modo sit præsumpta de consensu præsenti; non jam ratihabitione futura, ut dicunt communiter Sanch. Pont. Bonac. Salm. etc. Et sufficit etiam dolo aut timore extorta, et coram tantum data, ut addunt iidem aa. citati (9).

Notandum 4. assistere debere matrimonio parochum illius parochiæ, in qua sponsi domicilium habent; sed si domicilium in duabus parochiis haberent, communissime docent Sanch. Pont. Bonac. Coninch. Ronc. Salm. etc., posse contrahere coram parocho alterutrius; modo in utraque (moraliter loquendo) æque incoluerint (10). Sed advertit p. Zaccharia pluries declarasse S. C. quod si sponsi ficte in aliam parochiam domicilium transferrent, ibi contrahendo, invalide contraherent. Sed contra validum esset matrimonium, si eo revera domicilium transferrent, licet in fraudem parochi primi domicilii: ita Croix cum Fagnano, Barb. Sanch. Silv. Boss. et alii (11). Notandum 5. ad matrimonii valorem sufficere assistentiam parochi alterutrius sponsi, etiam extra parochiam, et diœcesim; quare valet matrimonium, si in parochia sponsæ assistit parochus sponsi, ut declaravit multoties S. C. accedente etiam Pontificis approbatione (12). An

(1) L. 6. n. 1079. — (2) N. 1085. — (3) Vide p. Zacch. ap. Croix l. 6. p. 3. n. 725 — (4) N. 1082. — (5) N. 1083. (6) N. 1084. — (7) N. 1081. — (8) Ibid. — (9) N. 1088. — (10) N. 1086. — (11) Croix l. 6. p. 3. n. 747. — (12) N. 1087

autem peccet parochus assistendo extra parochiam? alii affirmant; sed communius eum excusant Sanch. Cast Salm. Barb. Couinch. Boss. etc., dicendo (ut supra) assistere non esse actum jurisdictionis (1). Quæritur an in aliam parochiam proficiscens non animo eodem transferendi domicilium, nec ex [illegible]situ, sed ut ibi per majorem anni partem moretur, possit ibi contrahere nuptias? Alii probabiliter negant; sed probabilius affirmant Sanch. Pont. Bon. Silv. Castrop. et Salm. Imo dicit Lambertini cum Laym. et Nav. sufficere ut ibi moretur per aliquam notabilem anni partem occasione alicujus occupationis, ut medici, judicis, servi, cauponis etc. (2); vide dicta *tr.* 14. *n.* 17.

72. Notandum 6. vagos posse contrahere coram quocumque parocho, licet tantum alter sponsorum sit vagus. Tenetur tamen tunc parochus investigare diligenter, an alibi contraxissent; et istis assistere non debet sine speciali Episcopi licentia, ut docent Sanch. Barb. Salm. etc. Quoad exteros, hi non possunt matrimonio conjungi extra patriam, nisi ostendant fidem authenticam Ordinarii proprii de statu eorum libero, uti constat ex instructione S. C. (3). Sed ut declaravit etiam S. C. exteri in carceribus detenti non possunt ibi contrahere. Et idem docet Lambert. dicendum (juxta instructionem S.C.) de exteris infirmis in xenodochiis, excepto casu præcisæ necessitatis, in qua possunt cæteroquin contrahere, etiam sine attestatu de statu libero; sed antequam de eo constet, non possunt matrimonium consummare. Puellæ vero expositæ, quæ in conservatoriis versantur contrahere debent coram parocho ipsiusmet loci, uti declaravit S. C. Et idem dicit Lambertini ex antiqua consuetudine, quæ adest, de illis puellis quæ vivunt in conservatoriis, a quibus aluntur, et dotantur; sed illæ quæ [illegible]educantur, debent contrahere coram parocho domicilii paterni, materni, aut fraterni, si adest, alioquin coram parocho loci conservatorii: et idem dicunt de famulis qui domi dominorum vivunt (4). Præterea circa matrimonia militum adsunt multæ Decis. S. C. (5), nempe quod non possunt contrahere sine Pontificis licentia coram capellano castrorum, sive in præsidiis, sive in stationibus hyemalibus, aut æstivis, et ne in castris quidem, licet in oppositum inveniam apud Pittonium (6) quoddam Decretum S. C. ubi dicitur quod ipsi capellani possunt assistere matrimoniis militum, cum hi in actuali expeditione reperiuntur. Sed cum sunt exteri, semper opus habent fide suorum Ordinariorum de statu libero (7).

73. Notandum 7. ad hoc ut matrimonium sit validum, requiritur præsentia non tantum materialis, sed etiam moralis parochi et testium, adeo ut ipsi testari possint tam de personis contrahentibus, quam de matrimonio contracto; quare recte ait Pontius (contra Sanch.) apud Croix (8), quod si parochus non bene intelligeret consensum sponsorum, quia forte alterius sunt idiomatis, non sufficit unus interpres qui affirmet. Contra sufficit si parochus intelligit eorum consensum, licet eos non videat (modo eorum voces dignoscat), et licet nihil ipse proferat; ut decisum affert Fagnanus a S. C. et ut communiter dicunt dd., imo etiamsi vi detentus sit et contradicat, ut communiter etiam dicunt Sanch. Bon. Filliuc. Conc. Busemb. etc. (9), et juxta plures Decis. S. C. (10). Sed in hoc non excusarentur sponsi a mortali, et in aliquibus diœcesibus incurrerent excommunicationem; nisi

(1) L. 6. n. 1087. — (2) N. 115. et 1091 (3) N. 1089 in fin.

(4) N. 1091. v. quid si, in fine. — (5) Ap. p. Zacch. ad Croix l. 6. p. 3. n. 751. — (6) Pittont. tr. de matr. n. 2117. — (7) vide opus nostr. l. 6. n. 1090. — (8) L. 6. p. 3. n. 750. — (9) N. 1092. — (10) Apud p. Zacch. ad Croix l. 6. p. 3. n. 790.

esset casus, uti dicunt Castr. Con. Salm. etc., quo parochus injuste renueret assistere, et contra adesset necessitas contrahendi (1). Parochus vero tenetur sciscitari consensum a sponsis, et proferre verba : *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Licet probabiliter dicunt Sanch. Coninc. Pont. Castrop. Salm. Bon. etc., quod si ea verba non proferret, peccaret tantum veniaditer, quoties factus esset certus de consensu manifestato, sed forte probabilius Boss. Rebell. Barb. et alii non excusant eum a peccato mortali, cum defectus sit circa materiam gravem (2).

74. XIV. *Impos* : Hoc impedimentum est frigiditas sponsorum, aut impotentia habendi copulam per se aptam ad generandum. Impotentia hæc, si est perpetua, et antecedit nuptias, nec auferri possit nisi per miraculum, aut peccatum, aut cum periculo mortis, de jure naturæ illas irritat, ex *cap. Fraternitatis, de frigid. et malef.* Impotentia autem oriri potest 1. ex maleficio : et tunc, si maleficium intra triennium nequit removeri sine peccato, dirimitur matrimonium, ex *cap. fin. eod. tit.* Oriri potest 2. ex frigiditate : et tunc pariter, si intra triennium nequit inter conjuges perfici copula idonea ad generationem, matrimonium irritum est. Idem docet d. Thomas (3) casu quo vir talem habeat erga mulierem abominationem, ut nullo modo possit per triennium cum ea copulari, sicque pariter sentiunt Albert. M. Sanch. Silvest. Ang. Tab. Turrecr. contra Sotum (4). Oriri potest 3. ex improportione membrorum, nempe si fœmina haberet vas nimis arctum ; et tunc, si ipsa nequeat apta fieri, nisi per incisionem cum periculo mortis, vel gravis morbi (in quo moraliter semper inest mortis periculum, ut recte apud Sanch. et Ronc.), matrimonium est invalidum ex *cit. cap. Fraternitatis, etc.* ubi dicitur tum matrimonium esse nullum, cum nequit haberi copula, *nisi per incisionem, aut alio modo violentia sibi inferatur..., forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur* (5).

75. Hic autem insuper tria sunt notanda. Notandum 1. quod mulier eo casu, quamvis non teneatur incisionem pati cum periculo gravis morbi, ut recte tenent (contra aliquos) communiter Pont. Castr. Tournely, Pontas, Sanch. Ronc. Salm. Bonac. Soto, Croix etc., quia nunquam censetur ipsa ad tantum periculum se voluisse obstringere : tenetur tamen illam pati cum aliqua gravi molestia et dolore, ut communissime et probabilius tenent Sanchez, Bonac. Ronc. Spor. Salm. Croix, Soto, Escob. etc. (contra Pontium, Castr. et Tourn.), quia ad id videtur obligari ex contractu inito, cum id sit necessarium, ad servandum viro jus ad copulam (6). Verumtamen, si incisio non posset fieri nisi per manum chirurgi, non videntur improbabiliter dicere Coninch. Tourn. cum Pontas, quod mulier non tenetur eam perferre cum tanta verecundia, quod esset onus moraliter intolerabile (7). Quod si vir debilis sit ad scindendum virginale claustrum, an tunc mulier teneatur pati fractionem per aliquod instrumentum ? Negant Pont. Castr. et alii, quia cum defectus sit ex parte viri, uxor non tenetur nisi ad tradendum corpus suum modo ordinario et naturali, non extraordinario scindendum. Sed probabilius affirmant Sanch. Vega. Angles. etc., quia hujusmodi molestia, licet non sit modo naturali in eo casu perferenda, tamen non debet dici extraordinaria, cum ex una parte sit ipsa omnibus nuptis ordinaria, et ex alia videtur necessario tolerenda, cum desit alias modus ut mulier apta fiat ad tradendum usum sui corporis, cujus dominium jam in virum transtulit (1). Notandum 2. quod soluto matrimonio ob arctitudinem fœminæ, si ipsa cum alio nuptias iniret, non ex eo quod per usum conjugii apta facta sit primo viro, ideo primum matrimonium validum est reputandum, sed id conjiciendum a similitudine secundi viri cum primo : ita (quicquid alii dicant) recte docent d. Antonin. Sanch. Silv. Ang. Turrecr. Durand. etc. Idque clare colligitur ex *d. cap. Fraternitatis*, ubi dictum fuit ideo teneri mulierem redire ad primum virum, *cum pateat* (verba textus) *ex post facto, quod cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur* (2). Notandum 3. quod cum impotentia est certa, non est jam expectandum triennium ; tunc enim statim potest altera pars ab impedita libere discedere (imo tenetur, si adsit periculum incontinentiæ), et ad alias nuptias transire, etiam ex propria auctoritate, si non adsit scandalum ; si vero adsit, ut communiter accidit, debet omnino ad judicem ecclesiasticum recurrere, et impedimentum probare (3) : quando autem impotentia est dubia, tunc si dubium antecessit nuptias, pars dubitans de sua potentia (intellige positive ex aliquo indicio probabili ; non autem negative, cum ordinarie quisque habilis præsumitur) nequit contrahere, nisi dubium alteri parti manifestet, et sit saltem probabiliter potens, ut dicunt Dicast. Elbel. et Viva (4). Si autem dubium superveniat matrimonio, tunc datur triennalis experientia (quæ incipit a copula intentata) ; et experientia permittitur, licet conjuges semen (sed præter intentionem) extra vas effundant, ut communiter docent Sanch. Castr. Soto, Tour. Salm. etc. ex d. Thoma (5). Et in dubio an impotentia nuptias antecesserit, vel supervenerit, probabilius dicunt Bon. Sylv. Tourn. Salm. etc, contra Sanch. Castr. Mazz. etc. judicandum quod antecessit, nisi forte post matrimonium aliquis supervenerit morbus, ex quo impotentia præsumatur successisse (6). Quod autem ad forum externum pertinet, observa quæ in Opere adnotantur (7) Ibique etiam vide quæ dicuntur de matrimoniis, quæ contrahuntur inter hæreticos, vel cum hæreticis (8).

76. XV. *Rapta* : Raptui etiam a Tridentino (*sess. 24. c. 6.*) impositum est impedimentum. Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur 1. ut mulier rapta sit ab uno ad alium locum exportata, vel saltem ab uno ad aliam domum per aliquos passus dissitam (sed non sufficit ab uno ad aliud ejusdem domus cubiculum), ubi illa manet sub raptoris potestate, licet ibi illa ab eo cognita non sit ; ita communiter Sanch. Salm. Conc. etc. (9) 2. Ut raptus sit patratus solo fine matrimonii, unde, uti probabilius tenent Sanch. Coninc. Holzm. Castr. Salm. etc. (contra Bonac. Busemb. etc.) non contrahit hoc impedimentum, qui alio fine eam raperet, etiamsi ad libidinem explendam ; nam Concilium hoc impedimento nihil aliud intellixit, quam matrimonii libertati favere (10) 3. Ut raptus fiat dissentiente muliere ; secus est si, dissentientibus propinquis, mulier assentiatur, raptor licet incursurus sit alias pœnas in raptores latas, non autem impedimentum, uti communiter docent Sanch. Castr. Conc. Holz. Coninc. Aversa, Salm. etc. (11). Et idem constat ex *c. penult. de Rector.* ubi dicitur : *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent.* Notandum hic 1. quod juxta Trid. præter hoc impedimentum, raptor et cæteri omnes, qui ad id auxilium suum præstant, incurrunt excommunicationem ipso facto ; reliquæ vero pœnæ impositæ a Concilio non in-

(1) Lib. 6. n. 1093. — (2) N. 1094. — (3) Sup. q. 58 art. 1. ad. 5. — (4) L. 6. n. 1096. v. 2. si impotentia.

(5) Ib. v. 3 si demum et 1097. — (6) N. 1099. circa fin. — (7) Ib. in. fin.

(8) N. 1104. — (7) N. 1103. — (8) N. 1105. — (9) N. 1107. — (10) Ib. v. requir. 2. — (11) N. 1107. v. requir. 3.

curruntur, nisi post sententiam ; Castr. Sanch. Salm. etc. (1). 2. Quod raptor mulieris invitæ incurrit impedimentum, et pœnas, licet cum illa prius contraxerit sponsalia, uti recte docent Castr. Escob. Sa, Sanch. Conc. Corn. Salm. etc. (contra aliquos), cum constet ex Concilio incurri impedimentum, quoties mulier invita rapitur (2). Dubium fit autem, an in casu raptus etiam sponsalia invalidentur ? Affirmant Bonac. Pont. Sanch. Dicast. Salm. et alii communius. Verum opposita, quam tenent La-Croix, et Holzm. (3) cum Perez, Pichler, Kimer, et aliis, mihi probabilior videtur ; quamvis enim leges pœnales extendantur ad casus in quibus eadem currit adæquata ratio, prout dictum est *tract. 2, n.* 78 ; in nostro tamen casu non eadem ratio militat, nam matrimonium non est rescindibile sicut sponsalia sunt.

PUNCTUM VI.

DE MATRIMONII IRRITI REVALIDATIONE.

77. *Quandonam impedimentum dicendum est occultum.*
78. *Quid si parochus et testes conscii erant impedimenti, etc.*
79. *Qui ficte contraxit, an teneatur verum præstare consensum.*
80. *An qui contraxit ex metu, aut ficte, teneatur patefacere nullitatem.*
81. *An ablato impedimento debeat patefieri nullitas ignoranti.*
82. *Quomodo exigi debeat consensus ab ignorante.*

77. Hic prænotandum 1. matrimonium probabiliter validum, habendum esse certe validum, quia præsumitur Ecclesia certe dispensare in impedimento, quoties adest vera probabilitas de matrimonii valore, ut dictum fuit *tr. n.* 27. Prænotandum 2 (uti dictum est hic *n.* 29.) ad revalidandum matrimonium nullum ex defectu occulto, sufficere consensum solum externum sponsorum, omissa assistentia parochi et testium, illa enim jam adfuit. Itaque hic non tandum impedimentum tunc dici occultum, juxta Fagnanum, cum non est notum nisi 4. aut 5. personis loci: sed Lambertini (4), cum Tiburt. Nav. Thesaur. et Syro, dicit esse occultum, licet sit cognitum 7. aut 8. personis. Cæterum dicunt Nav. Sanch. Azor. Avil. Salm. Reginald. Molin. Tourn. Bon. Castr. Tolet., etc. communissime, delictum aut factum tunc dici occultum, cum non est notum nisi majori parti regionis, parochiæ, aut viciniæ, ubi morantur saltem 10. personæ ; et mihi constat s. Pœnitentiariam dispensasse in quodam casu quo impedimentum erat cognitum 10. personis. Hoc tamen intelligi debet, quoties prudens non adsit timor, ne impedimentum fiat publicum, qui tunc non potest dispensari in impedimento ut occulto, licet esset notum tantum duabus personis, uti dicunt Layman, Sporer, Croix, Hurtad. Et idem dicit Fagnanus observandum, cum in clausula s. Pœnitentiariæ dicitur, *omnino occultum*, ut poni solet in impedimento *criminis*. Contra dicunt Sanch. et Lambert. cum Bon. de Leone, Girib. Tiburt. Navar. et pluribus aliis, quod aliquando factum est publicum materialiter, quia jam viciniæ cognitum est ; sed formaliter est occultum quia ignoratur tale impedimentum ; et tunc potest etiam ad s. Pœnitentiariam pro dispensatione concurri, tanquam occultum (5).

78. His positis quæritur 1. an revalidandum sit matrimonium coram parocho et testibus, cum tempore quo contractum fuit conjuges erant conscii impedimenti ? Affirmant Sanchez Ledesma et Croix, et alii probabiliter, quia tunc illi non fuerunt testes de valore matrimonii, sed potius nullitatis ; sed probabilius negant Coninch. Tambur. Gobat. et alii, quia eorum assistentia a Tridentino

(1) Lib. 6. n. 1107. v. not. hic. — (2) Lambert. notif. 87. n. 45. in fin. — (3) La-Croix l. 6. p. 3. n. 54. Holzm. de Matr. 4. 7. n. 271.

(4) Card. Lamb. notif. 87. n. 45. in. fin. — (5) L. 6. n. 1111.

non præscripta fuit ad testificandam matrimonii validitatem, sed ad ejus celebrationem, ne quis (ut exprimit Concilium) fraudulenter plura matrimonia ineat ; imo hic est stylus sacræ Pœnit. (1).

79. Quæritur 2. an qui ficte contraxit, teneatur ad revalidandum matrimonium per verum consensum ? Affirmant Castrop. Roncagl. Concina Salmant., etc. dicendo quod una pars jam corpus suum tradiderit per consensum, tenetur altera pars, ut æqualitatem servet, tradere etiam corpus suum per verum consensum ; sed probabilius Sanch. Navar. Henriq. Arag. Hurtad Gutt., etc. negant (modo matrimonii revalidatio non requireretur ad reparanda damna ex dolo illata) ; ratio est, quia deficiente consensu alterius, contractus fuit nullus, et per consequens nulla intercessit alterius partis traditio, adeo ut eadem pars remaneat in eo casu libera, non secus ac si unquam consensum dedisset (2).

80. Quæritur 3. an qui ficte, aut metu contraxit (quo casu matrimonium est nullum, ut diximus *numer.* 64.), si velit matrimonium revalidare, verum præstando consensum, teneatur alteri parti manifestare matrimonii nullitatem ? Negat sententia communior cum Sanchez Lessio Navar. Laym. Tournely Roncaglia Bonac. Salmant et aliis pluribus cum s. Antonino et s. Thoma (3), qui loquendo de matrimonio metu inito, dicit : *Ex consensu libero illius qui primo coactus est, non fit matrimonium nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo rigore ; unde si dissentiret, non fieret matrimonium.* Igitur si metum passus consensum præstat, jam matrimonium revalidatur. Ratio est, quia in contractu matrimoniali non est necessaria simultas physica consensuum, sed sufficit moralis, nempe ut una pars consensum suum præstet, dum alterius partis consensus semel præstitus adhuc perseverat in aliquo effectu, nimirum per copulam maritalem, aut per cohabitationem. Idem tenet p. Cuniliati (4) cum s. Bonaventura Paludano et Soto ; atque non obstare timorem quod si requireretur pars de novo consensu, forte non daret : nam hic dissensus interpretativus non est verus dissensus, et interim perseverat consensus semel præstitus. Id quod fortius urget pro hac sententia, sunt duo Canones, qui pro ea adducuntur: Primus est in *cap. Insuper 4. Qui matrim. accus., etc.* ubi in argumento sic habetur : *Invita desponsata postea sponte cognitia, contra matrimonium non audiatur.* Secundus est in *cap. Ad id* 21. *de Sponsalib.* ubi dicitur: *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita, tamen, quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Itaque juxta hos textus spontanea copula, vel cohabitatio æquivalet libero consensui. Advertendum vero cum Sanch. Navar. Tournely, etc. ad hoc ut pars liberum ponat consensum, oportet ut sciat nullum fuisse matrimonium (5). Secunda autem sententia absolute tenet, quod ad revalidandum matrimonium manifestanda est alteri parti ejus nullitas ; ita dicunt Castropalaus et Hurdus apud Salmanticenses, et præsertim Pontius cum Comitolo (6), qui refert super hoc quandam declarationem Clementis VIII. qui consultus in simili casu, sic respondit. Ratio, quia consensus partis, quæ libere eum præstitit, ab initio fuit nullus, cum ceciderit super materiam inhabilem : unde cum materia postmodum habilis facta fuerit, ad matrimonium reconvalidandum novus requiritur consensus sensibilibus signis præstandus, quandoquidem primus, cum fuerit invalidus, perseverare non potuit. Cardinalis Lambertini (7) sentit quod, cum agatur hic de valore

(1) L. 6. n. 1112. — (2) N. 1113. — (3) S. Thom. sup. quæst 47. a. 4. ad 2.

(4) Cuniliat. de matr. §. 29. n. 2. et 3. — (5) Lib. 6. n. 1114. — (6) Ibid. — (7) Lambertini notif. 87. n. 60.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sacramenti, omnino hæc secunda sententia tenenda est tanquam tutior; tanto magis quod idem p. Sanchez (ut ait) qui oppositam tuetur, probabiliorem vocat. Ratio cæterum supra adducta videtur equidem satis fundata. Sed contra non video, quomodo responderi possit textibus supra relatis, et præsertim secundo in *cap. All'il* 21. *de Sponsal.* ubi casus fuit, quod puella quædam, quæ prius invita nupsit, deinde judicans matrimonium nullum ad secundas transierat nuptias : at quia per annum cohabiverat cum primo viro, præcepit Pontifex, ut ad eum rediret, urgente præsumptione quod sua longa cohabitatione jam consensum præstiterit : *Quamvis ab initio* (repeto verba textus) *invita fuisset ei tradita, tamen quia postmodum per annum ibi cohabitant consensisse videtur, ut ipsum est cogenda redire.* Papa igitur non habuit pro vera rationem Pontii, quod consensus libere præstitus a viro eo casu per se nullus esset, tanquam cadens super materiam inhabilem; sed potius ut verum habuit, quod ille mariti consensus, moraliter perseverans, et se conjungens cum consensu postmodum præstito a muliere per suam cohabitationem, jam primum conjugium revalidaverat, et ideo præcepit, ut mulier ad ipsum redire teneretur. Quod autem ad declarationem Clementis VIII. in contrarium adductam respondet Roncaglia vel de ea non satis constare, vel Pontificem eo casu ut privatum doctorem fuisse locutum.

81. Quæritur 4. an cum matrimonium est nullum ob aliquod impedimentum, ut revalidetur novo consensu, sublato impedimento per dispensationem, utraque pars conscia esse debeat nullitatis? Affirmant Pontius Less. et Castrop. cum Gültier. Hurt. Comit. et aliis, quia prior consensus præstitus a parte quæ ignorabat impedimentum, fuit nullus : posterior vero ejusdem partis etiam nullus est, siquidem cum ignoret nullitatem matrimonii, licet præstet consensum, errat ideo in substantiam, dum intendit consentire in conjugem jam suum. Contra Solus Salud. Ledes. Rodriq. Ang. Salmat. etc. dicunt non esse necessariam scientiam nullitatis matrimonii, sed sufficere simplicem consensum præstitum a parte inscia, aut expresse, aut saltem signis externis; quia licet prior consensus fuerit nullus ob impedimentum ab Ecclesia appositum, attamen fuit validus lege naturæ; quare sublato impedimento, sufficit prior consensus qui jam perseverat in effecto per copulam conjugalem, aut per cohabitationem, aut per alia signa externa. Et revera Lambert. (postmodum Benedictus XIV.) (1) refert quoddam Breve Clementis XI editum die 2. april. 1701, ubi Papa revalidavit quasdam matrimonia aliquarum nationum, quæ nominabantur *Procueles* et *Quartarones*, nulliter contracta, quin novum exquisierit consensum. Super hoc puncto (quidquid dictum sit in Opere morali) (2) nunc dicimus, quod stante declaratione Benedicti XIV. edita die 27. septemb. 1755., novissime a me inspecta in *Tom.* 4. Bullar. nuperrime typis dato pag. 346. (3), ubi dicitur, facto casu quod quidam vir contraxerat nulliter matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, sed bona fide, et conabatur illud roborare inscia uxore ob scandalum quod timebatur separationis, Pontifex dispensasse, et simul etiam declarasse (*vide ibid.* §. 7.) quod cum non agatur de impedimento orto jure divino vel naturali, ut cum datur consensus vivente altero conjuge, aut si est servus ignotus, aut erratur in persona, sed jure ecclesiastico, in eo casu posse quidem Papam matrimonium roborare dispensando a novo consensu præstando a parte ignorante impedimentum, pro valido habendo consensum quem illa in principio dedit, qui consensus lege naturæ erat validus; tunc enim Papa auferit impedimentum in radice matrimonii, retrotrahendo contractum, ac si in principio nullum adfuisset impedimentum : juvat hic verba Benedicti adnotare : *Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quæ a romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente, non a jure divino, aut naturali, sed a jure ecclesiastico; et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.* Cæterum cum hæc specialis Papæ dispensatio non intercedit, non est recedendum in praxi a prima sententia, potissimum quia s. Pœnitentiaria in concedendis dispensationibus pro revalidandis matrimoniis nulliter contractis, expresse apponit clausulam : *Ut dicta muliere* (aut viro) *de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.* Et hæc, ut probabilius ait Lamb. (1), est conditio positiva, non autem simplex instructio, uti contendebant Sanch. Bonac., etc.; nam juxta jurisperitos ablativum absolutum importat veram conditionem, sicut habetur ex *lib. A testatore, ff. de Condit.* etc. (2). Hoc tamen intelligitur extra casum urgentis necessitatis, quia in casu quo si, patefacta nullitate matrimonii, timeretur periculum mortis, aut infamiæ, aut scandali ob separationem, tunc observetur quod dicetur *Tr.* 20. *n.* 57. ubi dicetur in eo casu posse Episcopum dispensare, et cum necessitas non pateretur moram, juxta id quod dicunt plures dd. potest confessarius declarare legem impedimenti tunc non obligare, adeo ut possit matrimonium contrahi, omissa dispensatione.

82. Quæritur 5 si exigendus est consensus a parte inscia (juxta primam sententiam præcedentis quæsiti), quomodo exigendus? Communis est sententia cum Sanch. Card. Holzm sufficere parti consciæ impedimenti, eo per dispensationem sublato, sic dicere : *Tempore quo contraxi tecum, ego verum consensum non præstiti, eum nunc præsto, vis etiam tu eum præstare?* quia consensus datus a parte inscia in hoc casu jam non penderet a primo; et recte potest dici quod consensus nullus, cum contractus sit nullus, non est verus consensus. Ita pariter puto cum Bus. Salm. Caj. Nav. et Trull. sufficere si dicatur : *Ego dubito de valore matrimonii nostri, renovemus consensum* : quia eo casu consensus renovatus jam esset independens a primo. Admittunt etiam multi dd. dicere : *Dic mihi, si matrimonium nostrum fuisset nullum, intendis nunc denuo mecum contrahere?* Hunc modum ego non admitterem, nisi tantum cum pars ignara ob talem interrogationem de nullitate matrimonii in suspicionem veniret; aliter consensus illius dependeret a primo, et non esset sufficienter validus, juxta in superiori quæsito dicta. Alii autem admittunt, etiamsi diceret : *Si non me accepisses, acciperes nunc?* Aut : *Pro mea consolatione de novo consensum præstemus nostro matrimonio.* Sed istis modis ego penitus non assentior, dum in ipsis consensus certo non facit, ne dependeat a priori. Et tanto minus admittere possum quod tenent aliqui, sufficere solam copulam maritali affectu præstitam. Hoc dumtaxat admittunt Sanc. Tourn. Bon. Sot. Cajet. Conin. Salm Ronc. Instruct. pro Confess. tyronibus, et alii communiter in solo casu necessitatis, nempe cum alii modi adhiberi nequeunt sine periculo gravis damni, ut dictum est supra num.

(1) Notif. 87. n. 80. — (2) L. 6. n. 1115. — (3) vide Const. etsi matrimonialis, et tenorem subsequentis decreti cum nuper.

(1) Notif. 87. n. 68. — (2) Lib. 6. n. 1115. in fine.

præced. Nec obstat tunc clausula *certiorata parte* requisita a s. Pœnitentiaria, quia in tali casu necessitatis præsumitur, ut sentit Lambertini cum Tiburt. Navar., loc. cit. Ecclesiam velle omitti talem conditionem uti moraliter impossibilem; cum contra sit valde fundata sententia quod sufficiat ad revalidandum matrimonium nulliter contractum sola copula, aut cohabitatio voluntaria, uti habetur ex *cap. Ad id.* 21. *de sponsal.*, *cap. Insuper* 4. *qui matrim. accus.*, *etc.* et ex *cap. Significavit, de eo qui duxit*: ubi dicitur quod per cohabitationem, aut copulam conjugalem spontaneam subsequentem matrimonium nulliter contractum ob vim aut metum, roboratum esse intelligitur (1). Vide *n.* 80.

PUNCTUM VII.

DE DISPENSATIONE SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

83. *In quibus impedimentis potest Papa dispensare (et in quibus Episcopus; remissive ad tract.* 20. *num.* 54. *et seq).*
84. *De causis justis ad dispensandum: an omnia impedimenta explicanda sint.*
85. *An omnes circumstantiæ, præcipue incestus.*
86. *An omnes gradus.*
87. *De clausulis s. Pœnitentiariæ.*
88. *De formulis supplicationum.*
89. *De formula exequendi dispensationem.*

83. Hic prius sermo erit de iis qui dispensare possunt. Et 1. loquendo de iis qui super impedimentis dispensare possunt, certum est Papam posse dispensare in omnibus tam impedientibus, quam dirimentibus, a jure ecclesiastico ortum habentibus; secus autem in iis quæ sunt juris divini aut naturalis, ut supra dictum est *n.* 81.; nam juxta sententiam probabiliorem et communiorem Suar. Pont. Castrop. Silvest. Salas etc., Papa licet possit dispensare in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et juramentis, non autem in his quorum jus ex sola divina voluntate pendet. Et huic sententiæ favet s. Thomas (2), qui dicit *In præceptis juris divini, quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is cui specialiter committeret.* Hæc autem specialis commissio, ait Castrop., non habetur pro data Pontifici per illa verba: *Quodcumque ligaveris*, etc. aut per illa alia: *Pasce oves meas*, quia hæc important generalem, sed non specialem commissionem. Dicimus dumtaxat cum Suar. Sot. Nav. Coninc. Valent. et aliis, Pontificem in aliquo particulari casu posse tanquam doctorem universalem Ecclesiæ, et supremum voluntatis divinæ interpretem declarare legem divinam tunc non obligare (3); vide dicta *Tr.* 2. *n.* 56. Quoad potestatem quam habent Episcopi ad dispensandum super impedimentis matrimonii, vide fusius dicenda in *Tr.* 20. *De Privilegiis n.* 54. *et sequentibus.*

84. II. Loquendo de causis justis ab obtinendam dispensationem super impedimentis dirimentibus, assignantur a dd. sequentes 1. Extinctio magnæ litis, vel odii, vel scandali inter agnatos. 2. Inæqualitas matrimonii, nisi inter consanguineos nubatur ob defectum dotis, aut alterius. 3. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 4. Merita petentis dispensationem. 5. Ætas excedens 24. annos in muliere. 6. Subministratio pecuniæ, quæ a Papa in pietatis opera impenditur, ut communiter admittunt dd. et praxis docet; et aliæ causæ id genus (4).

85. Notandum hic 1. ad hoc ne dispensatio sit subreptitia, in supplicatione explicanda sunt 1. omnia impedimenta consanguinitatis vel affinitatis quæ subsunt, licet sint ejusdem gradus, ut si cognovisset duas sorores suæ sponsæ, sicut communius dicunt Sanch. Pont. Anacl.

(1) L. 6. n. 1117.

(2) 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. — (3) L. 6. n. 1119. et 1120. — (4) N. 1129. et 1130.

Castr. Escob. Conc. Salm. cum Rota Ronc. (contra alios), quia licet talia impedimenta non sint specie diversa, tamen sunt numero distincta, ideoque reddunt dispensationem difficiliorem. Nec amplius de hoc dubitandum est, nam Benedict. XIV. die 30. septemb. 1755. in quodam Brevi, cujus initium. *Etsi matrimonialis, in Bull. edit. Mechl. tom.* 2. *pag.* 254. *et est* 50, *in ord.*, declaravit et statuit irritum fuisse et fore quoddam matrimonium celebratum cum impedimento duplicis gradus consanguinitatis, licet super uno gradu, qui tantum in notitiam pervenerat, a Clemente XII. dispensatum fuisset. Et ita pariter eadem ratione quando impedimenta sunt plura et disparata, v. g. voti et consanguinitatis: sed sunt hujusmodi ut copulata difficiliorum reddant dispensationem, ut si quis vellet ducere consanguineam, cum cujus sorore copulam habuerit, tunc non sufficit sejunctim, sed conjunctim oportet petere dispensationem; ita probabilius Salm. et alii cum Salas Rodriq. etc. Excipiunt Coninch. et Aversa, si impedimentum contractum ob copulam cum sorore habitam est occultum, et illud patefacere esset infamiæ, quia tunc, dicunt, potest separatim obtinere dispensationes nempe illam cognationis a Dataria, et illam affinitatis ob copulam a Pœnitentiaria. Sed nos dicimus, quod saltem in supplicatione ad Pœnitentiariam, debet exponi utrumque impedimentum (1). Si quis autem, obtenta dispensatione in affinitate ob copulam cum sponsæ sorore habitam, iterum illam cognosceret, non indiget nova dispensatione, licet prima jam sit executioni mandata (2), et sicut diximus n. 67.

Debent 2. in supplicatione exponi omnes circumstantiæ quæ accidunt, et quæ reddere possunt dispensationem difficiliorem, et præcipue si intercesserit copula inter cognatos qui matrimonio jungi cupiunt. Et hoc non tantum si illa habita est ut facilius dispensatio obtineatur, uti certum est, sed etiam si hic finis non fuerit præhabitus. uti dicunt Sanch. Laym. Coninch. Castrop. etc. (contra Pontium Salmant. et.) Et de hoc hodie dubium omne cessat, dum declaratum est a Bened. XIV. in Bulla *Pastor bonus*. §. 41. ubi irritum pronunciatur matrimonium inter consanguineos celebratum ex dispensatione obtenta, tacito incestu (3). Item, si quis, obtenta dispensatione super gradu prohibito antequam executioni detur, rem habet cum sponsa, indiget nova dispensatione, ut recte dicunt Sanch. Guttier Gallego etc. contra aliquos, et ita declaravit S. C. mense Maii 1635: nam ex stylo Curiæ, manifestato novo incestu, Pontifex solet imponere majorem pœnitentiam, et ampliorem pecuniæ compositionem exigit (4). Secus vero si rem habet post dispensationis executionem, ut probabiliter dicunt Lugo Sanchez Cajet. Arm. et Vega, quia tunc, executa dispensatione, et ablata prohibitione matrimonii, cessat etiam malitia incestus. Item si quis petit secundam dispensationem, postquam obtinuerit primam super eodem delicto, debet exprimere primam; secus vero, si impedimentum non provenit ex aliquo crimine vel ex crimine diverso; uti communiter Coninch. Aver. Salm. et Conc. (5).

86. Explicandi sunt 3. omnes gradus consanguinitatis, aut affinitatis, quibus sponsi conjuncti sunt, tam gradus proximior quam remotior: v. gr. si conjuncti essent in secundo et tertio, aut in tertio et quarto, ut communiter dicunt Pont Silv. Salm. Tourn. etc.; nam etsi dispensatio tantum requiritur pro gradu remotiore, attamen s. Pius V. in suo motu proprio *Sanctissimus* declaravit quod obtenta dispensatione super gradu remotiore, nulla mentione facta proximioris, im-

(1) Lib. 6. n. 1138. et 1139. — (2) N. 1140.

(3) N. 1134. et 1135. — (4) n. 1141 — (5) n. 1137.

petrandæ sunt litteræ declaratoriæ super proximiore. Hæ tamen litteræ si non expediantur, matrimonium erit utique validum, sed illicitum (uti declaravit Benedictus XIV. in Brevi allato n. 83. *Etsi matrimonialis*, cum inserto decreto, *Cum super*, §. 6. referens etiam sic decisum fuisse a S. C. 18. Martii 1722.), modo conjuncti non sint in primo et secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu, in quo, sicut refert ibidem Benedictus, protestatus fuit s. Pius, se nolle dispensare, nisi expressus sit etiam primus gradus. Item notandum, quod si forte causa dispensationis cesset ante ejus expeditionem, aut executionem, cessat etiam dispensatio. Secus autem si cessat post executionem, licet nuptiæ adhuc celebratæ non sint, quia tunc jam sublatum est impedimentum. Ita satis probabiliter Pont. Suar. Castr. Salm. Silv. etc. contra Sanch. et Dicast. qui tamen hoc uti probabile etiam admittunt (1).

87. Præterea notandæ sunt clausulæ quæ solent apponi in dispensatione s. Pœnitentiariæ, 1. *Si ita est* : in quo fides habenda est postulanti, nisi constet de opposito, ut dicunt Sanch. et Cabass. Sed hic advertendum 1. Benedictum XIV. in Bulla *Ad apostolicæ servitutis* sub die 25. Febr. 1742. declarasse expressionem et verificationem causarum ad dispensationis valorem spectare. Si autem sponsi falso exposuissent pauperes esse, et propterea dispensatio concederetur *in forma pauperum*, dispensatio etiam est valida : uti declaravit S. C. Conc. 9. Sept. 1679. apud Monacelli (2). Advertendum 1. ad dispensandum super voto castitatis non sufficere simplicem tentationem, sed requiri vehementem incontinentiæ ; etiamsi periculum sit unius lapsus, uti recte dicunt Tournely et Pontas (3). II. *Audita prius sacramentali confessione* : juxta igitur hanc clausulam necesse est ut confessio præcedat ut dispensationi detur executio, ut dicunt Tourn. et Sanch. III. *Sublata occasione peccandi* : intelligitur si occasio est voluntaria, quia si esset necessaria, sufficit (ut ait Tourn.) ut media eligantur, quibus ex proxima fiat remota. IV. *Dummodo impedimentum sit occultum*. quando autem impedimentum putandum est esse occultum, jam dictum est *n.* 77. V. *Injuncta ei gravi pœnitentia* : intellige juxta vires pœnitentis, ut recte notat Tournely, cum Tiburtio et Nav. qui dicit posse imponi, ut per sex menses semel jejunet, aut ter Rosarium recitet qualibet hebdomada, aut frequentet confessionem (quam puto satis esse semel in mense), et hujusmodi. Quod si unquam, addit Tournely, pœnitens jam debitam pro suo peccato pœnitentiam egisset, potest tunc pœnitentia moderari, modo illa non sit injuncta a Pœnitentiaria, tanquam commutatio. VI. *Præsentibus laceratis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*. Hæ litteræ statim lacerandæ sunt, sed intellige moraliter, nempe intra tres dies postquam executioni demandatæ sunt; et intellige si matrimonium jam contractum erat ; secus si adhuc contrahendum est, tunc enim dispensatio occulte asservanda est a parocho, aut saltem adnotari in aliquo libro, qui a nemine alio aspici possit, ad hoc ut, si opus erit (nempe si forte impedimentum fieret publicum), possit de dispensatione impetrata fidem facere (4).

88. Maxime huc refert adnotare formulas ad obtinendam dispensationem a Pœnitentiaria super præfatis impedimentis, aut votis, aut irregularitatibus.

Si petatur dispensatio super impedimentis matrimonii, initus a parte superiori: *Eminentissime, et Reverendissime Domine*. Circa medium :

N. N. Cum carnaliter cognovisset quamdam mulierem, dedit fidem de

(1) l. c. n. 1136. — (2) Monac. t. 2. tit. 46. form. 2. n. 33. (3) l. 6. n. 1143.

(4) N. 1143. in fine.

matrimonio contrahendo N. N. ejus sorori. Et quoniam impedimentum est occultum, et matrimonium si cum præfata sorore non contraheretur, magnum eveniret scandalum, quapropter suppliciter orat Em. V. ut ei dispensationem benigne indulgeat. Responsum dignetur mittere Neapolim (aut *Neapoli Salernum*) *ad Rev...* (hic exprimitur nomen et cognomen) *confessarium approbatum. Et id pro gratia habebit etc.* Si vero matrimonium est jam contractum, poterit sic scribere : *N. N. ignarus* (aut *conscius*) *impedimenti, contraxit cum muliere, matrem* (sive *sororem*) *cujus jam antea carnaliter cognoverat ; sed cum impedimentum sit occultum, ideoque cum nequeat sine scandalo separari, supplicat Em. V. pro absolutione et dispensatione. Responsum, etc.*

Circa vota castitatis aut religionis: *N. N. cum castitatis voto sit obstrictus, et cum in gravi versetur periculo incontinentiæ, suppliciter orat Em. V. ut dignetur oratori a præfato voto dispensationem indulgere, quo matrimonium contrahere possit etc.*

Circa irregularitates : *N. N. Sacerdos incurrit irregularitatem ob homicidium* (aut *abortum*, aut *violationem censuræ*) etc. *et cum ei imminet periculum infamiæ, si a celebrando se abstinet, ideo supplicat etc.*

Foris vero in superscriptione: *Eminentissimo ac Reverendiss. Domino, Domino Colendiss.*

Domino Cardinali Pœnitentiario majori, Romam.

89. Confessarius vero cui commissa est dispensationis executio; in dispensando, absolutione sacramentali impertita, hæc formula uti poterit : *Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (seu *secundi*, seu *primi et secundi*) *gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti* (aut contrahere intendis) *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies* (vel *suscepisti*) *legitimam declaro, in nomine Patris*, etc. Sed si dispensatio est a voto castitatis dicet: *Insuper votum castitatis, quod remisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti in opera quæ tibi præscripsi dispensando, commuto, in nomine, etc.* Si autem, non obstante voto castitatis, aliquis jam matrimonium contraxisset, dicet : *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso, in nomine, etc.*

Si quis autem scire cupiat quibus facultatibus s. Pœnitentiaria gaudeat in dispensando ab impedimentis matrimonii, in casibus papalibus, censuris irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, vid. *Tr. 19. n. 148. de facult. s. Pœnit.*

CAPUT III.

De divortiio

90. *De divortio quoad vinculum.*
91. *Quoad torum; et quot causis potest fieri divortium. I. Causa delicti. II. Morbi III. Consensus.*
92. *IV. Timoris damni V. Adulterii*
93. *Sed 1. requiritur adulterium perfectum, et certum. 2. An teneatur conjux se separare.*
94. *Casus in quibus non potest separari ab adultera.*
95. *De jure revocandi adulterum.*
96. *An possit propria auctoritate.*
97. *Facto divortio quis conjugum potest religionem ingredi.*

90. Divortium bifarium esse potest quoad vinculum, et quoad torum. Divortium quoad vinculum tribus tantum casibus dari potest 1. Si alter conjugum moritur. 2. Si duorum conjugum infidelium alter ad fidem convertitur, saltem si infidelis sine Creatoris injuria pacifice cohabitare renuit. 3. Si antequam consummetur matrimonium, intra primum bimestre ad hunc finem a lege concessum, alter ingrederetur religionem. Itaque inter infideles matrimonium licet sit validum, non tamen est indissolubile ;

petrandæ sunt litteræ declaratoriæ super proximiore. Hæ tamen litteræ si non expediantur, matrimonium erit utique validum, sed illicitum (uti declaravit Benedictus XIV. in Brevi allato n. 83. *Etsi matrimonialis*, cum inserto decreto, *Cum super*, §. 6. referens etiam sic decisum fuisse a S. C. 18. Martii 1722.), modo conjuncti non sint in primo et secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu, in quo, sicut refert ibidem Benedictus, protestatus fuit s. Pius, se nolle dispensare, nisi expressus sit etiam primus gradus. Item notandum, quod si forte causa dispensationis cesset ante ejus expeditionem, aut executionem, cessat etiam dispensatio. Secus autem si cessat post executionem, licet nuptiæ adhuc celebratæ non sint, quia tunc jam sublatum est impedimentum. Ita satis probabiliter Pont. Suar. Castr. Salm. Silv. etc. contra Sanch. et Dicast. qui tamen hoc uti probabile etiam admittunt (1).

87. Præterea notandæ sunt clausulæ quæ solent apponi in dispensatione s. Pœnitentiariæ, 1. *Si ita est* : in quo fides habenda est postulanti, nisi constet de opposito, ut dicunt Sanch. et Cabass. Sed hic advertendum 1. Benedictum XIV. in Bulla *Ad apostolicæ servitutis* sub die 25. Febr. 1742. declarasse expressionem et verificationem causarum ad dispensationis valorem spectare. Si autem sponsi falso exposuissent pauperes esse, et propterea dispensatio concederetur *in forma pauperum*, dispensatio etiam est valida : uti declaravit S. C. Conc. 9. Sept. 1679. apud Monacelli (2). Advertendum 1. ad dispensandum super voto castitatis non sufficere simplicem tentationem, sed requiri vehementem incontinentiæ ; etiamsi periculum sit unius lapsus, uti recte dicunt Tournely et Pontas (3). II. *Audita prius sacramentali confessione* : juxta igitur hanc clausulam necesse est ut confessio præcedat ut dispensationi detur executio, ut dicunt Tourn. et Sanch. III. *Sublata occasione peccandi* : intelligitur si occasio est voluntaria, quia si esset necessaria, sufficit (ut ait Tourn.) ut media eligantur, quibus ex proxima fiat remota. IV. *Dummodo impedimentum sit occultum*. quando autem impedimentum putandum est esse occultum, jam dictum est *n.* 77. V. *Injuncta ei gravi pœnitentia* : intellige juxta vires pœnitentis, ut recte notat Tournely, cum Tiburtio et Nav. qui dicit posse imponi, ut per sex menses semel jejunet, aut ter Rosarium recitet qualibet hebdomada, aut frequentet confessionem (quam puto satis esse semel in mense), et hujusmodi. Quod si unquam, addit Tournely, pœnitens jam debitam pro suo peccato pœnitentiam egisset, potest tunc pœnitentia moderari, modo illa non sit injuncta a Pœnitentiaria, tanquam commutatio. VI. *Præsentibus laceratis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*. Hæ litteræ statim lacerandæ sunt, sed intellige moraliter, nempe intra tres dies postquam executioni demandatæ sunt; et intellige si matrimonium jam contractum erat ; secus si adhuc contrahendum est, tunc enim dispensatio occulte asservanda est a parocho, aut saltem adnotari in aliquo libro, qui a nemine alio aspici possit, ad hoc ut, si opus erit (nempe si forte impedimentum fieret publicum), possit de dispensatione impetrata fidem facere (4).

88. Maxime huc refert adnotare formulas ad obtinendam dispensationem a Pœnitentiaria super præfatis impedimentis, aut votis, aut irregularitatibus.

Si petatur dispensatio super impedimentis matrimonii, initus a parte superiori: *Eminentissime, et Reverendissime Domine*. Circa medium :

N. N. Cum carnaliter cognovisset quamdam mulierem, dedit fidem de

(1) l. c. n. 1136. — (2) Monac. t. 2. tit. 46. form. 2. n. 33. (3) l. 6. n. 1143.

(4) N. 1143. in fine.

matrimonio contrahendo N. N. ejus sorori. Et quoniam impedimentum est occultum, et matrimonium si cum præfata sorore non contraheretur, magnum eveniret scandalum, quapropter suppliciter orat Em. V. ut ei dispensationem benigne indulgeat. Responsum dignetur mittere Neapolim (aut *Neapoli Salernum*) *ad Rev...* (hic exprimitur nomen et cognomen) *confessarium approbatum. Et id pro gratia habebit etc.* Si vero matrimonium est jam contractum, poterit sic scribere : *N. N. ignarus* (aut *conscius*) *impedimenti, contraxit cum muliere, matrem* (sive *sororem*) *cujus jam antea carnaliter cognoverat ; sed cum impedimentum sit occultum, ideoque cum nequeat sine scandalo separari, supplicat Em. V. pro absolutione et dispensatione. Responsum, etc.*

Circa vota castitatis aut religionis: *N. N. cum castitatis voto sit obstrictus, et cum in gravi versetur periculo incontinentiæ, suppliciter orat Em. V. ut dignetur oratori a præfato voto dispensationem indulgere, quo matrimonium contrahere possit etc.*

Circa irregularitates : *N. N. Sacerdos incurrit irregularitatem ob homicidium* (aut *abortum*, aut *violationem censuræ*) etc. *et cum ei imminet periculum infamiæ, si a celebrando se abstinet, ideo supplicat etc.*

Foris vero in superscriptione: *Eminentissimo ac Reverendiss. Domino, Domino Colendiss.*

Domino Cardinali Pœnitentiario majori, Romam.

89. Confessarius vero cui commissa est dispensationis executio; in dispensando, absolutione sacramentali impertita, hæc formula uti poterit : *Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (seu *secundi*, seu *primi et secundi*) *gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti* (aut contrahere intendis) *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies* (vel *suscepisti*) *legitimam declaro, in nomine Patris*, etc. Sed si dispensatio est a voto castitatis dicet: *Insuper votum castitatis, quod remisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti in opera quæ tibi præscripsi dispensando, commuto, in nomine, etc.* Si autem, non obstante voto castitatis, aliquis jam matrimonium contraxisset, dicet : *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso, in nomine, etc.*

Si quis autem scire cupiat quibus facultatibus s. Pœnitentiaria gaudeat in dispensando ab impedimentis matrimonii, in casibus papalibus, censuris irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, vid. *Tr. 19. n. 148. de facult. s. Pœnit.*

CAPUT III.

De divortiio

90. *De divortio quoad vinculum.*
91. *Quoad torum; et quot causis potest fieri divortium. I. Causa delicti. II. Morbi III. Consensus.*
92. *IV. Timoris damni V. Adulterii*
93. *Sed 1. requiritur adulterium perfectum, et certum. 2. An teneatur conjux se separare.*
94. *Casus in quibus non potest separari ab adultera.*
95. *De jure revocandi adulterum.*
96. *An possit propria auctoritate.*
97. *Facto divortio quis conjugum potest religionem ingredi.*

90. Divortium bifarium esse potest quoad vinculum, et quoad torum. Divortium quoad vinculum tribus tantum casibus dari potest 1. Si alter conjugum moritur. 2. Si duorum conjugum infidelium alter ad fidem convertitur, saltem si infidelis sine Creatoris injuria pacifice cohabitare renuit. 3. Si antequam consummetur matrimonium, intra primum bimestre ad hunc finem a lege concessum, alter ingrederetur religionem. Itaque inter infideles matrimonium licet sit validum, non tamen est indissolubile ;

tunc indissolubile fit, cum uterque conjux ad Fidem convertitur, modo illud consumment post conversionem; aliter Papa in aliquo (sed urgentissimo) casu etiam illud potest dissolvere. Quod si tantum alter convertitur, hic non potest ad alias nuptias transire, nisi in casu (ut dictum est) quo alter non conversus velit inducere eum in peccatum, et renuit cohabitare sine contumelia divini Nominis, ut exprimitur in *cap. Quanto. de Divort.* Hoc ita erat primævis temporibus, sicut scripsit apostolus 1. *Cor.* 7. 13. et seq. ex eo quia tunc temporis ob miracula quæ sæpe sæpius fideles operabantur, multi infideles ad Fidem veniebant ; sed hodie, jam cessatis miraculis ita frequentioribus, recte dicunt Sanchez Pont. Tourn. Conc. Salmant. etc. cum communiori, non licere amplius cum conjuge infideli cohabitare, ob perversionis periculum ; quare hac nostra tempestate, si conjux infidelis admonitus converti recusat, fidelis potest et debet eum derelinquere, et potest ad alias transire nuptias, ut habetur ex instructionibus Gregorii VIII., et sancti Pii V. (1). Loquendo autem de matrimonio inter fideles, illud certe est indissolubile, usquedum vivunt, nisi esset quod alter eorum ante consummationem religionem profiteretur. Ideoque conjugibus conceduntur duo menses a matrimonii celebratione, in quibus non tenentur reddere debitum conjugale, ut habetur ex *cap. Si quis Coni.* 25. *qu.* 7. et ex Trident. *sess.* 24. *can.* 6. Quod si quis in religionem se reciperet elapso bimestri, professio esset illicita, sed non invalida, ut dicunt communiter Sanchez Pont. Salm. Trullench. etc. (2). Hoc tamen intelligitur modo matrimonium non sit necessarium ad legitimandam prolem, vel ad reparandum scandalum, aut sponsæ infamiam : nam tunc non posset sponsus eam derelinquere, ne religionem quidem ingrediendo (3).

(1) l. 6. n. 957.—(2) n. 958.—(3) Ibid.

Quæstio autem est, an Papa possit dispensatione sua matrimonium ratum solvere. Duplex adest sententia. Negant Pont. Gonet. s. Bonav. Scotus Castrop. Sot. etc. dicentes matrimonium ratum ejusdem esse naturæ ac consummatum, unde lege divina indissolubile est ; sed affirmant Bellarm. Sanch. Cajet. Navar. Vasq. Coninch. Salm. etc. dicendo quod Papa tanquam Vicarius Christi potest dispensare in aliquibus, quæ sunt de jure divino, sed humanos actus concernunt, urgente tamen magna causa, ut esset in casu v. g. si superveniret impotentia conjugum, aut scandalum imminens, aut bonum publicum. Addunt etiam, si adsit disparitas conditionis, morbus contagiosus, dissensiones perversæ, mutuus conjugum consensus, sed merito has quatuor causas non admittit P. Concina, saltem si non urgeat necessitas boni publici ; nam alias istis admissis pauca matrimonia rata et firma restarent (4).

91. Quoad divortium *tori*, et cohabitationis, firmo remanente vinculo conjugali, sex causis potest hoc divortium fieri. 1. Si alter conjugum aliquod committeret delictum alteri perniciosum, ut si conaretur eum in peccatum inducere, aut si a Fide deficeretur; tunc enim innocens potest, imo debet eum derelinquere, si est in periculo perversionis ; et si delictum est publicum, et si divortium factum est ex Ecclesiæ sententia, tunc potest etiam fieri Religiosus, ut habetur ex *Can. De illa, de Divort* (5). 2. Si alter conjugum lepra sit fœdatus, aut alio morbo contagioso laborat, aut si sit amens, furiosus, aut maleficus, aut obsessus ; dum recte tunc potest alter separari, si manet in gravi periculo alicujus damni (6). In casu tamen lepræ, ait s. Thomas (7) quod sanus tenetur reddere debitum, sed non cohabitare. 3. Si conjuges ex communi consensu separentur, quod ceteroquin permitti non solet, si ambo non ingrediuntur religionem, aut saltem nisi, muliere religionem profitente, vir Sacris initietur. Attamen si uxor 60 annos esset nata, aut etiam 50. et castitatem voveret, dicunt Sanch. Bonac. Barb. Viva, etc. etiamsi ipsa in sæculo remaneret, posset vir ingredi religionem, aut sacerdotio initiari (1). Si autem conjux qui in sæculo manet, nesciebat se in tali casu teneri ad vovendam castitatem inquiunt Sanch. et alii contra Anacletum apud Ferraris (2), quod etiam post datum consensum, revocare potest conjugem, qui jam professus est.

(4) N. 959. — (5) N. 973. et 974. — (6) N. 973. v. 4. morbus. — (7) Sup. q. 64. a. 1. ad 4.

92. 4. Justa etiam causa est divortii conjugis *sævitia cap. Ex transmissa de Rest. spol.* et hoc licet conjux justa indignatione sit arreptus, nempe ob aliquod delictum ipsius, uti habetur ex c. de Benedicto 33. *q.* 1. Dicunt etiam Sanch. Salm. et alii communiter, sufficere ad divortium, si conjux malum grave timeret sibi, aut filiis, aut suis propinquis ab altero conjuge, aut ab ejus conjunctis ; et pro malo gravi non tantum intelliguntur minæ mortis, aut gravis vulneris, cum conjux solet eas exequi, sed etiam convicia crebra, et gravia pro personæ qualitate, v. g. si est nobilis (3). Quæritur autem an sola verbera sufficiant ad divortium ? Dicunt communissime Pont. Ronc. Sanch. Silv. Arm. etc. licere viro aliquando uxorem verberare, modo id frequenter non faciat, nec severe ; quare dicit Sanch. non posse uxorem separari, cum verbera sunt levia (excipiunt Salm. si uxor sit nobilis). Addunt Ronc. Bonac. Castr. cum eodem Sanch. licet verberationes fuissent graves, sed semel illa sic vapulavit, nec timeretur probabiliter ne replicarentur (4). Advertendum tamen cum Sanch. Salm. Cast. Anacl. etc. talem separationem ob sævitiam non posse fieri sine judicis auctoritate, nisi esset quod damni periculum moram non pateretur, aut nisi quia conjux timens damnum non posset litigare, aut judicem adire, aut non posset faciliter probare periculum (5). 5. Si alter conjugum adulteraretur, uti habetur ex Matth. *c.* 5. v. 32. *et* 19. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur*, et ex *c. Ex litteris* et ex *c. Significasti, de Divort.*

(1) l. 6. n. 975. — (2) Ferrar. bibl. v. Conjux, n. 23. — (5) l. 6. n. 970. et 971. v. quær. 3. — (4) N. 972.

93 Sed super hac 5. causa adulterii, plura notanda hic sunt. Notandum 1. ad faciendum divortium requiri adulterium perfectum cum effusione seminis, ut dicunt probabiliter Sanch. Fill. Bon. Salm. Escob. Led. etc. contra Sot. Silv. Conc. etc. quia nomine fornicationis intelligitur consummata per seminationem, qua fit carnis divisio (6). Et non sufficit de hoc aliquam habere probabilitatem, sed requiritur, ut talis adsit præsumptio, ut fundet moralem certitudinem, sicut communiter dicunt Sotus Sa Viva cum s. Bonav. s. Antonin. et s. Thoma (7), ut esset, si testes asserant vidisse *solum cum sola, nudum cum nuda in eodem, lecto jacentem* sicut dicitur in *c. Cæteris*, 12. *de Præsumpt.* Et præfatæ circumstantiæ intelliguntur eonjunctæ (dum non sufficit, ut sit inventus *solus cum sola*) ut dicunt Sanchez, et Navar. Nec per se sufficiunt soli tactus, amplexus et oscula, ut dicunt Pont. Viva Sanch. Palud. Barb. Nav. Castr. Contra dicunt idem San. Viva. Castrop. cum aliis sufficere pro foro conscientiæ, si unus fidei integræ testetur adulterium, aut aliquod vehemens det indicium Et sufficit etiam (ut dicit Castr. cum Menoch.) epistola uxoris in qua confitetur suum adulterium. Et ita etiam puto sufficere, si aspiciatur solus cum sola in eodem lecto (8). An autem liceat face-

(5) N. 971. — (6) N. 962. quær. 3. — (7) in 4. d. 35. q. un. a 3. ad 4. — (8) l. 6. n. 961.

re divortium ob sodomiam aut bestialitatem a conjuge commissam? Negant Innoc. Abul. etc., quia hæc crimina non sunt fornicationes. Affirmant vero communiter Sanchez Sot. Castrop. Salm. Conc. etc. quia, ut aiunt, jam ille fidem conjugalem lædit carnem cum alio dividendo. Cæterum recte ait Pontius, quod hæc sententia, licet sit communis, attamen ratione non probatur, quia semper responderi potest, quod sine copula naturali caro non dividitur (1).

94. Notandum 1. quod ratione adulterii non tenetur vir separari ab adultera, dumtaxat poterit ad id teneri, ut illa corrigatur, si alius non suppeteret modus, ut dicunt s. Thomas (2), s. Bonav. Cajet. Salm. etc. sed modo intelligitur) ex separatione grave non esset passurus incommodum, ut communiter dicunt s. Antonin. Pont. Castr. Sot. Sanch. Salm. Bon., etc. (3). Potest teneri etiam, ut vitet scandalum, nempe ne videatur ipse peccato uxoris consentire, uti dicunt s. Thomas loco cit., Sanch. Pont. Salm. etc. et exprimitur. c. *Si vir. de Adult.* et c. *Non solum* 6., *caus.* 28. *q.* 1. Sed hoc intelligitur 1. ut dicunt Pont. Sanch. Salm. s. Antonin., etc. si adulterium est publicum. 2. Ut communiter dicunt Laym. Bonac. Tolet. Caj. etc. si nullus alius subest modus, quo scandalum reparetur, et modo vir justam non habeat causam ne dividatur, ut si ipse remaneret in periculo incontinentiæ, aut alterius damni gravis, aut si putaret quod si illam a se dimitteret, deterior fieret; unde concludit s. Antonin. *Ergo vir cum detrimento juris sui, et periculo, non tenetur* (uxorem) *expellere.* Imo probabiliter subjungunt Castropal. Laym. etc. cum eodem s. Antonin. quod si uxor jam præbuerit sufficientia indicia, quod ipse ægre ferat mulieris adulterium, ad nihil aliud tenetur; quia tunc scandalum aliorum esset pharisaicum (4).

(1) l. 6. n. 962. — (2) suppl. q. 62. a. 2. ad 1. — 3) l. 6. n. 963. v. q. 4. — (4) ib. v. quod prop. fin.

Ita etiam uxor tenetur diverti a viro, cum hoc esset necessarium, non ut auferatur scandalum, quia numquam supponitur uxor consentire viri adulterio, sed ut ipse respiscat. Cæterum difficulter, dicunt Suar. Castr. Salm. et alii, mulier ad hoc tenebitur; etenim difficulter uxor potest cum fructu virum corripere, et ipsa rarissime a viro discedere potest sine gravi incommodo; et ita pariter difficulter ob correctionem tenentur uxores negare debitum viris; ita s. Antonin. Bonacina Sanchez Filliuc. (5). Si autem conjux adulter esset jam emendatus, et esset in periculo incontinentiæ, congruens esset ut innocens sibi reconciliaret jam emendatum, si commode potest, ut dicunt Salm. Sed ego non auderem illam obligare ad id sub gravi (uti volunt Bus. Conc. etc.), dum ex una parte Dominus jam eam liberavit a cohabitatione; et ex alia videtur charitas non obligare cum tanto onere ad vivendum cum eo qui sibi fidem fregit. Nec obstat quod dicitur in *cap. Si quis, de adult.*: *Debet, sed non sæpe, recipere pœnitricem*; dum recte to *debet* explicat *Glossa*: *Debet debito honestatis, non necessitatis* (6).

95. Notandum 3. in quatuor casibus non potest fieri divortium ab altero adultero, nempe 1. Si uterque sit adulterii reus. Est probabile tamen cum Sanch. Coninch. Bon. Salmant. Viva, etc. quod emendatus possit diverti ab obfirmato in adulterio, licet sententia opposita Pont. Dicast. Led. Hurtad. etc. etiam probabilis sit (7). 2. Si alter consentit adulterio alterius, uti habetur ex c. *Discretionem, de Eo qui cogn.*, etc.; sed non sufficit ad præsumendum talem consensum occasio, quam præbuisset vir uxori adulterandi, eam relinquendo, aut eam duriter habendo, sicut dicit textus; nec sufficit dissimulatio ejusdem, quod ille non potuisset sine suo gravi incommodo impedire uxoris delictum; ita communiter Sanch. Bon. Coninch. Peyr.

(5) N. 964. — (6) N. 965. — (7) N. 966

Salmant. etc. ex s. Thoma (1). 3. Si uxor adulterata fuisset sine sua culpa nimirum si vi oppressa fuisset (secus vero si consensisset metu gravi, ut advertit Sanch.), aut si adulterium evenisset ex errore inculpabili: ita communiter dd. cum s. Thoma (2) Dicit tamen Dicast. quod si vir crederet uxorem jam mortuam, et aliam cognosceret, non potest eum uxor respuere, sed non e converso (3). 4. Si injuria jam remissa est sive ante, sive post divortium, ut præsumitur, si innocens conscius adulterii sponte coierit cum adultero, aut manet in eadem domo, mensa et toro, maxime si accedant amplexus, tactus, et oscula; ita s. Thomas (4) Sanch. Salm. Dicast. Trull. etc. Advertunt tamen Sanchez Filliuc. Salm. Aver. Villal. etc. quod si revera conjux per dictos actus non intendit remittere injuriam in conscientia potest semper separari (5).

96. Notandum 3. quod licet divortium factum sit ex judicis sententia, conjux innocens semper habet jus ad se revocandi adulterum, sicut docent communiter (contra Sotum) Sanch. Silv. Sa Pont. Bonac. Salm. Gutt. etc. cum s. Thoma (6) qui dicit: *Cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum vel revocandi uxorem; unde uxor tenetur ei reddere et ad eum redire, si fuerit revocata.* Et ad hoc non opus est (ut recte dicit Sanch.) nova judicis sententia. Cæterum scite animadvertit Castrop. cum Guttier. quod difficulter mulier adultera poterit obligari ad redeundum ad virum, quia semper potest rationabiliter timere periculum mortis aut ne crudeliter tractetur, nisi adsint argumenta probabilia in contrarium (7). Sed fit 1. dubium an, quando conjux innocens etiam ipse in adulterium laberetur, sed facto jam divortio per sententiam, teneatur redire ad adulteram quæ eum ad se revocat? Affirmant Pont s. Antonin. s. Bon. Conc. Sot. etc; sed probabilius negant Sanch. Bon. Fill. Salmant. Regin. et alii cum s. Thoma (8). Ratio est, quia primus adulter ex sententia jam omnino spoliatus fuit omni jure super innocentem. In eo casu tamen dicit s. Thomas cum aliis communiter, quod potest judex cogere secundum adulterum, ut iterum uniatur, ad hoc ut ita consulatur tum illius animæ, cum etiam scandalo aliorum (9). Fit 2. dubium an possit fieri divortium propria auctoritate innocentis? Tres adsunt sententiæ probabiles. *Prima* cum Bellar. Aver. et Conc. cum s. Thoma absolute negat. *Secunda* cum Layman Pont. s. Antonin. Salm., etc. distinguit: affirmat si adulterium est notorium; sed negat si est occultum, quia tunc injuste patefieret infamia adulteri. *Tertia* cum Sanch. Sot Abb. Bon. Sa Fill. Led. Reg., etc. absolute affirmat, sive adulterium sit publicum, sive occultum. Si est publicum probatur ex cap. *Ex parte* 9. *de spons.* ubi dicitur: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* Ergo licet, si fornicatio est manifesta. Si autem est occultum, probatur ex *cap. Dicit Dominus* 32. *q.* 1. ubi hæc habentur: *ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio* (intelligitur suspicio illa vehemens quæ fundat certitudinem moralem, ut dictum est *n.* 93.) *libere dimittitur uxor.* Dicitur *libere*, ergo non requiritur nec sententia, nec licentia; nam Dominus absolute concessit conjugi ab adultero diverti. Et hanc sententiam puto probabiliorem, saltem quando adulterium est ex parte uxoris, nam valde durum esset viro in judicium adducere mulieris infidelitatem, quod esset sibi perpetuo probro. Quod si forte ju-

(1) suppl. q. 62. a. 4. — (2) suppl. q. 62. a. 4. — (3) l. 6. n. 966. v. tertius. — (4) suppl. qu. 62. a. 4. — (5) l. 6. cit. n. 966. v. quartus — (6) suppl. b. 62. a. 6. ad 3. — (7) l. 6 n. 967.

(8) suppl. qu. 62. a. 6. ad 3. — (9) l. 6. n. 967. dubit. 2.

dex eum obligaret ad cohabitandum, scite ait Bonac. quod tunc ille teneretur tantum ad cohabitandum sed non ad reddendum debitum (1).

97. Denique notandum quod facta separatione per sententiam, conjux innocens potest religionem ingredi, ut ex *cap. Gaudemus* 27. *q.* 2. et potest etiam Sacris epitiari ut dicunt communiter dd.; contra adulter nequit fieri nec religiosus nec sacerdos, nisi de alterius licentia, aut nisi alter jam statum irretractabilem assumpsisset. Alias etiam religionem professus potest revocari ab innocente et teneretur redire. Dictum est, *nisi de licentia alterius*, sed sufficit etiam tacita, v. gr. si alter cognoscens adulterum velle statum mutare, ipse, cum commode possit, id facere illum non impedit. Et sufficit etiam, ut dicunt Sanch. Coninch. Bon. Salm. et alii ex *cap. Gaudemus, de convers. conjug.* si alter requisitus pro reconciliatione, neget; imo addunt Pont. Sanch. Castrop. etc. sufficere, si adulter per biennium non sit revocatus, ut disponitur in *Auth. Sed hodie, c. ad* 1. *Jul. de Adult.* (2). Notandum hic tandem quod facto juridice divortio, filii educandi sunt apud conjungem innocentem; et in quantum ad expensas, si divortium evenit patris culpa, ejus expensis filii alendi sunt, ut exprimitur in *Auth. Si Pater, c. Divort. facto, etc.* Et idem currit si divortium factum sit matris culpa, ut dicunt communiter Laym. Castr. Sanch. Silv. Pal. etc. contra pauciores. Advertit tamen Sanch. cum communi quod ut ad has expensas teneatur, requiritur judicis sententia (3).

(1) l. 6. n. 968 (2) N. 969. — (3) N. 976.

TRACTATUS XIX.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS

CAPUT I.

De censuris in genere.

PUNCTUM I

DE CENSURARUM EMANATIONE.

1. *Quid et quotuplex sit censura.*
2. *Quando dicitur latæ, et quando ferendæ sententiæ.*
3. *Quis potest ferre censuras? De censura metu inflicta.*
4. *Quid requiritur, ut subditus censura feriatur, etc. An Episcopi, aut reges, etc. An communitas, etc.*
5. *An Prælatus possit extra diœcesim existens censuras ferre in subditos, et quid si subditus fuerit extra diœcesim.*
6. *An possit censurari peregrinus.*
7. *Quale peccatum requiritur ut imponatur censura. De mandante, consulente, etc.*
8. *An excuset ignorantia et metus; et an censura potest imponi pro delictis præteritis.*
9. *De solemnitate ad censurarum promulgationem requisita.*
10. *Quid si causa est falsa aut dubia.*

1. Censura definitur: *Est pœna spiritualis et medicinalis, qua delinquenti et contumaci auferitur usus quorumdam spiritualium bonorum.* Censura trifariam dividitur 1. In excommunicationem, suspensionem et interdictum. 2. In inflictam *a jure*, nempe a lege generali permanente, et in eam quæ est *ab homine*, nempe a Prælato per sententiam generalem (sive statutum) in eos qui aliquod committunt delictum. Sententia generalis, sive statutum respicit locum et peccata futura, quare si subditus extra locum illum delinquit, non incurrit censuram *cap Ut animarum* 2. *de Constit. in* 6. ubi dicitur: *Statuto Episcopi... subditi qui furtum extra ipsius diœcesim committunt, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Sententia autem particularis emanari solet ob præterita delicta, et in personas determinatas;

ideoque hæc, cum afficiat personam, bene potest ferri in subditum etiam exemptum, citando eum per Edictum. 3. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæ statim incurritur; et *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur, nisi post sententiam (1).

2. Ad dignoscendum quandonam censura est *latæ*, et quando *ferendæ sententiæ*. dicunt dd. quod, cum verba includunt actionem ab altero faciendam, sunt *ferendæ*: quando aliter, sunt *latæ*; unde dicunt esse *latæ sententiæ* quando dicitur: *Ipso jure, ipso facto, aut sine alia sententia;* aut si verba sint præteriti aut præsentis temporis, v. gr. *excommunicamus excommunicatus est, excommunicantur, jubemus esse excommunicatum, etc.* Contra sunt *ferendæ sententiæ*, si verba sunt de tempore futuro, *excommunicabitur*, aut si sunt comminativæ, *sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis* (modo ex contextu aliorum verborum oppositum non arguatur): item si dicitur: *volumus excommunicari*, aut *excommunicetur*; hoc tamen intelligi debet, quando a jure imponitur Episcopo præceptum excommunicandi; sed quando absolute dicitur, *excommunicetur, suspendatur*, etc., intelligitur *latæ sententiæ*, ut communiter dicunt Bonac. Silvest. Suar. Vasq., etc. (2). Cum autem dicitur *excommunicatus*, aut *anathema sit*, volunt Suar. et Tournely esse *latæ sententiæ*; sed Sanch. Laym. Dicast. volunt esse *ferendæ*, modo non sit adversus aliquem errorem hæresis; utraque sententia est probabilis (3). Si autem dicatur: *maneat excommunicatus*, aut *suspensus*, volunt Nav. Silv. Henriq., etc. neutram incurri censuram; sed Sayrus Bon. Salm. Con., etc. tenent tunc dari optionem reo ad eligendam quam malit (4).

3. Quæritur 1. quis ferre potest censuras? Resp. Papa, Episcopi, et etiam eorum Vicarii, ut recte dicunt Busemb. Fagnan. Suar. Sanch. Tournely. etc. contra Sayrum, etc. Vicarii capitulares, Concilia provincialia, Prælati regulares, et eorum capitula et cæteri omnes quibus concessa est facultas; sed non parochi, et tanto minus laici, et mulieres licet sint. Abbatissæ; nam illæ non sunt capaces jurisdictionis ecclesiasticæ (5). Quare qui censuram ferre potest, saltem sit tonsuratus, et habeat jurisdictionem expeditam, quoad usum: adeoque Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus, aut schismaticus non potest ligare aliquem censura, *c. Exceptionem de Except.*; nec ejus Vicarius, *c.* 1. *de Offic. Vicar. in* 6.; sed excommunicatus, aut hæreticus occultus valide (licet illicite) censuras fert, ut communiter Suar. Sot. Salm, etc.; imo idipsum dicunt Bonac. Dian. Ávil., etc. de publico excommunicato, si nominatim non est denuntiatus (6). Hic notandum censuram ex coactione, sive metu gravi esse validam; ita Suar. Bon. Castr. Tour. Salm., etc. contra alios; sicut contra invalida est absolutio metu injusto extorta, ex *cap Verbum Pœnitent.* (7).

4. Quæritur 2. quid requiritur ut quis censura ligari possit? Requiritur 1. ut sit baptizatus. 2. Ut usu rationis polleat: advertendum tamen hic censuras latas a jure, aut ab homine sententia generali non incurri ab impuberibus, nisi expressum sit in lege, ut est expressum de pueris, qui monasteria Monialium ingrediuntur, Trid. *sess.* 25. *c.* 5. aut qui percutiunt Clericos *c. Pueris fin. de sent. excom.* (8). Ut sit subditus, unde probabilius cum Lugo, et aliis, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 138. Episcopus non potest ferre censuras in peregrinos, si illi iterum post monitionem non delinquerint. Item notandum Episcopos non incurrere cen-

(1) l. 7. a. n. 1. ad 6. — (2) N. 7. et 8. — (3) N. 8. in fin. (4) N. 62. (5) N. 9. 10. et 11. — (6) N. 12. et v. requir. 5 — (7) ib. requir. 6. — (8) N. 13 ad 15.

dex eum obligaret ad cohabitandum, scite ait Bonac. quod tunc ille teneretur tantum ad cohabitandum sed non ad reddendum debitum (1).

97. Denique notandum quod facta separatione per sententiam, conjux innocens potest religionem ingredi, ut ex *cap. Gaudemus* 27. *q.* 2. et potest etiam Sacris epitiari ut dicunt communiter dd.; contra adulter nequit fieri nec religiosus nec sacerdos, nisi de alterius licentia, aut nisi alter jam statum irretractabilem assumpsisset. Alias etiam religionem professus potest revocari ab innocente et teneretur redire. Dictum est, *nisi de licentia alterius*, sed sufficit etiam tacita, v. gr. si alter cognoscens adulterum velle statum mutare, ipse, cum commode possit, id facere illum non impedit. Et sufficit etiam, ut dicunt Sanch. Coninch. Bon. Salm. et alii ex *cap. Gaudemus, de convers. conjug.* si alter requisitus pro reconciliatione, neget; imo addunt Pont. Sanch. Castrop. etc. sufficere, si adulter per biennium non sit revocatus, ut disponitur in *Auth. Sed hodie, c. ad* 1. *Jul. de Adult.* (2). Notandum hic tandem quod facto juridice divortio, filii educandi sunt apud conjungem innocentem; et in quantum ad expensas, si divortium evenit patris culpa, ejus expensis filii alendi sunt, ut exprimitur in *Auth. Si Pater, c. Divort. facto, etc.* Et idem currit si divortium factum sit matris culpa, ut dicunt communiter Laym. Castr. Sanch. Silv. Pal. etc. contra pauciores. Advertit tamen Sanch. cum communi quod ut ad has expensas teneatur, requiritur judicis sententia (3).

(1) l. 6. n. 968 (2) N. 969. — (3) N. 976.

TRACTATUS XIX.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS

CAPUT I.

De censuris in genere.

PUNCTUM I

DE CENSURARUM EMANATIONE.

1. *Quid et quotuplex sit censura.*
2. *Quando dicitur latæ, et quando ferendæ sententiæ.*
3. *Quis potest ferre censuras? De censura metu inflicta.*
4. *Quid requiritur, ut subditus censura feriatur, etc. An Episcopi, aut reges, etc. An communitas, etc.*
5. *An Prælatus possit extra diœcesim existens censuras ferre in subditos, et quid si subditus fuerit extra diœcesim.*
6. *An possit censurari peregrinus.*
7. *Quale peccatum requiritur ut imponatur censura. De mandante, consulente, etc.*
8. *An excuset ignorantia et metus; et an censura potest imponi pro delictis præteritis.*
9. *De solemnitate ad censurarum promulgationem requisita.*
10. *Quid si causa est falsa aut dubia.*

1. Censura definitur: *Est pœna spiritualis et medicinalis, qua delinquenti et contumaci auferitur usus quorumdam spiritualium bonorum.* Censura trifariam dividitur 1. In excommunicationem, suspensionem et interdictum. 2. In inflictam *a jure*, nempe a lege generali permanente, et in eam quæ est *ab homine*, nempe a Prælato per sententiam generalem (sive statutum) in eos qui aliquod committunt delictum. Sententia generalis, sive statutum respicit locum et peccata futura, quare si subditus extra locum illum delinquit, non incurrit censuram *cap Ut animarum* 2. *de Constit. in* 6. ubi dicitur: *Statuto Episcopi... subditi qui furtum extra ipsius diœcesim committunt, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Sententia autem particularis emanari solet ob præterita delicta, et in personas determinatas;

ideoque hæc, cum afficiat personam, bene potest ferri in subditum etiam exemptum, citando eum per Edictum. 3. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæ statim incurritur; et *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur, nisi post sententiam (1).

2. Ad dignoscendum quandonam censura est *latæ*, et quando *ferendæ sententiæ*. dicunt dd. quod, cum verba includunt actionem ab altero faciendam, sunt *ferendæ*: quando aliter, sunt *latæ*; unde dicunt esse *latæ sententiæ* quando dicitur: *Ipso jure, ipso facto, aut sine alia sententia;* aut si verba sint præteriti aut præsentis temporis, v. gr. *excommunicamus excommunicatus est, excommunicantur, jubemus esse excommunicatum, etc.* Contra sunt *ferendæ sententiæ*, si verba sunt de tempore futuro, *excommunicabitur*, aut si sunt comminativæ, *sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis* (modo ex contextu aliorum verborum oppositum non arguatur): item si dicitur: *volumus excommunicari*, aut *excommunicetur*; hoc tamen intelligi debet, quando a jure imponitur Episcopo præceptum excommunicandi; sed quando absolute dicitur, *excommunicetur, suspendatur*, etc., intelligitur *latæ sententiæ*, ut communiter dicunt Bonac. Silvest. Suar. Vasq., etc. (2). Cum autem dicitur *excommunicatus*, aut *anathema sit*, volunt Suar. et Tournely esse *latæ sententiæ*; sed Sanch. Laym. Dicast. volunt esse *ferendæ*, modo non sit adversus aliquem errorem hæresis; utraque sententia est probabilis (3). Si autem dicatur: *maneat excommunicatus*, aut *suspensus*, volunt Nav. Silv. Henriq., etc. neutram incurri censuram; sed Sayrus Bon. Salm. Con., etc. tenent tunc dari optionem reo ad eligendam quam malit (4).

3. Quæritur 1. quis ferre potest censuras? Resp. Papa, Episcopi, et etiam eorum Vicarii, ut recte dicunt Busemb. Fagnan. Suar. Sanch. Tournely. etc. contra Sayrum, etc. Vicarii capitulares, Concilia provincialia, Prælati regulares, et eorum capitula et cæteri omnes quibus concessa est facultas; sed non parochi, et tanto minus laici, et mulieres licet sint. Abbatissæ; nam illæ non sunt capaces jurisdictionis ecclesiasticæ (5). Quare qui censuram ferre potest, saltem sit tonsuratus, et habeat jurisdictionem expeditam, quoad usum: adeoque Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus, aut schismaticus non potest ligare aliquem censura, *c. Exceptionem de Except.*; nec ejus Vicarius, *c.* 1. *de Offic. Vicar. in* 6.; sed excommunicatus, aut hæreticus occultus valide (licet illicite) censuras fert, ut communiter Suar. Sot. Salm, etc.; imo idipsum dicunt Bonac. Dian. Ávil., etc. de publico excommunicato, si nominatim non est denuntiatus (6). Hic notandum censuram ex coactione, sive metu gravi esse validam; ita Suar. Bon. Castr. Tour. Salm., etc. contra alios; sicut contra invalida est absolutio metu injusto extorta, ex *cap Verbum Pœnitent.* (7).

4. Quæritur 2. quid requiritur ut quis censura ligari possit? Requiritur 1. ut sit baptizatus. 2. Ut usu rationis polleat: advertendum tamen hic censuras latas a jure, aut ab homine sententia generali non incurri ab impuberibus, nisi expressum sit in lege, ut est expressum de pueris, qui monasteria Monialium ingrediuntur, Trid. *sess.* 25. *c.* 5. aut qui percutiunt Clericos *c. Pueris fin. de sent. excom.* (8). Ut sit subditus, unde probabilius cum Lugo, et aliis, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 138. Episcopus non potest ferre censuras in peregrinos, si illi iterum post monitionem non delinquerint. Item notandum Episcopos non incurrere cen-

(1) l. 7. a. n. 1. ad 6. — (2) N. 7. et 8. — (3) N. 8. in fin. (4) N. 62. (5) N. 9. 10. et 11. — (6) N. 12. et v. requir. 5 — (7) ib. requir. 6. — (8) N. 13 ad 15.

suras, nisi sint speciatim nominati; c. *Quia periculosum, de Sent. excom* in 6.; sed hoc communiter dicunt intelligi de suspensione, et interdicto, quia de ipsis tantum fit mentio in textu (1). Reges et reginæ tantum a Papa possunt censurari; ut etiam communiter dd. (2). 4. Ut feratur in personam determinatam; hoc intelligitur tantum de excommunicatione, quia tota communitas potest quidem suspensioni, aut interdicto subjici: non autem excommunicationi, ut communiter Castr. Bon. Salm. etc. cum s. Thoma (3), imo neque excommunicari potest per modum sententiæ aliquis incertus alicujus communitatis, loquendo de delicto jam patrato, Ronc. Salm., etc.: sed si prohibetur aliquod delictum in futurum sub pœna excommunicationis, certum est omnes delinquentes illam incurrere (4). Advertendum hic, quod si Papa reperiret omnes communitatis reos, utique posset illos excommunicare; sed si hoc faceret Prælatus, esset illicitum; c. *Romana, de sent. excomm. in* 6., sed non invalidum, ut dicunt Avila Ledesma Salm. etc. Et Hostiens. Io. Monac. Archid. et Franciscus Philippus Probus, Felin. cum Ricc. et Rota (apud Fagn. *in 2. part. 5. lib. Decretal. c. Responso, de sent excom.* ex *n.* 93. *et seqq.*) dicunt etiam hoc esse irritum, dum in cit. c. *Romana* dicitur: *Omnino prohibemus*, ac si dixisset auferimus potestatem ita excommunicandi: et Fagnan. ipse, qui priori sententiæ adhæret, dicit ideo primam sequendam esse, quia cum hæc sit probabilis, tenenda est utiliter. Quare Episcopus *debet* quemlibet reum nominatim excommunicare (5).

5. Prælatus regularis potest censura ligare suos subditos ubicumque isti reperiantur. Suar. Avila Tourn. Croix Salm., etc. commun.: sed Episcopus non potest censuram ferre, dum extra diœcesim moratur, ex Clement. *Quamvis, de Foro comp.* Excepto si subditi contumacia sit adeo manifesta, ut non indigeat cognitione causæ, *can. Manifesta*, 2. *q.* 1. Excipitur etiam, si censura lata sit per modum præcepti, aut statuti, ad evitanda delicta communia (6). Contra Episcopus in diœcesi existens recte potest per sententiam subditum alibi morantem censura ligare, ut dicunt communiter Bon. Coninck Tourn. Conc. Dian. Salm., etc. contra Pontium, etc.; et tunc pro citatione satis erit (ut dicunt Salm.) si citetur aut domi, aut in loco publico proprii territorii per *Edictum*, ut statuit Trid.; sed hoc intelligitur tantum pro delictis in proprio territorio, non autem extra illud, patratis, ut dicunt Suar. Bonac. Salm., etc. (contra Sayr. etc.) ex c. 2. *de Const. in* 6. (7). Quod si ab Episcopo lata censura fuerit in aliquem per præceptum particulare, v. g. si tale crimen committet, probabilius est eam incurrere delinquentem, licet extra diœcesim deliquerit, quia præceptum afficit personam, ideoque eam ligat ubicumque reperiatur, ad differentiam statuti, quod afficit locum; ita probabiliter Suar. Laym Bonac. Croix Spor. contra Tour. Ronc. Avil. Holzm., etc. quorum sententia etiam est probabilis (8).

6. Episcopus utique potest ligare censura peregrinum in diœcesi sua delinquentem, *cap. fin. de Foro comp.*; semper tamen hoc intelligitur, modo reus sit factus contumax, ut dictum fuit *Tr.* 16. *n.* 13[illegible] *cit. fin.*, et modo Episcopus citaverit reum ante quam hic profectus sit ab ejus territorio (9). Peregrinus modo alicubi moretur animo per majorem anni partem ibi morandi, incurrit censuram per modum statuti generalis latam pro futuris criminibus, v. g. adversus furantes in ecclesia, secus vero, si peregre ibi moratur, aut si censura est per modum præcepti in casu parti-

(1) l. 7. n. 15. — (2) N. 16. — (3) suppl. q. 22. a. 5 ad 2. — (4) l. 7. n. 18. — (5) N. 19.

(6) N. 20. et 21. — (7) N. 22. — (8) N. 23. (9) N. 25.

culari, puta adversus non revelantes latrones: ita Suar. Silv. Sayr. Salm. etc. (1).

7. Quæritur 3. quænam requiruntur ad incurrendam censuram gravem, puta excommunicationem majorem, aut suspensionem ab omni usu, et ad longum tempus? Requiritur 1. peccatum grave, nempe quod materia importet culpam gravem (2). Sed in dubio gravitatis materiæ obligat præceptum Superioris, quia in dubio possidet potestas ejus, ut recte dicunt Salm. et Corneio (3). Et cum præceptum est impositum sub censura *latæ sententiæ* jam obligat sub gravi, licet materia non esset ex se gravis, sed esset talis, ut valde conduceret ad finem intentum. Secus autem si materia non esset de se gravis, et censura esset *ferendæ sententiæ;* ita Sot. Avil. Ronc. Salm. etc. (4). 2. Requiritur actus externus, qui posset ab aliis externe cognosci; unde si quis diceret, *ita est,* intelligendo ita hæresim confirmare, non incurrit excommunicationem, ut communiter dicunt Suar. Tourn. Conin Sayr. Salm. Et debet item esse graviter externus, proinde non est excommunicatus, qui leviter percutit clericum, licet illi sit animus eum occidendi: ita iidem aa. (. 5) 3. Requiritur actus peccati consummatus, nisi aliter lex exprimat: itae tiam communiter Sanch. Suar. Castr Bonac. Salm. Bon. Bus. etc. (6). Sed hic quæritur 1. an censura imposita mandantibus aut consilium dantibus aliquod crimen commissi, incurratur ab ipsis, quando crimen non est in effectum perductum? Resp. quod si censura principaliter sit lata in eos, utique incurritur quoties mandatum, aut consilium est jam ab ipsis præstitum; secus si censura est imposita ob delictum quod principaliter est vetitum, licet a mandato sit proveniens; quare non incurrit mandans percussionem clerici, si illa non evenit, Bonac. Bus. Salm. Croix. etc., et ita pariter excusant Navar. Salm. Croix, etc. eum qui dedit mandatum aut consilium ei, qui jam paratus erat delicto patrando (7). Quæritur 2. an incurrat censuram qui dubitat an suum mandatum aut consilium influxum dederit? Negant Salm. et alii, quia pœna non incurritur, nisi constet de delicto, et de effectu secuto: sed affirmant Sanch. Croix Dicast., etc., quia in dubio possidet delictum. Utraque sententia est probabilis, juxta dicta *Tr.* 10. *n.* 45. (8). Quæritur 3. an incurrat censuram consilium dans, cum consilium revocat, antequam executioni detur? Affirmant Navar. Bonac., etc. cum p. Concina, qui cæteroquin oppositum docuit circa restitutionem, uti vidimus in dicto *Tr.* 10. *n.* 48, ubi nos dissensimus a p. Concina; sed hic etiam ab eo dissentimus cum Suar. Castr. Laym. Avil. Salm. Viva, et aliis communius, quia Ecclesia non potest ligare censuris, nisi contumaces usque ad criminis executionem (9), ut in simili dicemus de irregularitate, an incurrat qui propinat venenum clerico.

8. Requiritur 4. ad incurrendam censuram contumacia, quæ importat contemptum censuræ. Et ex hoc 1. infertur quod ad incurrendas censuras non sufficit scientia legis ecclesiasticæ (et etiamsi delictum sit prohibitum lege divina), sed requiritur amplius scientia ipsius censuræ; quare communiter dicunt Suar. Cajet. Castr. Fill. Bonac. et alii, excusare a censura ignorantiam, non solum antecedentem, sed etiam concomitantem: *concomitans* esset si quis occideret clericum ignorans esse clericum, sed eo animo paratus, quod si scivisset etiam occidisset (10). Excusat etiam ignorantia crassa, cum censura est lata in *audentes*, aut *præsumentes*, aut *consulto*, aut *temere peccantes;* ita Sanchez Escob., etc.

(1) N. 27. — (2) l. 7. n. 29 ad 34. — (3) N. 32. — (4) N. 33. — (5) N. 34. — (5) N. 36.

(7) N. 37. et 38. — (8) N. 39. — (9) N. 40. — (10) N. 43.

imo tunc admittunt Bon. Roncag. Sanch. Salm. Silv., etc (contra sententiam Suar. Castr. Tourn. Conc. etc. quæ cæteroquin est communior) quod excuset etiam ignorantia affectata : et reapse id nequit dici improbabile, quia in ipsa (loquendo in rigore) non adest dolus formalis, qui inducit verum contemptum censuræ (1). Infertur 2. valde probabiliter cum Suar. Castr. Bon. Salm. Conin., etc. quod metus gravis etiam excuset a censura, licet crimen, super quod inflicta est, sit vetitum lege divina (modo non peccetur in contemptum legis): nam metus excusat a lege humana, uti humana accepta. Infertur 3. quod censura, licet possit ferri ob crimina futura, ut communiter et valde probabiliter dicunt Laym. Conch. Abbas Spor. Viva, etc. (adversus Tourn.), et uti jam practicatur ad ea vitanda ; nihilominus non potest imponi ob peccata mere præterita, et quæ non habent tractum successivum, ubi non præcesserit rei admonitio : quia alias deest contumacia. Hoc tamen intelligitur tantum pro excommunicatione, dum suspensio et interdictum possunt infligi pro delictis præteritis per modum puræ pœnæ, ut dicunt Castr. Bon. Salm. Coninch., etc. (2). 4. Infertur necessariam esse monitionem canonicam, cum intervallo sex dierum, ad minus, nisi adsit justa causa tempus abbreviandi. Hoc intelligitur pro licitudine, quia pro validitate censuræ sufficit ut intercesserit monitio ; ideoque aliquando sufficit una. Item intelligitur pro censuris ab homine per sententiam particularem, nam pro aliis a jure latæ sententiæ eadem lex est ac illa quæ monet, sicut probabilius dicunt Bon. Sanch. Filliuc. Boss. Avil (contra Suar. Castr. Laym. et Salm.) ; et idem valet pro censuris ferendæ sententiæ, quia in illis jam habetur monitio, et contumacia ; modo reus sit citatus ante censuræ declarationem quando delictum non est omnino notorium, ut recte advertunt Tol. Bon. et alii (3)

9. Ad hoc autem, ut licite feratur censura, debet judex eam scripto ferre, adnotatis ibi distincte persona, censura et causa in specie, exhibita copia censurando, si forte ille eam exquisiverit. Dicitur est *licite*, quia si feratur, posthabitis solemnitatibus, censura erit valida, sed judex peccati gravis fiet reus, ac erit per mensem suspensus a Divinis, et ab ingressu ecclesiæ, c. *Cum medicinalis* 1. *de Sent. excomm. in* 6. Hoc tamen intelligitur de censuris latis per modum sententiæ prævia citatione, et causa cognita ; secus autem de aliis, quæ feruntur per leges naturales, aut etiam per præceptum particulare, minando alicui, v. g. si aliquid tale agat. Item non comprehenduntur in hoc judices illi qui, aliqua urgente causa, et dilationem non patiente, præfatas solemnitates omitterent, aut si id facerent ex ignorantia licet culpabili, dum in textu dicitur : *Si quis temerarius*, temeritas scientiam supponit (4). Item sententia censuræ non est ferenda die festo, nisi contumacia esset adeo evidens, ut cognitione causæ opus non esset, *cap. Evidentia de accusat.* (5).

10. Notandum denique quod si quis reapse esset innocens, sed contra ex probatis juste esset censuratus, hic licet in conscientia non ligaretur censura, nec fieret irregularis administrando in *Sacris*, attamen in externo se gerere debet, tamquam censuratum, ad evitandum scandalum : ita communiter Suar. Castr. Coninch. Salm. et Croix. Et idem est, cum certe est censura contracta ; et dubitatur de justitia illius, aut de absolutione ab illa, quia tunc possidet potestas judicis, unde reus se tenere debet uti censuratum, ut commun. Castr. Croix Suar. Salm. Sanch. etc. (6) ; secus autem, cum dubitatur an incurrerit nec ne censuram, sive dubium sit *facti*, v. g. utrum percussio

(1) l. 7. n. 48. — (2) N. 51. et seqq. — (3) N. 55. et 56. — (4) N. 59. ad 61. — (5) N. 65. — (6) N. 66.

fuerit nec ne graviter injuriosa clerico ; sive *juris*, v. g. utrum censura sit *latæ*, an *ferendæ* sententiæ ; ita pariter commun. Sanch. Bon. Holzm. Ronc. Salmant. ex s. Thoma (1). Sed si judex decerneret, v. g. aliquam solutionem sub pœna censuræ, reus licet pro se haberet probabilem opinionem se non teneri, tenetur tamen intra tempus a judice præscriptum (aut prorogatum a creditore, qui alioquin, juxta quod probabilis docent Suar. Castr. Tourn. Coninch. etc. (2), præstet semper prorogare terminum). At si postea certus fieret de sua justitia, tunc non tenetur nec ad solutionem, nec ad observandam censuram, ut dicunt Avila et Salm. ; peccaret tamen (ut dictum est) in publico, non remoto scandalo, si censuræ non pareret (3).

PUNCTUM II.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

11. *Qui potest absolvere a censuris.*
12. *De censuris per sententiam generalem. An Episcopus existens extra etc. Alia notabilia.*
13. *An requiratur formula, et an præsentia censurati, etc. De absolutione conditionata, et an extra confessionem, etc.*
14. *De requisitis ad absolutionem.*

11. Si censura lata est per modum sententiæ particularis, plerumque ille tantum potest absolvere, qui eam tulit, aut ejus Superior, aut successor, aut delegatus. Sed si imposita est a jure communi, tunc ab illa potest absolvere quilibet confessarius, uti commun. Tournely Sot. Coninch. Castr. Conc. Ronc., Salm. etc. cum s. Thom. (4). Et hoc habetur ex *cap. Nuper*, 39. *de sent. excomm.* ubi cum sermo fiat de excommunicatione non reservata (et idem intelligitur comm. a dd. de suspensione, et interdicto personali, Castrop. Sot. Vasq. et Salm. cum s. Thoma), dicitur *a suo Episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri*. Sub nomine *a proprio sacerdote* venit quivis confessarius approbatus, juxta sententiam communem (5), et uti ostensum est *Tract.* 16. *n.* 86. *et* 96. *in fin.* Dictum est *approbatus*, quia simplices sacerdotes ne possunt quidem ab excommunicatione minori absolvere, quicquid aliqui dicant (6). Sed hic notanda sunt multa.

12. Notandum 1. hujusmodi absolutionem valere pro foro tam interno, quam externo ; unde dicunt Roncaglia Conin. Castrop. Suar. Spor. Salm. etc. posse dari absolutionem etiam extra confessionem (7). Notandum 2. quemlibet confessarium posse pariter absolvere ab omnibus censuris latis ab homine per sententiam, non jam particularem, sed generalem ; quia illæ æquiparantur censuris latis a jure, ut probabilius dicunt Castrop. Ronc. Laym. Conc. Salm Holzm. Coninc. Bon. Croix etc. communissime contra Suar. et Filiuc. (8). Notandum 3. Episcopum, extra diœcesim licet moretur, posse absolvere subditum a censuris, cum causæ cognitione opus non est ; Silv. Salm. Avil. etc. ; secus, si quis extra diœcesim delinquit, et per sententiam particularem excommunicatus est ab Episcopo illius loci ; tunc enim non potest a proprio Episcopo absolvi, nisi de Episcopi licentia ; Coninc. Turrian. Diana Salm. etc. (9). Notandum 4. quod qui facultatem habet absolvendi a casibus papalibus, non ideo potest absolvere a casibus *Bullæ Cœnæ* ; Bon. Dian. Buss. (10). Ita pariter qui potest absolvere a censuris *Bullæ Cœnæ*. non ideo potest absolvere ab hæresi, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, data 25. Nov. 1749. n. 53. (11) : ita pariter facultas data ab Episcopo pro reservatis non intelligitur pro illis quibus annexa est censura reservata ut ait Tamb. ; secus autem si con-

(1) N. 67. — (2) l. 7. n. 64. — (3) N. 68. — (4) supp. q. 21. a. 1. — (5) l. 7. n. 69. et 70. — (6) ib. et 71. — (7) cit. n. 70. in fin. — (8) l. 7. n. 72. — (9) ib. ad 1. et notand. 2. — (10. N. 110. — (11) N. 113.

cessio est facta a Papa, dum casus papales plerumque sunt reservati cum censura et propter censuram; La-Croix etc. Et ita pariter facultas concessa in jubilæo absolvendi ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur ex communi usu etiam reservatæ ab Episcopis (1).

13. Notandum 5. ad absolvendum a censura in foro interno non requiri verborum determinatam formulam, sed sufficere quodlibet externum signum (cum cæteroquin satis non sit sola voluntas); Suar. Castr. Salm. etc. (2). Non requiritur præsentia censurati, quia certe etiam absens absolvi potest, ut habetur ex *c. De manifesta* 2. *q.* 1.; sed notant Sanch. Salm. etc., hoc non esse faciendum, nisi ex urgenti causa; et si absolutio obtinetur per procuratorem, hic speciale debet habere censurati mandatum ad absolutionem obtinendam. Potest absolvi etiam invitus, sed communiter hoc non licet (3). Notandum 6. absolutionem metu gravi et injusto extortam irritam esse, et metum incutientem novam excommunicationem ligari, *c. de Hisqui vi, etc.* (4). Notandum 7. absolutionem datam, non satisfacta parte, si ab Ordinario concessa est, esse validam, licet certe illicitam, ut dictum fuit *Tract.* 16. *n.* 70.; sed si est data a Delegato, ut probabilius dicunt Suar. Spor. Vasq. etc., est etiam invalida, si in delegatione apposita est clausula *satisfacta parte*; licet opinio opposita Sanch. Castrop. Bonac. Ronc. Salm. etiam sit probabilis, quoties in concessione non exprimitur clausula irritans absolutionem (5). Notandum 8. valere absolutionem conditionatam de futuro: sed illicitam justa causa non existente; Suar. Coninc Salmant. Ronc. etc., et tunc, conditione verificata, censura aufertur (6). Contra licite datur absolutio cum *reincidentia* nempe quod si absolutus intra tempus præfixum suæ obligationi non satisfaciat, in eamdem censuram reincidat, sed tunc juxta probabiliorem sententiam Laym. Con. Castr. Castr. Ronc. Tourn. Salm. etc. contra Suar. Bon. etc. requiritur nova culpa, qua deficiente, non potest renasci illa censura quæ semel sublata est, nam non possunt censuræ sine Pontificis auctoritate suspendi. Et idem dicunt Laym. Comm. Salmant. etc. tenendum esse quando Papa absolvit *ad omnem effectum*, licet cum reincidentia (7). Notandum 9. probabile esse cum Sanch. Con. Salmant. Ugolin. Buss. etc. contra Suar. et Navarr. quod qui facultatem habet absolvendi a censuris in foro conscientiæ, potest absolvere etiam extra confessionem (8). Sed excipiendi sunt casus papales occulti qui ab Episcopis non possunt absolvi, nisi in confessione, juxta Declarationem Gregorii XIII. ut dicetur *Tract* 20. *n.* 32.

14. Notanda demque sunt requisita ad absolutionem. Hæc sunt I. satisfactio præcedens parti offensæ, nisi illa remiserit, aut justam recusaret satisfactionem, aut nisi reus esset impotens; quod si tunc sine gravi incommodo satisfacere neque ret, sufficiet cautionem præstare si potest, aut saltem juramentum satisfaciendi, *cap. Odoardus, de Solut.* et *cap.* 23. *de Verb. sign.* modo, intelligitur, creditor idem incommodum non pateretur; Navar. Coninc. Salm. etc. (9) II. Juramentum de non reincidendo in idem crimen, *cap. De cætero*, et *c. ex Tenore, de sent. excomm.*; sed hoc intelligitur quando delictum est enorme, ut percussio clerici, usura publice exercita; ita communiter Suar. Cast. Conin. etc. (10). III. Petitio absolutionis, *c. Per tuas, de sent. excomm.*; licet dicat s. Thomas (11), quem secuti sunt

(1) l. 7. n. 111. — (2) N. 116. — (3) N. 117. — (4) N. 119. — (5) N. 120. et 121. — (6) N. 123.

(7) N. 125. — (8) N. 126 — (9) N. 127. et 128. — (10) N. 129. — (11) suppl. q. 24. art. 2.

Castrop. Coninch. Salm. etc., quod si reus jam emendatus fuisset, confessarius potest eum absolvere, etiam licet invitum, cum privilegium est concessum confessario non pœnitenti, cum textus non dicit *non potest*, sed tantum *non debet*. An si pœnitens, contingente casu quod confitetur habenti facultatem, obliviscatur se accusare de reservato remanet ab eo absolutus? communissima est sententia affirmativa; nihilominus mihi probabilior videtur opposita, ut diximus *Tract.* 16. *n.* 120). (1). Quod si absolutio data fuisset ex causa falsa, tunc videndum estan talis causa sit principalis, quia si esset principalis, irrita esset, modo judex non esset certe conscius falsitatis; ita communiter Suar. Bon. Tournel. Castrop. Sayr. Salmant. Avila etc. (2),

CAPUT II.

De censuris in specie.

PUNCTUM I.

DE EXCOMMUNICATIONE MAJORE.

15. *De communicatione cum toleratis, et vitandis.*
16. *Cum percussoribus clericorum.*
17. *De effectibus excom. maj. I. Privat usu passivo Sacramentorum.*
18. *II. De suffragiis etc.. et an possit orari, etc. III. De usu activo Sacramentorum. IV. De usu divinorum officiorum, de Sacramentalibus etc.*
19. *V. De beneficiis, de dignitatibus, et pensionibus.*
20. *VI. De communicatione forensi. VII. De jurisdictione. VIII. De sepultura. IX. De communicatione civili (de qua in puncto sequenti).*

15. Excommunicatio, generaliter loquendo, definitur: *Censura qua quis privatur communione Ecclesiæ.* Sed hic distinguere oportet excommunicationem minorem a majori; minor (de qua loquemur in puncto 2.) privat tantum communione passiva, sive susceptione Sacramentorum; major (de qua hic est sermo, et de qua intelligitur cum absolute fit mentio excommunicationis) privat etiam activa, et omni genere communicationis, spiritualis et temporalis. Excommunicati autem excommunicatione majori alii dicuntur *tolerati*, alii *vitandi*; sciendum tamen est, quod antiquitus omnes excommunicati erant vitandi, sed Conc. Constant. declaravit, nominatim excommunicatos et denuntiatos, et publicos percussores clericorum, aut Regularium vitandos dumtaxat habendos esse, non vero alios (3). Igitur non adest obligatio vitandi excommunicatos etiam notorios, licet hæreticos, nisi isti sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personæ, atque amplius nisi sint publice denuntiati, nempe declarati excommunicati, in loco publico, aut scripto, aut voce. Sed advertendum est quod Concilium declaravit hac ratione velle prospicere tantum bono fidelium, non autem excommunicatorum; unde isti semper peccant cum communicant cum aliis, tam *in divinis*, quam in *civilibus*. Alii autem non peccant communicando cum toleratis etiam in *divinis*. Et licet aliqui dicant peccatum esse communicare cum toleratis sine causa, saltem quia (ut dicunt aliqui) inducitur tunc excommunicatus ad actum illicitum; alii tamen communius cum Sanch. Bon. Castrop. Sot. Sayr. Corneio Hurtad. Salmant. etc., et valde probabilius dicunt licere communicare cum illis indifferenter; quia cum toleratus est requisitus a fidelibus ad communicandum, v. gr. ad ministranda eis Sacramenta, nec ille quidem peccat: nam si peccaret, esset inutilis, aut saltem non esset generalis illa licentia data fidelibus, ut possint cum ipsis communicare, dum saltem indirecte ratione charitatis esset aliis vetita illa communicatio. Unde fit quod Concilium dando universe facultatem fidelibus communicandi cum toleratis indirecte concedit etiam tolera-

(3) N. 133. et 135.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

cessio est facta a Papa, dum casus papales plerumque sunt reservati cum censura et propter censuram; La-Croix etc. Et ita pariter facultas concessa in jubilæo absolvendi ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur ex communi usu etiam reservatæ ab Episcopis (1).

13. Notandum 5. ad absolvendum a censura in foro interno non requiri verborum determinatam formulam, sed sufficere quodlibet externum signum (cum cæteroquin satis non sit sola voluntas); Suar. Castr. Salm. etc. (2). Non requiritur præsentia censurati, quia certe etiam absens absolvi potest, ut habetur ex *c. De manifesta* 2. *q.* 1.; sed notant Sanch. Salm. etc., hoc non esse faciendum, nisi ex urgenti causa; et si absolutio obtinetur per procuratorem, hic speciale debet habere censurati mandatum ad absolutionem obtinendam. Potest absolvi etiam invitus, sed communiter hoc non licet (3). Notandum 6. absolutionem metu gravi et injusto extortam irritam esse, et metum incutientem novam excommunicationem ligari, *c. de Hisqui vi, etc.* (4). Notandum 7. absolutionem datam, non satisfacta parte, si ab Ordinario concessa est, esse validam, licet certe illicitam, ut dictum fuit *Tract.* 16. *n.* 70.; sed si est data a Delegato, ut probabilius dicunt Suar. Spor. Vasq. etc., est etiam invalida, si in delegatione apposita est clausula *satisfacta parte*; licet opinio opposita Sanch. Castrop. Bonac. Ronc. Salm. etiam sit probabilis, quoties in concessione non exprimitur clausula irritans absolutionem (5). Notandum 8. valere absolutionem conditionatam de futuro: sed illicitam justa causa non existente; Suar. Coninc Salmant. Ronc. etc., et tunc, conditione verificata, censura aufertur (6). Contra licite datur absolutio cum *reincidentia* nempe quod si absolutus intra tempus præfixum suæ obligationi non satisfaciat, in eamdem censuram reincidat, sed tunc juxta probabiliorem sententiam Laym. Con. Castr. Castr. Ronc. Tourn. Salm. etc. contra Suar. Bon. etc. requiritur nova culpa, qua deficiente, non potest renasci illa censura quæ semel sublata est, nam non possunt censuræ sine Pontificis auctoritate suspendi. Et idem dicunt Laym. Comm. Salmant. etc. tenendum esse quando Papa absolvit *ad omnem effectum*, licet cum reincidentia (7). Notandum 9. probabile esse cum Sanch. Con. Salmant. Ugolin. Buss. etc. contra Suar. et Navarr. quod qui facultatem habet absolvendi a censuris in foro conscientiæ, potest absolvere etiam extra confessionem (8). Sed excipiendi sunt casus papales occulti qui ab Episcopis non possunt absolvi, nisi in confessione, juxta Declarationem Gregorii XIII. ut dicetur *Tract* 20. *n.* 32.

14. Notanda demque sunt requisita ad absolutionem. Hæc sunt I. satisfactio præcedens parti offensæ, nisi illa remiserit, aut justam recusaret satisfactionem, aut nisi reus esset impotens; quod si tunc sine gravi incommodo satisfacere neque ret, sufficiet cautionem præstare si potest, aut saltem juramentum satisfaciendi, *cap. Odoardus, de Solut.* et *cap.* 23. *de Verb. sign.* modo, intelligitur, creditor idem incommodum non pateretur; Navar. Coninc. Salm. etc. (9) II. Juramentum de non reincidendo in idem crimen, *cap. De cætero*, et *c. ex Tenore, de sent. excomm.*; sed hoc intelligitur quando delictum est enorme, ut percussio clerici, usura publice exercita; ita communiter Suar. Cast. Conin. etc. (10). III. Petitio absolutionis, *c. Per tuas, de sent. excomm.*; licet dicat s. Thomas (11), quem secuti sunt

(1) l. 7. n. 111. — (2) N. 116. — (3) N. 117. — (4) N. 119. — (5) N. 120. et 121. — (6) N. 123.

(7) N. 125. — (8) N. 126 — (9) N. 127. et 128. — (10) N. 129. — (11) suppl. q. 24. art. 2.

Castrop. Coninch. Salm. etc., quod si reus jam emendatus fuisset, confessarius potest eum absolvere, etiam licet invitum, cum privilegium est concessum confessario non pœnitenti, cum textus non dicit *non potest*, sed tantum *non debet*. An si pœnitens, contingente casu quod confitetur habenti facultatem, obliviscatur se accusare de reservato remanet ab eo absolutus? communissima est sententia affirmativa; nihilominus mihi probabilior videtur opposita, ut diximus *Tract.* 16. *n.* 120). (1). Quod si absolutio data fuisset ex causa falsa, tunc videndum estan talis causa sit principalis, quia si esset principalis, irrita esset, modo judex non esset certe conscius falsitatis; ita communiter Suar. Bon. Tournel. Castrop. Sayr. Salmant. Avila etc. (2),

CAPUT II.

De censuris in specie.

PUNCTUM I.

DE EXCOMMUNICATIONE MAJORE.

15. *De communicatione cum toleratis, et vitandis.*
16. *Cum percussoribus clericorum.*
17. *De effectibus excom. maj. I. Privat usu passivo Sacramentorum.*
18. *II. De suffragiis etc.. et an possit orari, etc. III. De usu activo Sacramentorum. IV. De usu divinorum officiorum, de Sacramentalibus etc.*
19. *V. De beneficiis, de dignitatibus, et pensionibus.*
20. *VI. De communicatione forensi. VII. De jurisdictione. VIII. De sepultura. IX. De communicatione civili (de qua in puncto sequenti).*

15. Excommunicatio, generaliter loquendo, definitur: *Censura qua quis privatur communione Ecclesiæ.* Sed hic distinguere oportet excommunicationem minorem a majori; minor (de qua loquemur in puncto 2.) privat tantum communione passiva, sive susceptione Sacramentorum; major (de qua hic est sermo, et de qua intelligitur cum absolute fit mentio excommunicationis) privat etiam activa, et omni genere communicationis, spiritualis et temporalis. Excommunicati autem excommunicatione majori alii dicuntur *tolerati*, alii *vitandi*; sciendum tamen est, quod antiquitus omnes excommunicati erant vitandi, sed Conc. Constant. declaravit, nominatim excommunicatos et denuntiatos, et publicos percussores clericorum, aut Regularium vitandos dumtaxat habendos esse, non vero alios (3). Igitur non adest obligatio vitandi excommunicatos etiam notorios, licet hæreticos, nisi isti sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personæ, atque amplius nisi sint publice denuntiati, nempe declarati excommunicati, in loco publico, aut scripto, aut voce. Sed advertendum est quod Concilium declaravit hac ratione velle prospicere tantum bono fidelium, non autem excommunicatorum; unde isti semper peccant cum communicant cum aliis, tam *in divinis*, quam in *civilibus*. Alii autem non peccant communicando cum toleratis etiam in *divinis*. Et licet aliqui dicant peccatum esse communicare cum toleratis sine causa, saltem quia (ut dicunt aliqui) inducitur tunc excommunicatus ad actum illicitum; alii tamen communius cum Sanch. Bon. Castrop. Sot. Sayr. Corneio Hurtad. Salmant. etc., et valde probabilius dicunt licere communicare cum illis indifferenter; quia cum toleratus est requisitus a fidelibus ad communicandum, v. gr. ad ministranda eis Sacramenta, nec ille quidem peccat: nam si peccaret, esset inutilis, aut saltem non esset generalis illa licentia data fidelibus, ut possint cum ipsis communicare, dum saltem indirecte ratione charitatis esset aliis vetita illa communicatio. Unde fit quod Concilium dando universe facultatem fidelibus communicandi cum toleratis indirecte concedit etiam tolera-

(3) N. 133. et 135.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

tis potestatem communicandi cum aliis, cum ab ipsis requisiti sunt (1). Et quod dicitur de excommunicatis, idem dicitur a communi dd. de suspensis, et interdictis non vitandis, cum Concilium loquitur de omni censura. Et idem dicit Avila etiam de regularibus, qui si denuntiati non sunt, non sunt vitandi (2).

16. Percussores autem clericorum ut sint vitandi, debent esse publici et notorii, adeo ut, dicit Conc. Constant... *sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit* (eos) *incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari* (3). Itaque requiritur notorietas facti, nempe quod percussio sit nota majori parti regionis vel vicinæ, aut monasterii, ubi factum accidit, aut magno numero personarum, si regio est magna ; cum cæteroquin ad hoc sufficiat, utdicunt Castr Bonac. Salm. Sayr. etc., fama communis quæ ortum habuit a personis fidedignis ; modo (ut advertunt Viva Avila et Dicastillus, fama non sit tantum de percussione, sed de percussione publice patrata. Adeo ut, cum delictum est occultum, non tenetur ad vitandum percussorem qui scientia privata id cognoscit. Quæritur autem, an præter notorietatem facti requiratur etiam notorietas juris ? Et est probabile eam requiri cum Pignatel. Covar. Avil. Ronc. Saml. Viva etc., dum Concilium dicit, ad vitandum percussorem omnino requiri certitudinem, non tantum quod ille clericum percussit, sed etiam quod excommunicationem incurrit, ita ut *factum non possit aliqua tergiversatione celari*: et insuper, *nec aliquo suffragio excusari*. Hinc fit quod cum reus non est confessus in judicio, aut non est condemnatus, aut saltem crimen non est probatum raro accidet quod sit vitandus ; quia communiter loquendo quasi semper ille se defendere potest non incurisse censuram, asserendo v. gr. aut se ad sui defensionem percussisse, aut tunc sui compotem non fuisse, etc. ; ita ut possit aliquo suffragio excusari (4). Si quis autem est publicus percussor, aut excommunicatus, denuntiatus alicubi, non est vitandus alibi, ubi est occultus (modo eo notitia brevi non perventura sit), ut probabilius dicunt Castrop. Sanch. et Salm contra alios ; quia revera factum publicum in una regione, in alia, ubi non est notum, scandalo non est, quod præcipue voluit Concilium vitari (5).

17. Effectus excommunicationis majoris, alii sunt remoti et alii proximi. Remoti sunt duo: 1. irregularitas quam incurrit excommunicatus si actum Ordinis sacri exercet ; 2. est quod si excommunicatus per annum pertinaciter in excommunicatione, aut alia censura perdurat, fit suspectus de hæresi, et ut talis debet privari beneficiis : ita communiter doctores ex Trident. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* (6). Effectus autem proximi sunt novem, et 1. excommunicatio privat usu passivo, nempe potentia sacramenta suscipiendi ; modo non excuset timor gravis damni, et non sit in contemptum censuræ, communiter Bonac. Laym. Fill. Salm., etc. (7). Communissima autem est sententia, et est verior, cum Cajet. Castrop. Bon. Coninc. Salm Croix. etc. contra aliquos, valide posse absolvi sacramentaliter antequamabsolvatur a censura, cum omnia requisita concurrunt (8). Hic notandum quod minister conferens Sacramentum excommunicato tolerato, peccaret contra jus divinum, ministrando Sacramentum indigne, non autem contra Ecclesiæ præceptum juxta dicta *num.* 15., cum per se licitum sit communicare cum toleratis etiam in Divinis. Exquo probabiliter infertur licere ministrare Sacramentum excommunicato, quando iste esset in bona fide. Item di-

(1) N. 139. — (2) N. 140. — (3) l. 7. n. 135. — (4) n. 141. ad. 144. — (5) n. 145. — (6) n. 157. — (7) n. 158. — (8) n. 158. v. dixi, et n. 159.

cunt Suar. Nav. Castr. Bon. Salm. Croix Coninch., etc. quod in dubio an quis nec ne sit absolutus ab excommunicatione, potest illi Sacramentum ministrari si petat ; maxime affirmat se fuisse absolutum, qui a in dubio nemo præsumitur mendax (1).

18. 2. Privat posse lucrari indulgentias, participatione suffragiorum communium, et orationum publicarum Ecclesiæ, sed non privatorium : hinc potest orari privatim pro excommunicato, etiam a sacerdote in Missa, modo iste oret, non tanquam Ecclesiæ minister, sed ut persona privata : s. Thomas et alii communiter (2). Quæritur an possit orari nomine Ecclesiæ pro toleratis ? Negant Bellarm. Suar., etc. ; sed affirmant Nav. Castrop. Salmant. Conc., etc. ex concessione facta a Concil. Constant. ut indistincte communicari possit cum toleratis. Utraque sententia est probabilis (3). Contra non puto probabilem opinionem aliquorum quod possit publice orari pro vitandis qui sunt in statu gratiæ, cum per ipsos non stet, quominus absolvantur (4). 3. Privat usu activo Sacramentorum, sive administratione eorum. Hoc intelligitur de administratione licita, nam de valida certum est excommunicatum valide administrare Sacramenta, ac assistere matrimonio, sicut diximus *Tr.* 18. *n.* 71. præter Sacramentum Pœnitentiæ, quia excommunicatus vitandus omni jurisdictione privatur. *cap. Omnis de Pœnit, et rem.* ; et hoc etiam in morte, ut diximus *Tr.* 16 *n.* 92. Dico *vitandus*, quia toleratus non privatur jurisdictione ; Salmant. Croix, cum aliis communiter. (5). Quoad autem administrationem licitam, toleratus quoties est requisitus, licite Sacramenta ministrat : hinc probabiliter dicit Castr quod occurrente die festivo, si alter desit sacerdos, potest toleratus celebrare, modo absit scandalum ; dum juremerito tunc præsumitur populus petere ab eo Missam (6) Excommunicatus contra qui illicite administrat Sacramenta fit irregularis, *cap. ult de Cler. excom. ministr.* Et idem currit, si benedicit nuptias, aut solemniter baptizat ; secus vero si privatim. Dubium fit inter dd. an vitandus administrando Sacramentum Pœnitentiæ fiat irregularis ? Alii negant : sed nos affirmamus cum sententia communissima ; ex *can. Si quis* 7. *caus.* 11. *q.* 3. (7). Similiter fit irregularis sacerdos excommunicatus, qui coram se celebrare alium facit, ex *cap. Tanta, de Excess. Præl.* (8). Qui recipit Sacramentum a vitando peccat graviter et incurrit excommunicationem minorem, et qui recipit Ordinem incurrit etiam suspensionem ab Ordine recepto, *cap. Cum illorum, §. fin. de sent. excomm.* 4. Privat usu divinorum officiorum, ideoque excommunicatus non solum privatur fructu illorum, sed nec potest quidem illis interesse sine peccato gravi ; et dicit s. Thomas (9), quod si forte incepisset Sacrum, et non adhuc consecrasset, tenetur illud deserere ; modo non excusaretur a necessitate evitandi scandalum ; aut ab alia justa causa, ut addunt Suar. Bonac., etc. (10). Cæterum excommunicato non vetatur usus Sacramentalium, non jam ut ab illis fructum capiat, sed ut illa veneretur. Potest etiam dum recitantur divina officia ecclesiam ingredi ex aliqua justa causa. verb. gr. ut satellitum aufugiat manus, et tunc potest, privatim tamen, orare, sicut probabiliter dicunt Caj. Palud. Turr. Coninch. Salm. et Bonac., quia orando privatim, jam non dicitur communicare cum aliis, et tunc non tenentur sacerdotes cessare a Divinis, nec eum foras expellere (11). Excommunicatus tamen si omnino vel-

(1) n. 169 — (2) l. 7. n. 162 — (3) n. 164. — (4) n. 163. — (5) n. 165. ad 168. — (6) n. 169. — (7) n. 171. — (8) n. 175. in fin. — (9) 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. — (10) l. 7. n. 173. — (11) n. 174.

let interesse Sacro, aut aliis publicis functionibus, proculdubio peccat graviter, et si monitus nolit exire incurrit excommunicationem papalem, *cap. Eos, de sent. exc.* Et idem valet de interdicto, et de omnibus iis, qui impediunt excommunicatum aut interdictum ne discedant: Castr. Bon. et Salm. ex *cap. Gravis, eod. tit.* (1) Item advertendum, quod si excommunicatus tenetur ad Horas canonicas, licet ex solo titulo beneficii, et ob excommunicationem nequit exigere fructus, non excusatur ab illis, quia hoc culpa sua evenit: Suar. Castr. Nav. Laym. Croix et Salm. qui notant una cum Avila et Covarr. quod si ille omnino sit privatus beneficio, tunc non tenetur ad Horas canonicas, et excommunicatus recitando officium, non potest dicere, *Dominus vobiscum* sed dicere debet, *Domine, exaudi orationem meam*, secus peccaret, licet nonnisi venialiter, uti communiter volunt Bonac. Salm. Tour. Gonet, Corneio, etc. Imo Avila et Nav. excusant ab omni culpa, si illud recitaret sine socio (2).

19. 5. Irritat omnem collationem et electionem excommunicati ad beneficia, c. *Postulastis, de Cler. exc. min.* Et hic notandum 1. quod non solum peccat graviter qui beneficium recipit, sed etiam ille qui ei illud confert, et hic præter excommunicationem minorem, incurrit suspensionem a collatione, ex *cap. cit.* Notandum 2. hoc intelligi cum tempore præsentationis, aut electionis beneficii electus erat jam excommunicatus; alias valide acceptat beneficium et possessionem capit, licet tempore acceptationis reperiatur excommunicatus, quia acceptatio et possessio non sunt actus jurisdictionis; ita Cast. Av. Bonac. Covar. Salm. (contra Suar.). Contra collatio facta excommunicato est irrita, licet tempore acceptationis reperiatur absolutus ex sententia communi, unde tunc requiritur nova collatio, aut saltem (ut dicunt Less. Nav. Salm., etc.) ut collator perseveret in prima intentione. Notandum 3. excommunicatum teneri ad restituendos omnes fructus perceptos ex beneficio, licet postea absolutus sit, et iterum obtineat idem beneficium, quod prius suscepit in mala fide. Si tamen jam satisfecisset per se aut per alium officio illi adnexo, dicunt Coninc. Salm. Bon., etc. posse sibi retinere fructus perceptos tanquam vacantes, et debitos successori in beneficium, sed hoc intelligitur pro locis ubi non viget lex *spolii*. Notandum 4. quod quæ dicta sunt de beneficio, intelliguntur etiam de dignitatibus ecclesiasticis; Episcopalibus, Prioratibus et similibus; Suar. Castr. Bon. Salm. An autem idem currat pro dignitatibus sæcularibus? Affirmant Bon. Salm. etc.; sed probabiliter etiam negant Cast. Fill. Henr. et Coninch., quia revera non adest lex qua declarentur invalidæ pensiones ecclesiasticæ, quæ dantur ob aliquod officium ecclesiasticum, v. gr. Vicario, aut coadjutori Episcopi: Suar. Castr. Salm. communiter (3). Notandum 5. non solum vitandos, sed etiam toleratos esse inhabiles ad beneficia, dignitates et pensiones juxta allata superius sicut recte dicunt Suar. Tourn. Av. Castr. Coninch. Salm., etc. contra Nav., Less Giball. Hurt., etc., dum verum est quod per Concil. Constant. est concessum aliis communicare cum excommunicatis tolerandis, sed ipsi excommunicati semper sunt incapaces, non enim per se possunt suo muneri satisfacere. Ego exciperem casum dumtaxat si illud munus esset exercendum in commodum collatoris: unde recte animadvertunt Salm., quod per ipsum met Concilium sublata sit suspensio imposita ex cit. *cap. Postulastis*, conferenti beneficium tolerato (4). Notandum 6. irritam esse collationem factam excommunicato, licet ille invincibiliter ignorasset excommunicationem, qua innodatus erat, aut crederet jam esse absolutum:

(1) N. 175. — (2) 4. 7. n. 178. (3) n. 180. — (4) N. 181.

Sanch. Less. Suar., etc.; probabiliter tamen tenent Cabass. Fab. Salm., etc. validam esse collationem hujusmodi excommunicato factam a Superiore cum absolutione ad cautelam *ad effectum præsentis collationis* (1). Notandum denique quod ille, qui excommunicatus fuit post collationem, non tenetur ad restituendos fructus beneficii ante judicis sententiam, quoties ipse per se, aut per alios adimplevit onera: ita probabilius Sanch. Tourn. Laym. Bon. Castr. Coninch. Salm. Av., etc. contra Suar. Concin. etc. ex generali ratione, quod pœnæ quæ requirunt actionem aliquam rei ingerent semper sententia, saltem declaratoria: vide dicta *Tr.* 2. *n.* 2 2 dicenda in *Appendice* 3, *de Exam.*, etc., *n.* 64. Contra certum est, quod post sententiam tenetur ad fructuum restitutionem donec absolvatur, modo paupertate non laboraret, et eos applicasset sibi; hoc potest sibi prodesse dumtaxat in casu, quo per se non staret, quominus absolvatur; Laym. Sylvest. Castr. Salm. Av., etc. (2).

20. 6. Privat communicatione Forensi. Quare excommunicatus nequit esse judex, scriba, testis, advocatus, procurator, nec potest agere in judicio; et licet toleratus etiam possit repelli, attamen hic valide agit, *cap. Pia, de Sent. exc. in* 6. Cæterum etiam vitandus semper potest defendi ex se ipso, et etiam actorem convenire in jus. Imo, ut dicunt Avila Castr. et Salm. toleratus potest defendere etiam alios. Sententia judicis vitandi non tantum est illicita, sed etiam invalida. Testificatio tamen vitandi non est irrita, sed potest repelli. Excommunicatus nec potest esse tutor, nec curator, nec executor testamentarius (si repellitur), nec licite potest inire contractus, nec testari, licet contractus et testamentum sint valida (3). 7. Privat jurisdictione: quare excommunicatus (intellige vitandus) non potest nec legem ferre, nec sententiam, nec præsentationem, aut electionem ad beneficia; quia hæc sunt omnino irrita. Dico *vitandus*, quia actus tolerati sunt validi, sed illiciti, nisi eos excuset necessitas (4). 8. Privat sepultura ecclesiastica, adeo ut cadavera excommunicatorum dehumanda sint a sepulturis (quoties certo secerni possunt); et ubi sepultum est cadaver vitandi (non autem tolerati, licet hæretici, sed non nominatim denunciati) non potest celebrari, nisi prius reconcilietur ecclesia, *cap. Sacris, de sepult.* Quod si excommunicatus non toleratus decessisset cum signis pœnitentiæ, ejus cadaver absolvendum est a censura, et sepulturæ postea mandandum: Castr. Salm. et Corneio. Qui sepelit excommunicatum incurrit excommunicationem majorem, ex Clem. 1. *de Sepult.* Illi vero qui funus associantur, aut canunt preces, et probabiliter etiam illi qui curant sepeliendum, ut dicunt Cajet. Bon. Av. Salm., etc. peccant quidem graviter, sed non incurrunt censuram (5). 9. Privat denique excommunicatio etiam communicatione civili cum fidelibus, sed de hac loquemur puncto sequenti.

(1) N. 182. — (2) 4. 7. n. 183. — (3) N. 184. (4) N. 185. — (5) N. 186.

PUNCTUM II.

DE EXCOMMUNICATIONE MINORI, ET EJUS EFFECTIBUS.

21. *Actus, quibus incurritur excommunicatio minor, sunt: I. Os. II. Orare. De expellendis vitandis. III. Vale. De resolutatione, et rescriptione. IV. Communio. V. Mensa.*
22. *Quale peccatum sit communicare cum vitando, et quando est grave.*
23. *Pro quibus causis potest quis communicare cum vitando. I. Causa utilitatis. II Matrimonii.*
24. *II. Subjectionis.*
25. *IV. Ignorantiæ.*
26. *V. Causa necessitatis.*
27. *De effectibus excommunicationis minoris; et an valet Sacramenta ministrare, et beneficia recipere*

21. Excommunicatio minor ob

unicam causam incurritur, nempe ob communicationem cum excommunicato vitando in actibus comprehensis in versu sequenti, declaratis jam in *Canon. Excommunicato* 2 *quæst.* 3.

1. *Os*, 2. *Orare*, 3. *Vale*, 4. *Communio*, 5. *Mensa negatur*.

1. *Os* intelligitur omne colloquium, aut per litteras communicatio, et quodlibet aliud benevolentiæ signum, ut est dona mittere, aut recipere, etc. ita dd. (1). 2 *Orare*; intelligitur quæcumque communicatio in *Divinis*, ut est assistere publicis functionibus Missarum, processionum, benedictionum, Horarum canonicarum, etc. Hinc est quod clerici in eo casu, cum celebrantur divina officia, aut functiones publicæ fiunt, tenentur illum expellere, si possunt; sin minus, debent cessare a Divinis, et sacerdos Missam interrumpere, nisi incœperit canonem; sed si illum incœpisset, probabile est quod possit prosequi, sicut dicunt Suarez Henriq. et Busemb. licet posset Missam interrumpere, sicut volunt Bonac. et Cornejo: quod si jam consecrasset, certum est debere sacerdotem Missam prosequi, sed tantum usque ad Communionem. Alias præfati Ecclesiastici incurrunt excommunicationem minorem, et peccant graviter (2). Recitare tamen officium cum excommunicato vitando privatim, probabiliter Suarez Bonac. Coninch. Busemb. Salm., etc. excusant a mortali. An autem seculares, qui intersunt Missæ cui assistit excommunicatus vitandus, peccent graviter; affirmant Bon. Salm. Avila et Dian. et excusant tantum ob parvitatem materiæ, si v. gr. assistentia esset usque ad Evangelium; sed universaliter eos excusant a gravi Suar. Castr. Salm. Filliuc. Sayr. Henriq., etc. dicendo talem communicationem esse remotam et accidentalem, modo ipsi non sint causa cur excommunicatus ibi assistat. Nemo tamen eos excusa a veniali, et ab excommunicatione minori (3). Contra communiter Bon. Fill. Henriq. Suar. Coninch., etc. excusant ab omni culpa eum qui oraret in ecclesia in loco separato; aut alii assisteret Sacro ab illo cui assistit excommunicatus (4). 3. *Vale*: intelligitur quælibet salutatio, aut honoris significatio; sed communissime s Antonin. Nav. Mai. Fill. Sot. Avila Sayr. Bonac. Castr. Salm. Escob., etc. admittunt probabile esse licere certa signa urbanitatis exhibere erga excommunicatum, quia hujusmodi actus non exhibentur, ut ei honor præstetur, sed ut inurbanitatis, et contumeliæ nota vitetur; maxime si excommunicatus est Superior, aut persona publica, puta Episcopus Prætor, etc. (5). An autem liceat rescribere, aut resalutare excommunicatum; affirmant Filliuc. Henriq Bus. Castr., etc., quia hi actus (uti dicunt) sunt potius debiti solutio. quam honoris significatio, sed saltem quoad rescriptionem videntur probabilius negare Avila Bonac. Holzm. et Salm., quia excommunicato non amplius debentur hi convenientiæ actus in pœnam sui criminis. Dixi *saltem quoad rescriptionem*, quia quoad resalutationem non auderem damnare contrariam uti improbabilem, dum resalutatio illa non videtur proprie actus honoris et contra negatio illius videtur actus inurbanitatis et contemptus; rescribere vero videtur vera communicatio (6). 4. *Communio* comprehendit omnem contractum, societatem, et cohabitationem; sed cohabitatio intelligitur per modum societatis; quia sub eodem tecto dormire, et etiam in eodem lecto, tantum ad quiescendum, non est vera communicatio, nec vetitum, ut probabiliter dicunt Suar. Bonac. Castrop. et Salm. (7). 5. *Mensa*; intelligitur, cum invitatus ad mensam ab excommunicato, ejus domum adit, licet in diverso cubiculo accumbat; Suar. Bonac. Salm.; secus vero si casu in hospitio, domo aut itinere accideret, ut cum excommunicato accumberet, etiam in eadem mensa, uti probabiliter dicunt Suar. Layman Sayr. Spor. Castrop. Holzman, etc (1).

(1) N. 189.— (2) 4. 7. n. 176. et 177. (3) N. 173 et 176. — (4) Ib. et 176. in fine.— (5) N. 192.— (6) N. 193.— (7) N. 194

22. Quæritur 1. quale peccatum committit, et qualem excommunicationem incurrit qui communicat cum excommunicato vitando? Respondetur generaliter loquendo, quoad peccatum, peccat tantum venialiter. Sed hic notandum quod sufficit peccatum veniale ad incurrendam excommunicationem minorem; sed quando veniale non est plene deliberatum, illa non incurritur; nam nulla pœna incurritur propter illos actus, qui non sunt perfecti in genere suo (2). Item notandum quod licet in confessione possit omitti veniale attamen non potest omitti illud ob quod incursa est excommunicatio, quia cum illa non potest Sacramentum suscipi (3). Tribus casibus autem cum excommunicato communicans peccat graviter, ut dicit s. Thomas (4) cum aliis communiter. 1 Si communicat in contemptum prohibitionis Ecclesiæ. 2. Si communicat in *Divinis* in materia gravi, ut diximus *n.* 21. ad verbum 2. *Orare*. 3. Si communicat *in crimine criminoso*; nempe si communicat cum excommunicato in eodem crimine ob quod fuit ille excmunicatus; unde peccat graviter concubina quæ denuo rem habet cum illo qui fuit excommunicatus ob concubinatum; aut consilium, vel favorem ei præbet, ne ab illa se removeat; ita communiter Bonac. Suar. Salm. etc. ex *cap. Nuper de sent. exc.* An autem peccet graviter qui communicaret cum excommunicato frequenter in civilibus; probabiliter negant Nav. Castrop. Sayr. Avila, etc., quia communicatio in civilibus est tantum veniale, et venialia quantumvis multiplicentur, ad mortale non attingunt; sed probabilius affirmant Suar. Bonac. Holzm. Filliuc. Coninc. Spor. Salm. etc., quia etiam frequens communicatio in civilibus non judicanda est res levis; dum in *cap* 7 *de Except.* dicitur, quod qui communicat in civilibus cum, excommunicato, *in periculum animæ suæ communicat*. Animadvertunt tamen præfati aa. cum Tourn. quod ad peccandum graviter in hoc, non sufficit ut aliquis frequenter, etiam per longum tempus, sejunctim communicet cum excommunicato; sed amplius requiritur ut habeat propositum virtuale saltem sæpius communicandi cum eo (5). Ita etiam quoad excommunicationem, generaliter loquendo, qui communicat cum vitando incurrit solam excommunicationem minorem: sed tribus in casibus incurrit majorem. 1. Si Clericus scienter communicat in *Divinis* cum excommunicato nominatim a Papa, et denuntiatio, *c. Significavit de sent. excomm.* 2. Quando excommunicatio est imposita alicui, et una simul in participantes, quia tunc qui communicat cum illo; post monitionem incurrit excommunicationem majorem; s. Thomas Castr. Salm. Avila etc. communiter. 3. Si communicat *in crimine criminoso*, ut paulo ante explicatum est, et in hujusmodi casibus, non potest absolvi, nisi ab illo a quo absolvendus est principalis (6).

23. Quæritur 2. Quibus de causis liceat in civilibus communicare cum vitando? Resp. ob 5. causas contentas in sequenti versu:

1. *Utile* 2. *Lex*, 3 *Humile*, 4. *Res ignorata*, 5. *Necesse*.

Et 1. *Utile*: intelligitur utilitas aut ipsius excommunicati, ut resipiscat aut ut aliud spirituale subsidium recipiat (qua ratione licet præmittere alia verba aut signa benevolentiæ, ideoque licet sine dubio prædicare eo præsente): aut utilitas aliorum, ut ab excommunicato recipiant aliquod utile spirituale aut temporale; quare licet audire ab eo concionem, aut

(1) N. 195.— (2) 4. 7. n. 153 — (3) N. 154. —(4) Suppl. q. 23. a. 3. (5) 4. 7. n. 178.— (6) N. 199.

exposcere consilium (si alius idoneus non extat), aut eleemosynam, aut medicinam, et ita etiam cum eo societatem antea initam continuare, non vero novos cum illo instituere contractus ; Suar. Castr. Av. Bonac. Salm. Conc. etc. (1). 2. *Lex* : intelligitur matrimonialis propter quam conjuges (sed non sponsi) possunt ad invicem communicare, adhuc quoad petendum, aut reddendum debitum ; s. Thom. et alii communiter ex *cap. Inter alia* 31, *de sent. excomm.* Sed hic notandum quod non licet communicare cum conjuge excommunicato, si factum sit divortium, et si excommunicatio est lata ob hæresim, aut ob dubium de matrimonii valore ; ita commun. dd. (2). Præterea non licet communicare in *Divinis*, dum Innoc. III. in cit. *cap.* 31. declarando textum Greg. VII *in c. Quoniam* 11. *q.* 3. ubi dispositum erat quod uxores filii et servi possint communicare in iis, in quibus solebant communicare, dixit hoc intelligi dumtaxat, in quantum hoc necessarium est ad præstandum obsequium et debitum ; sed communicare in *Divinis*, non est obsequium debitum ; ita recte Cajetan. Bon. Arm. et Concin. contra Sanch. Salm. etc. (3). Dubitatur autem an conjux qui scienter nupsit cum excommunicato, possit postea communicare ? negant probabiliter Castr. Tourn. Salm. Conc. cum s. Thoma (4) ex præfato *cap.* 31. *de sent. excomm.* ubi dicitur, quod personæ subjectæ possunt communicare cum excommunicato eodem modo ac prius, ergo non possunt, si subjectio contrahitur post excommunicationem. Nec obstat textus Innocentii ; nam Innoc. tantum respondit ad id quod ab eo quæsitum fuit, nempe, an tenerentur communicare, vel an tantum possent, si velint, Pontifex respondit quod tenebantur, sicut tenebantur ante excommunicationem ; nihil autem locutus fuit de iis qui tempore excommunicationis in servitium ingressi sunt. At pro his facit textus Gregorii, qui concedit subditis communicationem, propter debitam subjectionem, unde nihil refert, an ista contracta sit ante vel post excommunicationem (5).

24. 3. *Humile* : intelligitur subjectio debita a filiis, licet emancipatis, ut probabiliter dicunt Suar. Bonac. Castr. Salm. etc. contra Sotum. Et idem dicunt de nepotibus, et pronepotibus, et etiam de affinibus in eodem genere, ut sunt nurus, privignus, etc. Idem currit de Religiosis cum Prælato in iis rebus, quorum nequeunt evitare communicationem. Idem de militibus cum suo duce, et de servis cum suo domino ; ita communiter dd. Sed hic notandum 1. peccare servos qui mala fide in excommunicati famulatum se ingerunt, nisi excuset necessitas ; Suar. Castr. Salm. etc. 2. Quod ipsi communicare nequeunt in iis quæ ad debitum famulatum non conducunt ; quare peccant, si communicant in *Divinis* modo ad hoc non teneantur ob debitum ipsius famulatus, prout eos comitari ad ecclesiam ; aut ex pacto speciali, v. gr. inserviendi Sacro, coadjuvandi eos in officii recitatione, etc. ; ita Suar. et Salm. 3. Notandum quod servi excommunicati ejusdem domini non possunt ad invicem communicare, nisi in quantum necesse est ad communem cohabitationem ; et hoc in solo casu quo non possent commode invenire alium dominum ; Nav. Suar. et Conc. 4. Notandum quod sicut filii, uxores, servi etc. possunt communicare cum excommunicato ; ita parentes, viri et domini possunt communicare cum subditis excommunicatis ; Sotus Castrop. et alii cum s. Thoma (6).

25. 4. *Res ignorata* : intelligitur ignorantia, sive inadvertentia, vel legis, vel facti ; *can. Quoniam* 11. *q.* 3. An autem excuset ignorantia crassa,

(1) N. 201.— (2) l. 7. n. 202.— (3) Ib. dubit. 4. —(4) Suppl. q. 23 a. 4.

(5) N. 202. v. dub. 2.— (6) n. 203. et 204.

negant Bonac. et Salm. : sed probabiliter, et communius affirmant Suarez Conin. Hurt. et Holzm. : primo, cum excusentur ignorantes a citato textu, intelliguntur etiam culpabiles; dum qui inculpabiliter ignorant procul dubio excusantur ex se. Secundo quia in textu cum dicantur excusari ignorantes : *Quoniam multos pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus etc.;* ergo Papa intendit excusare etiam culpabiles, quia qui ignorant inculpabiliter nec peccant, nec perire possunt (1).

26. 5. *Necesse* ; intelligitur quæcumque necessitas gravis, sive spiritualis, sive temporalis, tam communicantis, quam excommunicati, aut aliorum ; Avila Sayr. Lez. Bon. Castrop. Salm. etc. communiter ex *cit. can. Quoniam*, et ex *cap. Si vere* 34. *de sent. excomm.* Et ita pariter (ut recte subjungunt Salm.) excusat necessitas per coactionem metus gravis injuste incussi (2), juxta dicta *Trac.* 2. *n.* 44. Denique hic animadvertendum, non esse obligationem vitandi excommunicatos, nisi constet eos esse vitandos saltem ob publicam famam, aut per duos testes fide dignos ; Sanch. Nav. Bonac. Castrop. Salm. etc. cum Tourn., qui contra scite animadvertit, quod in dubio an confessarius sit nec ne vitandus, non licet apud illum confiteri, ob periculum, ne invalide absolvatur. Cæterum dicunt aa. citati, quod licite possumus communicare cum eo qui excommunicatus fuit, quoties adsit unus testis fide dignus ; imo si ipsemet excommunicatus (si cæteroquin est fide dignus) asserat se fuisse absolutum (3).

27. Loquendo tandem de effectibus excommunicationis minoris, hi duo sunt : alter directus, indirectus alter ; *directus* est privare sub gravi usu passivo, nempe receptione Sacramentorum. Sed hic adnotare oportet, quod licet (ut a principio dictum est) excommunicatio minor jure dumtaxat incurratur ob communicationem cum excommunicato vitando, nihilominus hoc non impedit (ait Laym.) quominus Episcopus ob alias justas causas interdicat alicui usum Sacramentorum. Quæritur autem an peccet qui cum excommunicatione minore confert Sacramenta ? Commune est non esse mortale. Dubium fit an sit veniale ? Affirmant Sayr. Coninch. Castrop. etc. ex *cap. Si celebrat de cler. excomm., etc.* ubi dicitur : *Peccat autem conferendo Sacramenta* ; sed probabiliter negant Suarez Vill. Navar. Bonac. Salm. Busemb. et alii multi, dum in eodem textu alibi dicitur : *Cum non videatur a collatione sed a perceptione Sacramentorum remotus.* Et verba antecedentia, *peccat etc.*, ut concilietur textus, dicunt dd. intelligi, quando minister ad conferendum aliquod Sacramentum, ante illud debet aliud Sacramentum suscipere, prout Episcopo, si confert Ordines, aut sacerdoti, si in Missa Eucharistiam ministrat, opus est prius celebrare, aut Eucharistiam suscipere ; tanto magis quod de hoc casu loquitur textus (4). Alter effectus indirectus, est privari, etiam sub gravi, posse beneficia recipere, uti habetur ex eodem textu, *c. Si celebrat.* Et licet textus tantum loquatur de receptione per electionem, nihilominus communiter dd. intelligunt etiam de ea quæ fit per collationem, et præsentationem ; Laym. Cast. Suar. Bonac. Salmant. Croix etc. Sed notandum talem electionem non esse ex se irritam, sed tantum irritandam, modo scienter eligatur excommunicatus, ut ibi dicitur : *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Sed ex qua parte requiritur hæc scientia ? Alii volunt ex parte electoris ; alii ex parte utriusque ; alii tamen, ut Laym. Castr. et Croix, forte probabilius tenent requiri ex parte electi, nempe quod cum ei confertur beneficium, ille recordatur se esse excommunicatum, quia illud

(1) N 205.—(2) l. 7. n. 206.—(3) N. 207.

(4) N. 148. et 149.

scienter verosimilius refertur ad to *electus* potius, quam ad to *excommunicatus* (1). Notandum hic denique, quod excommunicatio minor potest absolvi a quovis confessario, sed non a sacerdote simplici (2).

PUNCTUM III.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS NON RESERVATIS.

28. *I. De excommunicationibus non reservatis.*
29. *De excommunicat. in cogentes puellas ingredi monasteria, etc.*
30. *II. De excommunicationibus reservatis Papæ.*
31. *et* 32. *De censuris circa quæstionem. Conceptionis B. Virginis.*
33. *De excommunicat. in frangentes clausuram Monialium. In ingredientes ad malum finem, prætextu facultatum.*
34. *An licentia debeat esse in scriptis; et an specialis.*
35. *A quo petenda est.*
36. *Ob quam causam.*
37. *De confessario.*
38. *De medico, et aliis.*
39. *Si statim non egreditur. Et qui ingreditur ad malum finem, sed cum licentia.*
40. *De prohibitione colloquendi cum Monialibus, præsertim regularibus.*
41. *De casu reservato; de parva materia; de conjunctis, et impuberibus.*
42. *An cum Abbatissa, etc.*
43. *An Regulares incurrant censuram ab Episcopo.*
44. *An peregrini, etc.*
45. *An Episcopi, etc.*
46. *De Monialibus frangentibus clausuram*
47. *De clausura Regularium.*
48. *In percussores clericorum.*
49. *De mandantibus, ratihabentibus, aut non impedientibus percussionem.*
50. *Qui veniat nomine clerici, aut monachi.*
51. *Ob quas actiones incurratur.*
52. *Ob quas non incurratur.*
53. *III. De excommunicationibus Bullæ Cœnæ. In hæreticos.*
54. *In fautores.*
55. *In legentes, aut retinentes libros, etc.*
56. *Requisita ad incurrendam istam censuram librorum, etc. I. Ut scienter, etc. II. Ut auctor sit hæreticus.*
57. *III. Ut liber agat de religione, et contineat hæresim.*
58. *IV. Materia gravis.*
59. *Qui audit legere, aut qui legit litteras aut manuscriptum.*
60. *et* 61. *De libris prohibitis in indice.*
62. *Qui retinet libros, etc.*
63. *De cæteris casibus Bullæ.*

I. *De excommunicationibus non reservatis.*

28. Notandæ hic aliquæ excommunicationes magis usitatæ, 1. In extorquentes vi absolutionem a censuris. 2. In sepelientes publicos usurarios. 3. In contrahentes intra gradus prohibitos, 4. In imprimentes libros sine superiorum permissu et juxta Tridentinum (*sess. 4. in decr. de Edit. lib. etc.*) in imprimentes, aut imprimere facientes aut vendentes aut retinentes libros de rebus sacris agentes sine nomine auctoris, nisi habeant licentiam ab Ordinario. 5. In profitentes aliquam scientiam qui Fidei professionem non emittunt, 6. In potestatem usuris faventem. 7. In occupantes bona Ecclesiæ vacantis. 8. In mandantes occisionem alicujus Christifidelis, 9. In impedientes sequestrum ab Episcopo præceptum. 10. In non denuntiantes Episcopos hæreticos, et confessarios solicitantes. 11. In eos qui servare faciunt statuta contra libertatem ecclesiasticam. 12. In clericos in dignitate constitutos, aut sacerdotes qui docent legem aut medicinam. 13. In sacerdotes qui præfecturas laicales suscipiunt. 14. In clericos qui locant ædes usurariis 15. Aut bona Ecclesiæ alienant, aut ultra triennium ea locant. 16. In concionatores qui impugnant montes pietatis, 17. In eos qui fidei renuntiant aut permutant beneficia. 18. In præsumentes absolvere a casibus Bullæ *Cœnæ*. 19. In eos qui in aliquod otherwise se ingerunt sine licentia Episcopi. 20. In raptores mulierum, et in cooperantes in raptu. 21. In ingredientes monasteria (cujuscumque sexus sint) Monialium sine licentia Superioris; sed de hac loquemur *n.* 33. *et seq.* Aliæ excommunicationes minus usitatæ sunt in opere adnotatæ (1).

29. Insuper in Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. sunt excommunicati *quicumque cœgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam (præterquam in casibus in jure expressis) ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem.* Hic fit dubium 1. an incurrat excommunicationem qui cogit mulierem ad ingrediendum monasterium tantum, ut ibi bene educetur ? Negat Sanch. dicendo quod Concilium solum damnat eos qui cogunt ad ingrediendum, ut ibi professionem emittant, aut ut habitum suscipiant. Sed nos oppositum tenemus cum Suar. Nav. Bon. et Fill. dum Concilium aperte postea explicat, etiam incurrere eum qui tantum cogit ingredi, licet absit finis efficiendi ut profiteatur, aut habitum suscipiat; nam subjungit censuram etiam incurrere eos, qui *scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere... consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Igitur si excommunicantur, qui tantum consenserint ut puella ingrediatur invita, tanto magis principales qui eam ingredi fecerint. Cæterum, cum Concilium excipiat casus expressos *in jure*, probabiliter dicunt Suar. Fill. et Bon. posse compelli ad ingrediendum illam puellam, quæ a recta morum via errat, ne in similes errores cadat, et ut cautior ad majores fiat (2) Imo tenent Sanch. et Bon. quod licite potest cogi ad ingrediendum ob cautelam hæreditiæ; sed hoc intelligendum cum adsit prudens suspicio quod illa in sæculo manens pravis immutatur moribus, ut cum videretur nimis proclivis ad conversandum cum maribus, aut si domi essent qui eam pervertere possent; quia tunc videtur cessare finis Concilii, non tantum adæquate sed etiam contrarie (3), juxta dicta *Tr.* 2. *n.* 69. Dubitatur 2. an incurrant excommunicationem parentes qui inducunt filias ad ingrediendum ob metum reverentialem, manifestando eis suam voluntatem. Affirmat P. de Alexandro; sed communius et probabilius negant Rodriq. Barb. Tamb. Portella etc. cum quadam decisione, et hoc etiamsi adjunctæ sunt preces, ut dicunt Barb. et Rodr. modo hæ non sint vehementes, et sæpius repetitæ (4). Advertendum præfatam excommunicationem dumtaxat afficere cogentes ingredi fœminas, non vero mares, ut commun. dicunt Suar. Barb. Sanch. Bon. Navar. Buss. etc. licet cæteroquin hi non excusarentur a mortali (5). Præterea a Trid. in eodem *cap.* 18. excommunicantur *qui sanctam... mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint.* Nomine *veli* intelligitur professio, quæ editur velum suscipiendo. Nomine *Voti* intelligitur professio sed sine velo; ita comm. dd. *Impedire* autem intelligitur quando fit dolo, sed non solis precibus; Sanch. Bon. et Salmant. Denique dubitatur an incurrat excommunicationem qui impedit mulierem ingredi monasterium ? Negant Sanch. Buss. et Castr. sed probabilius affirmant Suar. Bon. et Fill. dum qui impedit ingredi, impediat pariter profiteri (6).

II. *De excommunicationibus Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ.*

30. De excommunicationibus reservatis Episcopo loquemur *Tr.* 20. *de privilegiis, n.* 46. Nunc tantum loquamur de excommunicationibus reservatis Papæ extra Bullam *Cœnæ*, et loquendo de magis consuetis, hæ sunt : 1. In incendiaros, modo sint excommunicati ab *homine*, et de-

(1) N. 150.— (2) Num. 155.

(1) Lib. 7. n 209. ad 209. et 212. — (2) Lib. 7. n. 212. v. quoad.

(3) Ibid. v. dubit. 2. — (4) Ibidem. — (5) Ib. dubit. 3. — (6) N. 212 v. insuper.

nuntiati. 2. In frangentes et expoliantes ecclesias. 3. In communicantes in eodem crimine cum excommunicato a Papa. 4. In vexantes eos qui ferunt censuras. 5. In dantes aut recipientes, ut admittatur aliquis in religionem. 6. In committentes simoniam realem, aut confidentialem circa Ordinem, aut beneficia. 7. In dantes, aut recipientes aliquid, ut obtineatur aliqua gratia aut justitia apud Sedem apostolicam. 8. In duellum committentes, et in eorum patrinos, consultores et fautores, et etiam in spectatores *data opera*, qui sua assistentia incitant eos ad pugnam (vide dicta *Tr.* 8. *n.* 28).9. In usurpantes aut occupantes bona ecclesiarum aut aliorum locorum piorum. 10. In exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 11. In violantes interdictum. 12. In publicantes falsas indulgentias. 13. In retinentes fructus beneficii vacantis, aut impedientes possessionem ei qui non præstat *dulciaria*. 14. In docentes, aut sustinentes opiniones damnatas. 15. In concionantes de tempore judicii novissimi contra sensum Patrum. 16. In parochos qui non observant juramentum residentiæ. 17. In Regulares qui sine privilegio particulari præsumunt ministrare laicis Viaticum, et Extremam-Unctionem. 18. In Regulares qui prætextu privilegiorum absolvunt a casibus reservatis ab Episcopis. 19. In defendentes praxim de interrogando de nomine complicis in confessione (juxta Bullam, *Ubi primum*, editam 3. junii 1746. Benedicti XIV. de qua locuti sumus *Tr.* 16. *n.* 41.). 20. In confessarios qui absolvunt complices peccati turpis contra sextum præceptum, juxta aliam bullam *Sacramentum*, ejusdem Pontificis, de qua in eodem *Tr.* 16. *n.* 95. Cæteræ excommunicationes papales quæ adsunt, videri possunt in Opere (1). Sed oportet hic seorsim loqui de tribus aliis censuris quæ speciali indigent animadversione, nempe 1. In eos qui alterutram damnant opinionem circa immaculatam Conceptionem B. Virginis. II. In violantes clausuram Regularium monasteriorum. III. In percussorem clericorum.

31. Et 1. loquendo de Conceptione divinæ matris, juvat hic meminisse, quinque Bullas circa hoc punctum emanatas : 1. Sixtus IV. in *Extrav. Grave nimis, de Rel. et ven. SS.* anno 1480. imposuit ipso facto excommunicationem reservatam in eum qui damnat hæresis, aut peccati mortalis alterutram sententiam, quæ asserit, aut negat B. Virginem conceptam fuisse sine culpa originali : et etiam in eum qui pro veris habet, aut ut veros legit libros qui affirmant SS. Virginem in peccato conceptam fuisse : et contra præcepit ut in festo Conceptionis B. V. recitaretur Officium Nativitatis suæ, mutato verbo *Nativitatis in Conceptionis*. 2. S. Pius V. in Bulla 114. *Super speculam* an. 1570. prohibuit disputare palam, ubi adsunt viri et mulieres, aut scribere vernacula lingua de tali quæstione, sub pœna suspensionis a *Divinis*, reservatæ, *ipso jure, etc.* Dumtaxat permisit doctis disputare in academiis, quin uti erroneam alterutram damnarent sententiam. 3. Paulus V. in Bulla 97. an. 1616. prohibuit sub iisdem pœnis a S. Pio latis affirmare in aliquo publico actu beatam Virginem fuisse in peccato conceptam. Contra sub iisdem censuris et pœnis prohibuit defendentibus sententiam piam impugnare, et tractare de opposita opinione, dicendo : *Aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent.* 4. Gregorius XV. in Bulla 20 an 1622. prohibuit quominus tam publice, quam privatim assereretur Conceptio B. Mariæ fuisse facta in peccato ; concessit tantum dd. ordinis Prædicatorum, ut privatim colloquia inter se habere possent, de tali materia disserendo. 5. Denique Alex.

(1) Lib. 7. n. 218.

ander VII. an. 1661. in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* primo declarat piam sententiam de Conceptione sine labe a primo instanti B. Mariæ, late longeque promulgatam fuisse, *ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam jam fere omnes Catholici eam complectantur* ; deinde sub iisdem censuris et pœnis renovat decreta prædecessorum, et præcipit ut illa observentur in favorem festi, et cultus Conceptionis B. Virginis juxta piam sententiam. Et præter pœnas latas a Sixto IV. privat facultate concionandi, voce activa, et passiva, qui in dubium revocaret, aut in alio sensu interpretaretur, sive voce, sive in scriptis (declarando damnatos esse omnes eorum libros ubi de hoc actum fuisset) favorem piæ sententiæ, et cultui concessum, asserendo aliquid adversus piam sententiam, aut afferendo argumenta contra ipsam, et relinquent insoluta (1).

32. Ex his omnibus infertur 1. cum Bonac. (qui dictincte agit de hac materia) quod incurrit pœnas 1. qui diceret posse defendi sententiam oppositam immaculatæ Conceptioni B. Mariæ, aut qui adduceret rationes illius, modo id non ageret, nisi ut eam oppugnaret. 2. Qui asserit festum Conceptionis celebrari, quia B. V. sanctificata fuit in utero matris, dum ita aperte se piæ sententiæ refragantem præberet. 3. Qui transcribit sententiam oppositam, adeo ut videretur eam amplecti (2). 4. Transgressores ipso facto suspenduntur a *Divinis* ; et probabilius, ut tenet Bonac. etiam incurrunt inhabilitatem ad officia ; sed quoad privationem vocis, et dignitatum, etc. requiritur sententia. 5. Præfatæ pœnæ incurruntur tam ab Ecclesiasticis, quam a laicis, sicut habetur ex Bulla Pauli V. et Greg. XV. 6. Ab ipsis pœnis solus Papa absolvere potest, aut Episcopus, cum peccatum est occultum : quoad a utem fautores sententiæ piæ, certe his vetitum est sub pœna excommunicationis asserere hoc esse dogma irrefragabile Fidei, oppositam censura aliqua notando, non autem eam rationibus, et auctoritate defendere : quia quamvis in Bulla Pauli V. vetitum sit publice eam oppugnare, et etiam de illa tractare quæstione : nihilominus aliqui dicunt, præfatam Bullam in tali puncto non esse usu receptam, aut intelligi de iis, qui piam defendunt sententiam, ut Fidei dogma, sicut reapse loquitur Bulla s. Pii ; sed responsio certior et clarior est, quod præfata Bulla fuit moderata a novissima Alex. VII : ubi conceditur aperte refellere argumenta oppositæ sententiæ, dum ibi damnatur prædicare, loqui, aut tractare adversus piam sententiam, *contra eam argumenta afferendo, et insoluta relinquendo*. Ergo concedit Papa evidenter adducere argumenta opposita, et ea confutare ; ergo concedit tractare de sententia pia, et eam defendere (3). In opere autem (4) adest defensio piæ sententiæ ; et etiam sententiæ quod liceat vitam effundere pro tali pia sententia cum talis cultus erga SS. Mariam sit actus religionis ; nam dicit s. Thomas (5) quod potest acceptari martyrium pro defendenda qualibet virtute ; et Bened. XIV. (6) dicit, ab Ecclesia pro martyre haberi illum, qui vitam fundit pro defendenda aliqua pia sententia, aut ne omittat aliquem virtutis actum.

33. II. Loquendo de clausura monasteriorum, et primo Monialium, notandum 1. quamcumque personam cujuscumque sexus quæ ingreditur in monasterium Monialium sine licentia in *scriptis* Episcopi, aut Superioris, incurrere excommunicationem ipso facto ex Trid. *sess.* 25. *c.* 5. Multi dd. ut Suarez Azor. Bonac. Barb. etc. dixerunt licere ingredi facere in-

(1) *l.* 7. n. 244. — (2) N. 245. ad 247. (3) N. 248. — (4) N. 349. et 263. — (5) 2. 2. q. 124. a 5. — (6) de Canoniz. ss. l. 1. c. 14. n. 13.

fantem, nam prohibitio principaliter afficit ingredientes ; unde infantes non ligantur præcepto, nec illo ligantur Moniales ; sed S. C. pluries declaravit oppositum. Tanto magis debet ingressus prohiberi amentibus, a quibus majus scandalum timeri potest (1). Ex Bulla Greg. XIII. *Dubiis*, edita 23. Dec. 1581. vetitum est Episcopis, extra casum necessitatis, sub pœna suspensionis a *Divinis* pro secunda vice, et excommunicationis pro tertia ; et Prælatis regularibus sub pœna privationis cujuscumque officii, et etiam excommunicationis pro prima vice, ut vult Sanch. ; sed Bon. et Lamas volunt pariter pro tertia. In casu autem necessitatis, aut visitationis possunt ingredi prædicti Prælati ; sed Prælati regulares non possunt ingredi, nisi semel quolibet anno causa visitationis, et sine assistentia Episcopi, aut alterius personæ ecclesiasticæ ab ipso designatæ, juxta Bullam 156. *Felici* Alex. VII. Episcopi vero debent ingredi sociati, sed *a paucis iisque senioribus ac religiosis personis*, ut loquitur Bulla Gregorii : *pauci* intelliguntur quatuor aut quinque, ut dicunt Victorelli et Tamb. ac de Alexand., secus incurrunt pro prima vice interdictum ab ingressu ecclesiæ, in secunda suspensionem a *Divinis* et pontificalibus, in tertia excommunicationem ipso facto, ut habetur ex citata Bulla Gregorii XIII. Probat id et Fagnan. in 2. *part.* 5. *lib. Decretal. c. Nupe* 29. *de sent. excom. n.* 39. Quod autem Prælatos regulares, si ingreditur generalis, potest secum conducere duos sui ordinis probatæ vitæ, et ætatis maturæ ; si alius Prælatus inferior, tantum unum (2). Notandum 2. præfatas excommunicationes non esse reservatas, sed adest excommunicatio reservata imposita ex mandato Clementis VIII. an. 1602. in eos qui ingrediuntur monasteria ad malum finem. *Malus finis* censetur a Mazzotta quivis finis pravus ; sed melius Pelliz. intelligit finem turpem, dum hic est finis clausuræ, nempe custodire castitatem virginum (3) ; ideoque prohibetur accessus, et collocutio, quæ etiam pertinent ad clausuram, ut mox dicemus *n.* 40. Notandum 3. adesse aliam excommunicationem reservatam a Gregorio XIII. in Bulla *Ubi gratia*, an. 1577. in quoscumque, etiam mulieres, qui ingrediuntur clausuram Monialium (et in mulieres quæ ingrediuntur clausuram Religiosorum) ; sed hæc intelligitur tantum de iis qui ingrediuntur prætextu facultatum sicut dicunt comm. Sanchez Suar. Fagnan. Bon. etc. contra Navar. et Azor. dum in præfata Bulla expresse dicitur, *prætextu facultatum* (4). Et tunc incurrunt eam excommunicationem omnes superiores *quocumque nomine vocentur :* intelliguntur, ut dicunt Sanch. Manuel. Diana et alii (5). Priores Guardiani, correctores, etc. qui alicui permittunt ingredi, aut morari, qui ita ingressus est, juxta Bullam Pauli V. *Moniatium*. Sed advertendum quod in ipsis duabus Bullis non comprehenduntur Prælati, qui ingrediuntur sine causa (6).

34. Quæritur 1. an licentia ingrediendi in monasteria Monialium necesse sit ut sit in *scriptis* ? Affirmant Sanch. Suar. et Castr. ; sed negant Inn. Abb. Felin. Homob. etc., dicentes scripturam solum valere pro foro externo, juxta dicta *Tr.* 7. *n.* 20. Saltem dicunt Bark. Vill. Rodriq. etc. non requiri licentiam in scriptis in casibus ordinariis, ut cum ingressuri sunt medicus, confessarius, aut operarii, quorum opera jugiter opus habent moniales (7). Non est autem dubitandum quin præfata licentia ingrediendi monasteria Monialium debeat esse specialis pro persona designata, cum dicatur in *cap. Periculoso, de stat. Regul. in* 6. *Nisi speciali licentia, etc.* (1). Cæterum recte potest Prælatus committere Abbatissæ, aut alii personæ prudenti concedere præfatam licentiam ; Navar. Bon. Graff. Barb. etc. contra Suar. (2).

(1) L. 7. n. 221. — (2) L. 7. n. 221. — (3) Ib. v. excom. — (4) N. 222. — (5) Ibid. dubit. 2. — (6) N. 221. v. adest. — (7) N. 223.

35. Quæritur 2. quis debeat concedere licentiam ? Respondetur : Episcopus pro monasteriis sibi subjectis, et etiam pro subjectis Sedi apostolicæ, dando eam tunc tanquam delegatus sedis apostolicæ ; Trident. *sess.* 25. *c.* 5. Possunt eam præbere etiam Vicarii capitulares, et etiam (juxta quod dicunt Sanch. Bonac., etc.) Prælati qui gaudent jurisdictione quasi episcopali ; et probabiliter etiam Vicarii generales Episcoporum quoad monasteria Episcopis subjecta ; ita Sanch. Navar. et Lamas, dum in motu proprio S. Pii V. *Decori* dicitur, *Episcopum, aut alium loci Ordinarium*, et sub nomine Ordinarii (ut probat Sanch.) comprehenditur etiam Vicarius Episcopi ; tanto magis, ut probat Fagnanus (3), Vicarius potest totum id quod potest Episcopus in iis quæ sunt ordinariæ jurisdictionis (4). In monasteriis autem subjectis Regularibus licentia danda est a Prælato regulari ; Bonac. Barbos. Castr. et Fagnan. cum Decr. S. C., dum Trid. dicit : *Sine Episcopi, vel Superioris licentia*. Et Sanch. affert hoc fuisse declaratum a S. Pio V. Sed hoc non intelligitur pro diœcesibus ubi contraria viget consuetudo, juxta declarationem S. C. approbatam ab Urbano VIII. (5).

36. Quæritur 3. quænam causa requiritur ut detur præfata licentia ? Resp. quod juxta Trid. *sess.* 25. *c.* 5. requiritur necessitas, cum dicatur ibi : *Dare autem licentiam debet in casibus necessariis*. Et hæc necessitas debet esse ex parte monasterii ; quare non sufficit ut sit ex parte exterorum, nisi esset quod lex naturalis suaderet oppositum ; ita Bon. et de Alexand. cum communi, et cum Decis S. C. Ideoque non licet in monasterio collocare uxorem, ut a furore viri liberetur, aut ne iterum illi rumpat fidem, sicut pluries decrevit S. C. Potest tamen (ut dicit S. C.) Episcopus ibi collocare puellam de qua controversia est, donec lis finiatur (6). Loquendo autem de præfata necessitate ex parte monasterii, debet intelligi moraliter, cum sufficiat, ut dicunt Sanch. Bonac. Barb. de Alex. Miranda, etc. si adsit causa probabiliter justa ; minor causa autem requiritur, ut dicit Barbosa, ad ingredienda mulieres, quam mares : ad ingressum diurnum, quam nocturnum : ad primas ædes, quam ad intimas. Quando autem accidit necessitas urgens incendii, mortis, violentiæ, et hujusmodi, tunc non requiritur licentia, quia in hujusmodi periculis lex humana non obligat ; Sanch. Navar. Graff. de Alex., etc. comm., unde in casu mortis subitaneæ quilibet sacerdos potest ingredi ad dandam absolutionem, et etiam Viaticum et Extrem. Unctionem ut dicunt plures dd. (7).

37. Cæterum confessarius ordinarius potest ingredi (sed cum licentia) non solum ad præstanda ultima Sacramenta, sed etiam ad præbendam solitam communionem Moniali decumbenti ; Bon. Barb. Sanch. Rodriq. etc., cum communi, et cum Declar. S. C. insuper ait de Alexand. (8) quod confessarius, postquam audivit confessionem Monialis decumbentis, potest benedicere novum aliquod ædificium monasterii recenter extructum, et etiam afferre alteri Moniali infirmæ aliquam reliquiam erga quam illa devotione afficitur ; et id simile : sic quoque ex justa causa potest in monasterio manere ad breve tempus videndi officinas, aut loquendi causa de aliquo temporali negotio. Dicunt probabiliter etiam plures dd. quod confessarius extraordinarius, qui in-

(1) Ib. dubit. 4. — (2) N. 224. v. abbat. — (3) Lib. 4. c. Quoniam, de offic. deleg. — (4) Lib. 7. n. 224. v. an autem. — (5) v. major. — (6) N. 225. — (7) Ib. v. talis. — (8) de Alexandr. de Monial. c. 7. § 6 quæst. 9.

greditur cum licentia pro una vice, si causa infirmitatis non potest confessionem excipere, potest iterum ingredi sine licentia : et ita pariter, si infirma revocat confessarium statim ac egressus est, ut ei exponat aliquod peccatum oblitum. Confessarius autem ingredi debet indutus cotta, et stola : et ingredi debet quin ad alias monasterii partes divertat, ne causa quidem invisendi infirmam, quæ Sacramento muniri non indiget ; Barbos. et de Alexandr. Confessarius sæcularis ingredi debet solus, ut declaravit S. C.; sed regularis sociatus ab aliquo maturæ ætatis, et probatæ vitæ, ut dicit Bulla Alexandri VIII. Dum autem confessarius audit confessionem, comitatrices ad januam assistere debent, adeo ut eum videre possint. Potest etiam confessarius pernoctare in monasterio, si Monialis laboret in extremis. Potest etiam ingredi ad benedicendum monasterium a spiritibus infestatum; ut declaravit S. C. Sed si Monialis est obsessa, vetavit S. C. ingredi posse sacerdotem, ut ipsam exorcizet, et dixit potius impetrandam esse ab ipsa Sacr. Congr. licentiam, ut exorcizetur in ecclesia exteriore monasterii (1).

38. Quoad medicum autem, loquendo de ord nario, hic debet licentiam renovare quolibet trimestri juxta Decr. Sac. Congr. 17. Martii 1588. Debet associari a duabus Monialibus ex senioribus ; et debet ingredi solus, nisi infirmitas expostularet etiam alios. Medicus autem extraordinarius tantum potest ingredi in defectu ordinarii, et quando collegium tenendum est. Potest etiam ingredi chirurgus ad secandam venam, et etiam pharmacopola ad docendum, si opus est, quomodo paranda sit medicina. Possunt etiam ingredi factores, notarii, et hujusmodi, aut ad judicandum de ruina imminente, aut ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, aut ad conficiendum testamentum alicujus puellæ. Ita etiam possunt ingredi cum licentia fabri, hortulani, cœmentarii, pistores, bajuli, et alii id genus. Sed hic advertendum cum Sanch. et de Alex. quod si licentia est data pro uno bajulo determinato, eo deficiente, non potest suffici alius. Recte dicunt Bon. et Castropal. (contra Sanch.) non licere sartori ingredi ad bene aptandas vestes. Si autem licentia data esset discipulo comitari cum magistro, dicit de Alex. cum aliis probabile esse, posse ingredi discipulum, aut ibi sistere sine magistro (3).

39. Quæritur 4. an ingressus cum licentia incurrat excommunicationem aut peccet, cum functus jam est suo munere, si statim non egreditur. Resp. quod in quantum ad censuram eam non incurrit, licet diutius ibi moretur; quia tunc tantum violatur clausura, quando quis ingreditur sine licentia; ita Sanch. Bon. Zerola Bord. etc. Qui vero ingrederetur cum licentia, sed ibi sisteret ad malum finem, dicit Sanch. ne illum quidem incurrere censuram; sed animadvertit Bonac. quod licet iste non incurreret excommunicationem latam a Concilio, incurrit tamen illam latam a Clemente VIII. in eos *qui violant clausuram ad malum finem*. Sed posset aliquis huic opponere quod censura Clementis, cum sit pœna, debet stricte intelligi, sicut intelligitur Concilium. (3). Cæterum hac ratione dicunt probabiliter Rodriq. Zerola et de Alex quod non incurrant præfatam excommunicationem qui ingrediuntur ad malum finem, sed cum licentia ; et probabilem eam vocant Bon. et Sanch. (4). Hoc quoad censuram ; quoad peccatum vero dicimus, quod quando quis ingreditur cum licentia, et immoratur, si mora est longa, peccat mortaliter; si brevis, venialiter; ita Bon. Barb. et alii communiter. Imo dicunt Sanch. Rodr. Mol. et Mirand. quod quando mora

(1) Lib. 7. n. 227.

(2) N. 226.— (3) N. 228. — (4) Ib. dubit. 8.

est valde brevis, excusetur etiam a veniali, dum hoc usu etiam piorum receptum est. Putant autem Villal. et Diana, spatium horæ quadrantis esse modicam moram (1).

40. Ad hanc materiam clausuræ spectat etiam prohibitio colloquendi cum Monialibus. In hoc oportet scire quod in *cap. Monasteria, de vita et honestat. cler.* imposita fuit excommunicatio (sed ferendæ sententiæ ab Episcopo) in laicos, et suspensio in clericos, qui præsumunt frequentare monasteria Monialium. Doctores autem censent tunc constitui hanc frequentiam, cum per tres vices tribus diebus continuis, aut semel singulis mensibus anni, aut quater in una hebdomada adeant monasterium (2). Hæc prohibitio postea rigorosius injuncta fuit Religiosis, tam in *c. Definimus* 21 *caus.* 28. *q.* 2. quam in Decreto edito ex mandato Sixti V. ubi fuit eis vetitum non solum ne colloquerentur cum Monialibus, sed etiam cum qualibet muliere in monasterio moram faciente. Dumtaxat concessum fuit Ordinariis per Decretum S. C. Concilii, editum de mandato Urbani VIII. 10. nov. 1623. posse dare licentiam Regularibus colloquendi cum Monialibus in primo, aut secundo gradu, ad summum quater in anno : exceptis diebus festis Adventus, Quadragesimæ, feria VI. et sabbato, et vigiliis; sed cum conditione quod licentia debeat dari in scriptis. et debeat adnotari in curia ab Episcopo, et postea tradenda monasterii confessario, qui debeat eam asservare ; ac eos associare cum auscultatricibus, et non aliis, dum Religiosus colloquitur cum Moniali : declarando amplius quod si Episcopi aliter agant, Pontificis intentionis sunt transgressores; et quod Regulares incurrunt easdem pœnas impositas a Sixto V., nempe privationem *ipso facto* officii, et vocis activæ et passivæ (3). Verumtamen apud Bened. XIV. (*de Synod. l.* 9. *c.* 15. *n.* 7.) et apud Monacelli (*tom.* 1. *in App. pag.* 436.) reperio Sacram Congr. die 26. nov. cum ab ea quæsitum fuisset ; *An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi, peccent mortaliter :* respondisse *affirmative, etiam ex rationabili causa quando non adest licentia.* Idem Bened. XIV. refert in Bulla *Gravissimo*, edita die 31. octobris 1749. per S. C. statutum esse non licere Regularibus *injussu Episcopi libere adire sibi addicta Monialium claustra*. Ex quibus inferri perspicue videtur quod, accedente licentia Episcopi Regulares, qui S. C. adeant, possint colloqui cum Monialibus. Hic etiam adnotandum aliud Decretum ejusdem S. C. die 21 maii, apud Bened. (sub 12. apud Monac. forte errore postpositionis numeri) 1678. quo declaratum fuit iisdem pœnis affici Regulares, qui habita ad Moniales concione, cum iisdem sine licentia Episcopi etiam de rebus spiritualibus colloquuntur. Et ex alio consimili Decreto dicit auctor, qui apponit additiones in *Biblioth.* p. Ferraris *tom.* 5. *verb. Moniales*, post *n.* 59. ibi q. 1. cum p. Gaudentio de Visit. hanc sententiam hodie amplectendam esse, attenta hodierna praxi, *nam ubique* (ait) *fere locorum Ordinarii licentias hasce alloquendi Moniales concedunt Regularibus*. Et ipse p. Ferrar. idem sentit *verb. Moniales, art* 4. *n.* 15. *et* 19.

41. Hæc sunt lege communi statuta ; sed fere in omnibus diœcesibus, et præcipue in illa Neapoli, adest casus reservatus, cum excommunicatione in viros, qui non petita licentia colloquuntur cum quavis muliere, quæ versatur in monasteriis, aut in conservatoriis, exceptis conjunctis in primo vel secundo gradu; declarando quod qui facultatem obtinuit, *non potest data opera, et ex professo*, colloqui cum aliis. Hic plura notanda sunt. Notandum 1. quod ex sententia probabiliori p. de Alex. de

(1) N. 228. resp. 2. (2) I. 7. n. 232. — (3) N. 332. v. circa autem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Januariis et Jordan. intelligitur prohibitus, non solus accessus, ut volunt Sanch. et Bonac., sed accessus formalis, nempe cum effectu collocutionis, sicut deducitur ex cit. text. *Definimus*, ubi prohibetur aditus ad collocutionem ; et in Decretis præfatis semper fit mentio accessus cum collocutione. Ex quo probabiliter etiam dicunt Lezana Tamb de Alex. Bon. Graff. etc. quod prohibitio (ex se loquendo) non comprehendit eum qui cum Moniali collequeretur ex domo contigua, quia tunc deest accessus ; nec qui scribit, aut loquitur per nuntium, ut dicunt etiam Bonac Barb. Mazz. etc. Dictum est *ex se loquendo* ; quia in casu Neapolitano comprehenduntur expresse illi, qui *de rebus obscœnis agerent per litteras, vel internuntium*. Notandum 2. quod juxta casum reservatum peccat mortaliter etiam qui loquitur cum Moniali semel tantum, modo non excuset parvitas materiæ : parvitatem materiæ in hoc alii putant esse spatium unius *Miserere*, ut Diana et Mazzotta ; alii horæ quadrantem, ut Quarti et Werricell. Sed in quodam Decreto approbato a Clemente IX. die 1 martii 1699. prohibitum fuit Regularibus, sub pœna peccati mortalis, et excommunicationis colloqui cum Monialibus *per quodcumque modicum temporis spatium*. Hoc non obstante dicit Ciera non esse per tale Decretum reprobatam opinionem Quarti, quod horæ quadrans sit parva materia, cum in Decreto non damnetur nisi opinio sesquiquadrantis horæ : *Prætendentes non esse interdictum per breve tempus etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio*. Quare contendunt isti propositionem esse damnatam copulative. De hac opinionem doctis committo judicandum, sed ego non audeo eam probare, propter alia verba quæ adjunguntur illi prohibitioni, *per quodcumque modicum temporis spatium*. Advertendum quod si quis loqueretur per multos dies cum Moniali, licet per spatium non notabile, etiam posset peccare mortaliter (1). Notandum 3. quod nulla de causa etiam spirituali licet colloqui cum Moniali sine licentia, ut recte tenet Ciera contra Lezana Peyr. Bord. etc., quia in hoc nunquam cessat finis adæquatus prohibitionis, nempe periculum animi adhæsionis, ne consuetudo ex spirituali fiat carnalis ; quia de re declaravit S. C. quod ex nulla causa etiam honesta, et rationabili permittitur Regularibus colloqui cum Monialibus, vide *præc. n.* 40. in fin. (2). Notandum 4. quod excipiuntur a prohibitione 1. conjuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis. Eximit Ciera etiam conjunctos in secundo et tertio, quia cum petitur dispensatio ad contrahendum inter propinquos in secundo et tertio, debet exprimi etiam secundus, et major impensa requiritur : ergo signum est quod hic gradus mixtus non potest dici in rigore tertius, sed participans de utroque, ac proinde non dicitur secundus et tertius, proindeque tali gradu conjunctus gaudere debet tali privilegio ; et cum in odiosis leges sint restringendæ, sequitur quod nisi Religiosus sit conjunctus Moniali in tertio simpliciter, non intelligitur comprehendi in prohibitione ; sed oppositum ego sentio, cum conjuncti in secundo et tertio non possint dici quod revera sint in secundo. 2. Qui colloquuntur cum Monialibus gravi metu incussi, quia hoc currit juxta regulam legum positivarum. 3. Mendicantes publici, ratione usus, aut tacitæ licentiæ, quæ adest ; ita pariter servi, qui afferunt dona, et cito se expediunt ; Pelliz, de Alex. et Mazzotta (3). Notandum 5. quod impuberes, licet excusati non sint a culpa gravi, si colloquuntur cum Monialibus, attamen non incurrunt excommunicationem, ut recte dicunt Bon. de Alex. Dian. et alii (contra de Graffis) ex *c. Pueris*,

(1) Lib. 7. n. 236.— (2) N. 237 — (3) N. 239.

de delict. puer., ubi dicitur quod pueri non sunt puniendi sicut pueres, et in diœcesi neapolitana expresse eximuntur a reservatione pueri, qui 14. annos non sunt nati (1).

42. Quæritur 1. an liceat loqui cum Abbatissa sine licentia ? Negant Ciera Megalla de Alex. Graff. etc. dicendo quod in Decr. Sixti V. prohibitum est loqui non solum cum Monialibus, sed etiam cum quacumque persona monasterii ; et item Alexander VII. in Constit. *Sacrosancti*, prohibuit colloqui etiam cum Abbatissis ; sed affirmant Lezan. Pelliz. Tamb. Januar. Mazz. Diana et Potestas, quia sub nomine Monialium in odiosis non comprehenditur Abbatissa, juxta Panormit. Glossam etc. et ad Bullam Alexandri respondet Potestas, quod illa edita fuit pro urbe Roma.

43. Quæritur 2. an Regulares loquendo cum Monialibus incurrant excommunicationem reservatam ab Episcopo latam ? Quicquid dicant alii, affirmamus cum sententia communissima Sanch. Barb. Bon. Fagnan. et de Alexand. cum Decr. S. C. Idque valet etiam respectu Regularium habentium speciale privilegium, ne Episcopus possit eos excommunicare, ut fertur habere Mendicantes, ac Jesuitæ a Paulo III. (2). Nam Episcopi in monasteriis etiam subjectis Regularibus, sunt delegati Sedis apostolicæ, ut dicitur in Bulla *Inscrutabilis* Greg. XV. quæ fuit declarativa Trid. ut refert Benedictus XIV. lib. 9. de Synod. c. 15. n. 6. et juxta dicenda *Tr.* 20. *de Privil. n.* 80. *ad* 4.

44. Quæritur 3. an peregrini qui alicubi morantur per aliquod tempus colloquendo cum Monialibus incurrant excommunicationem ibi reservatam ab Ordinario ? Tres adsunt sententiæ. 1. negat cum Pelliz. Diana etc. dicendo ex una parte, quod peregrini non tenentur legibus loci ; ex alia parte dicunt quod Episcopi sunt destinati a Concilio delegati apostolici, sed tantum circa restitutionem, et conservationem clausuræ, ad quod non spectat collocutio : Sed hæc sententia non est satis probabilis, nam ut recte dicunt Fagnanus et de Januar. collocutio ex communi sensu dd. utique spectat ad clausuræ conservationem ; etenim in *cap. Periculoso, de statu Reg*, dicitur : *Nullique ingressus, vel accessus pateat ad easdem* (Moniales), *ut sic a mundanis aspectibus separatæ, omnino servire Deo valeant*. Igitur prohibitio tam ingressus, quam accessus ad clausuræ spectant finem, qui est ut Moniales ab humanis distractionibus alienæ conserventur. 2. Sententia dicit (generaliter loquendo), quod peregrini, licet per tempus breve alibi morentur : incurrunt excommunicationem. 3. Sententia Donati et de Januar. distinguit : incurrunt, si monasterium est exemptum, quia ibi Episcopus (ut dictum est) procedit tanquam delegatus apostolicus, unde ille jurisdictionem habet etiam in peregrinos : secus vero si monasterium est subjectum Episcopo ordinaria jurisdictione, cui non subduntur peregrini per breve tempus ibi commorantes, juxta probabiliorem sententiam allatam *Tr.* 2 *n.* 41. (3). Sed videtur dicendum eos talem excommunicationem non incurrere, etiamsi cum exemptis loquantur, propter id quod num. seq. referemus. Nam Bened. XIV. in referenda Bulla *Gravissimo*. § 3. declarat Episcopos et alios exteros non incurrere pœnas ex eo, quia non subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcopi. Et licet Episcopi in exemptis procedant jure delegato a Sede apostolica, jurisdictio tamen, quia procedunt, est ipsis ordinaria, utpote episcopali postquam asseruerit Episcopos jure ordinario in sibi subjectis, delegate in exempti procedere, § 5 officio perpetuo annexa a Canone.

45. Quæritur 4. an Episcopi collo-

(1) N. 240. — (2) Lib. 7. n. 241. (3) N. 242.

quendo cum monialibus alterius diœcesis peccent, et incurrant excommunicationem ab Ordinario latam ? Quoad peccatum, videntur non posse excusari, dum in præfato c. *Periculoso*, prohibitio est generalis, et afficit omnes, *Nullique ingressus vel accessus pateat*. Nec locus reperitur in quo legatur, quod Episcopi eximantur a legibus communibus, ut dicit Bon. cum Rot. Rom. Quoad censuram vero, tenent Mazzot. Diana et Graff. non incurrere ex c. *Cum inferior de major. et obed.*, ex quo videtur deduci, quod æqualis non possit ligare æqualem. Sed affirmat p. de Alex, dicendo ex Panormit. et Hostiens. quod Episcopus in aliena diœcesi censendus est ut privata persona. (1). Sed his non obstantibus nunc pro certo dicendum hujusmodi Episcopos peccare quidem, sed non incurrere excommunicationem. Nam Bened. XIV. in bulla *Gravissimo* ; edita die 31. Octob. 1749. § 2. refert per S. C. statutum esse, ne gubernatores, vel præsules, vel Episcopi, aut in civitates, aut oppida alterius Episcopi juri subjecta venientes, aut inibi commorantes, adeant Monialium monasteria, § 5. hæc habet : *Jam dictum est hosce homines directivæ Episcoporum auctoritati, eorumque Constitutionibus subjacere* (nempe quoad peccatum) *quæ omnino vetant accessum ad Monialium claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariæ Episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideoque sunt immunes a vi coactiva, id est a pœnis in transgressores statutis, uti patet ex cap.* A nobis 21. *de sent. etc.*

46. Præterea adest excommunicatio papalis in easdem Moniales, quæ a clausura egrediuntur ex bulla s. Pii V. *Decori*. 1569. Et excommunicatio incurritur etiamsi Monialis egrediatur a monasterio unius tantum pedis spatio, ut probabilius dicunt Sanchez et Bonac, cum Graff, et Croix modo exeat tota persona. Eamdem incurreret excommunicationem qui permitteret Monialem egredi, aut ei committetur, aut eam recipiat postquam egressa est. Excusatur tantum egressus causa *magni incendii, vel lepræ, aut epidemiæ*. Notandum 1. hoc intelligi cum non vacat tempus petendi licentiam, saltem ab Episcopo, vel a Prælato regulari. 2. Sub nomine *incendii*, venit etiam inundatio fluminis, militum incursio, domus ruina, et omne aliud simile periculum, ut dicunt Sanchez Bon. Nav. Barbos. etc. 3. Sub nomine *epidemiæ* S. C. declaravit intelligendum de vera peste, contra Nav. Sanch. Bon. Holzm. etc. qui dicunt intelligi de quocumque morbo ita contagioso, ut infirma nequeat curari in monasterio nisi cum periculo inficiendi alias, et inferunt ex eodem c. *Periculoso*, ubi prohibetur Monialibus exire, modo aliqua illarum *non possit cum aliis sine gravi periculo, seu scandalo commorari* : Contra recte dicunt Bonac. Barb. et alii (contra Suar. Nav. etc.) non sufficere ad egrediendum quamcumque infirmitatem gravem, sed non afferentem periculum inficiendi alias. Notandum 4. cum Sanch. et Bonac. quod monialis quæ egressa est, statim ubi convaluit, debet reingredi : hoc statim intelligitur moraliter, nempe elapso uno vel altero die (2).

47. Hactenus de censuris circa monialium clausuram. De alia censura occurrit loqui lata in mulieres quæ violant clausuram monasterium Religiosorum ; ex Bulla *Regularium* s. Pii V. 1566, et altera *Ubi gratia*, Greg. XIII. 1573. Et hanc excommunicationem incurrunt non tantum mulieres quæ monasteria virorum ingrediuntur, aut monasteria mulierum sub prætextu facultatum, ut dictum fuit *n.* 33, sed etiam illæ quæ ingrediuntur sine tali prætextu, ut declaravit idem s. Pius V. in alia Bulla *Romanum*, sicut id intelligunt communissime Castrop. Suar. Bon. Sanch et Salmant. quicquid dicant alii (3). Ex hujusmodi prohibitione tamen ex-

(1) Lib. 7. n. 243.

(2) N. 229. (3) N. 230

cipitur casus, quo mulier ingrederetur clausuram ad evitandam mortem imminentem. Item excipiuntur reginæ, electrices et hujusmodi, ut communiter dicunt Suar. Sanch. Bon. etc. Excipiunt etiam dd. fundatrices et mulieres familiares fundatorum. Sed Bened. XIV. in sua Bulla *Regularis disciplinæ*, 3. Jan. 1742. declaravit has non posse ingredi sine speciali Indulto apostolico ; item vetavit præcipue, ne mulieres sub quocumque prætextu etiam pietatis ingrederentur septa Religiosorum, ex quo revocatum est, quod a s. Pio V. in Bulla *Decet*, permittebatur mulieribus, nempe posse ingredi ad associandam processionem, aut ad audiendum Sacrum, aut ad concionem (1). Dicunt Bonac. Barb. etc. quod sacrarium Regularium etiam est clausura; sed p. Ferrar (2) asserit praxim fere ubique gentium esse contrariam.

48. 3. Loquemur de excommunicatione in percussores clericorum. Hæc habetur in *can.* 17. *q.* 4. ubi dicitur : *Si quis suadente diabolo, in clericum, vel monachum violentas manus injecerit anathematis vinculo subjaceat; et nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandata recipiat*. Explicabimus textum. Dicitur 1. *Si quis*, intelligitur quæcumque persona cujusvis sexus, aut ætatis, modo sit rationis compos, ut habetur ex c. *Pueris de Sent. excomm.* (3).

49. Incurrunt etiam præfatam excommunicationem omnes efficaciter mandantes, aut consentientes in percussione, uti habetur ex c. *Quantæ*, et *exc. Mulieres de Sent. excom.* Dicitur *efficaciter*, dum ad hoc ut hi incurrant excommunicationem, requiritur, ut percussio fiat causa eorum, et ut influxus eorum sit gravis; ita Suar. Nav. Bon. Silv, Salm. etc. cum comm. Dicunt etiam communiter Coninch. Av. Diana Salm. Croix etc. ex c. *ultimo de Homic. in* 6. quod si quis diceret : *Cupio vindictam sumere in talem clericum* ; prævidendo quod alii jam ejus locutione moverentur ad vindictam, hic jam incurreret excommunicationem, si percussio eveniret (4). Incurrunt etiam illi qui *ratihabent* percussionem factam uti habetur ex *cap. Cum quis de Sent. excomm.* Sed in hoc requiritur 1. ut percussio facta sit nomine, aut in gratiam illius. 2. Ut ratihabitio pateſiat aliis externe 3. Ut cum accidit percussio, ille fuerit aptus mandato, aut consilio, saltem habitualiter, v. g. si fuerit ebrius, vel dormiens, secus si fuerit amens; Suar. Sayr. Bon. Castr. Conc. Salm. Croix etc. (5). Incurrunt etiam illi qui non impediunt percussionem, et impedire tenentur ex justicia, ut principes, prælati, judices, parentes, tutores, domini, magistri, parochi etc. uti habetur ex *cap. Quantæ*, ubi dicitur : *Eos delinquentibus favere, qui, cum possint, facinori desinunt obviare*. Secus vero illi qui tenentur impedire tantum ex charitate, licet omitterent impedire ex odio : ita Nav. Bonac. Laym. Conc. Castr. Mol. Salm. etc. cum Glossa in dicto *cap.* 5. *Interpretamus* (contra Suar. et Caj.) ; et merito, nam illi tantum censentur favere percussioni, qui sua auctoritate eam impedire possunt, et non impediunt, adeoque non impediendo, videntur quod ipsi ob taciturnitatem concurrant ad eam approbandam (6).

50. 2. Dicitur *Clericum* vel *Monachum*. Nomine *clerici* intelligitur etiam tonsuratus, licet excommunicatus, suspensus aut interdictus; excepto si iste dimiserit habitum, et post tres admonitiones nec reassumpsisset, ut habetur in *cap. Contingit* 45. *de Sent. excomm.* et juxta communem dd. (7). Nomine *Monachi* intelligitur quilibet Religiosus, sive

(1) Lib. 7. n. 231. (2) Ferrar. bibl. v. Conven. a. 3. n. 14. — (3) L. 7. n. 264 et 265

(4) N. 266. — (5) N. 267. — (7) N. 268, et 269. — (6) N. 270.

conversus, aut novitius, utriusque sexus, et etiam Tertiarii s. Francisci, aut s. Dominici qui gestant habitum, et vivunt in communitate sub obedientia Prælati; Suar. Nav. Bonac. etc. communiter. Idem dicit Fagnan. currere pro mulieribus quæ vivunt in conservatoriis, licet non approbatis a Papa. Idem dicit Reuzi currere pro seminaristis et pueris collegiorum, ut sunt Neapoli pueri Pietatis, s. Honuphrii; etc. Idem dicunt Suar. Fagnan. Tourn et Ronc. de eremitis qui voto aut pacto se adscribunt servitio alicujus loci sacri sub Episcopi subjectione, aut (ut dicit Castrop.) qui vivunt sub aliqua regula cum voto obedientiæ. Cæterum communiter dd. dicunt eremitas vagos non gaudere tali privilegio, licet ex Episcopi licentia alicui ecclesiæ deservirent (1).

51. Dicitur 3. *Manus injecerit*. Intelligitur quælibet percussio realis, et externe gravis cum peccato mortali facta, sive manibus, sive baculo, etc. Sed recte animadvertunt Suar. Castr. Bon. etc. quod quoties injuria censetur gravis ratione reverentiæ clerico debitæ, sufficit qualiscumque percussio etiam levis ad incurrendam censuram, cum in hoc Canone debeat interpretatio large sumi, ut favorabilis statui ecclesiastico (2). Quapropter dicunt dd. incurrere hanc censuram, 1. eum qui expuit in faciem clerici, aut eum coinquinat luto, aut aquam in eum infundit, aut vestem scindit, capillos evellit, aut aliquid aliud de persona illius, ut pileum, pallium, etc. 2. Qui eum in carcerem conjicit, aut in alium locum, unde egredi nequit sine dedecore. 3. Qui eum insequitur ut in foveam cadat, aut excutiatur ab equo; improbabile est etiam incurrere eum qui illum insequitur etiamsi ne ullo fiue, si accidit ut clericus cadat dum fugit, licet alii etiam probabiliter id negant. 4. Qui violenter ferit, aut percutit equum, cui clericus insidet, aut habenis eum retinet; Suar. Castrop. Bon. Laym. Salm etc. communiter. 5. Qui aliqua injuriosa actione clericum afficit, etiam eo consentiente; Suar. Bon. Coninch. et Salm. ex *cap. Contigit, de Sent. excomm.* Sed advertunt Bonacina et Croix, quod tunc censura non esset *latæ sententiæ*; sed *ferendæ*, dum in eodem textu dicitur; loquendo de tali casu, *excommunicetur*. Et idem dicunt Con. et Salm. quod non currit quando consensus clerici auferret ab actione esse injuriosam. At autem sit excommunicatus clericus qui seipsum percutit ira perculsus; affirmant Laym. Navar. Suar.; sed probabiliter negant Castr. Tol. Barbosa Croix Tourn. etc., quia revera Canon videtur loqui tantum de diversa persona, quæ clericum lædit (3).

52. Non incurritur autem excommunicatio, si percussio gravem non irrogat injuriam; hinc non incurrit, 1. fur qui furatur clam crumenam aut vestem clerico: secus si vi hoc faciat, ut dicunt dd. cum communi. 2. Non incurrit qui percutit joco, aut sine culpa gravi: *nec clerici* (excommunicantur,) *si sint plenæ ætatis, et non ex odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate jocosa, se ad invicem percutere contingat*. Idem dicunt Bon. Fill. Laym. Mol. Salm. Castr. etc. currere de pueris Tonsura, aut minoribus ordinibus initiatis, qui se invicem pugnis percutiunt, licet sanguis e naribus emanet; quia tales percussiones non reputantur graviter injuriosæ, licet (addit Otus) percussio esset gravis; sed hoc intelligendum, modo illa non fuerit deliberata. Idem valet si esset casualis, aut ob propriam defensionem, aut proxime conjunctorum, aut bonorum. 3. Non incurrit excommunicationem qui in percutiendo non peccat graviter defectu advertentiæ, aut consensus, ob iram subitaneam, ut communiter dicunt Suar. Bonac. Laym. Castr. Con. et Salm. Sed hic

(1) Lib. 7 n. 274. — (2) N. 272. et 273.

(3) N. 274.

quæritur an incurrat qui percutit ignorans percussum esse clericum, sed animo paratus eum percutiendi etiamsi cognovisset? Alii affirmant; sed communissime et recte negant Suarez Vasq. Bon. et Alii; quia ad incurrendam censuram non sufficit voluntas interpretativa, sed requiritur actualis. Secus vero si percussor dubitaret quod ille sit clericus, aut si eum percuteret animo afficiendi eum injuria, sive sit clericus, sive laicus. Si vero ignorantia est crassa, dicimus cum Sanch. Covar. Croix etc. non excusari percutientem; *to* enim *suadente diabolo*, non requirit jam dolum, uti volunt Silv. Felint. etc., sed importat tantum ut adsit peccatum mortale. Incurrit etiam qui percutit clericum, quem putaret esse alium clericum quem lædere intendit; quia jam irrogat injuriam statui clericali (1), ut diximus *Tr.* 10. *n.* 85. Non incurrit 4. Prælatus, magister, aut pater qui percutit (sed moderate) clericum qui minoribus ordinibus initiatus est: et idem dicunt rationabiliter Salm. de fratre majore ætate, cui curæ esset clericus, ut infertur ex *cap. Cum voluntate*, 54. §. *Si quis, de Sent. excomm.* ubi conceditur id omnibus, *qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum... duxerint corrigendos*. Ita etiam permittunt dd. Prælatis, et magistris ecclesiasticis corripere etiam clericos in *Sacris*, modo correptio sit moderata. Sed fit dubium, an ita possint etiam parentes? Negant Laym. Mol. Castr. etc.; sed probabilius affirmant Suar. Tourn. Conc. Val. Avil. Bon. Salm. Con. etc. dum in *cap. 1. de Sent. excom.* excusatur jam magister, *si scholarem jam clericum* (*quamvis sit plenæ ætatis*, ut prius ibi dicitur) *intuitu disciplinæ, vel correctionis percusserit*. Igitur si potest magister percutere clericum perfectæ ætatis, qua de re intelligitur etiam clericus in *Sacris*, non solum intuitu disciplinæ, sed etiam correctionis, tanto magis poterit pater, cujus principaliter est filios corripere (2). 5. Excusatur, ut dicitur *c. Si vero, 3. de Sent. exc. Qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter* (agentem) *inventum manus injecerit violentas*; secus si persona non est ita ei conjuncta; notant tamen Nav. Tourn. Conin. Croix etc. quod hujusmodi percussor tunc tantum excusatur a censura, cum percutit eodem actu, aut paulo post. Præterea recte dicunt Laym. et Nav. non excusari virum qui ex proposito etiam expectat clericum, et postea eum in adulterio deprehensum percutit: num tunc non verificatur quod deprehendit eum in delicto, dum eum expectat ad delictum. Contra rationabiliter Suar. Sayr. Sylv. Salmant. etc. excusant mulierem quæ percutit clericum qui eam sollicitat, cum illa non potest alia via se liberare, etiamsi ille eam tentasset solis gravis verbis; sed hoc intelligendum est, quando mulier pro tali sollicitatione reperiretur in periculo labendi (3). Circa vero absolutionem a tali excommunicatione quando possit concedi ab Episcopo, et quando a Papa, vide dicenda in *Tract.* 20. *de Priv. n.* 46. 47. *et* 48.

(1) L. 7. n. 275.

III. *De excommunicationibus reservatis Papæ in Bulla Cœnæ.*

53. Principalis excommunicatio in hac Bulla est in hæreticos, in eorum fautores, in eorum libros legentes. Primo igitur loco incurrunt præfatam excommunicationem hæretici: sed ad eam incurrendam 1. requiritur ut hæresis sit formalis; nempe ex errore intellectus, et non pertinacia, ita ut quis velit eam amplecti opinionem, non obstante quod sciat illam esse oppositam Ecclesiæ doctrinæ, ut docet s. Thomas (4) cum communi. Dictum est, *non obstante quod sciat*, quia ignorantia licet supina excusat ab hac censura; quia

(2) N. 275 v. 5. si præl— (3) Ib. v. 6. si percutiatur.— (4) 1. part. quæst. 32 a. 4.

tunc deest hæc pertinacia, quæ hæresim formalem constituit. Imo, ut dicunt probabiliter Suarez Azor. Castropal. Salm. Bann. Sayr. etc., excusat etiam affectata: dum non contradicit Ecclesiæ, qui nescit se Ecclesiæ contradicere, quacumque ignorantia id nesciat (1). Si quis autem dubitat de rebus Fidei positive judicando dubium esse aliquod dogma, certe hic incurrit censuram tanquam hæreticus; prout communiter dicunt Sanch. Vasq. Bon. Salm. etc. ex c. I. *de Hæret.* Qui autem dubitaret negative, non jam judicando, sed suspendendo judicium, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia tunc non adest electio pertinax contra id quod sentit Ecclesia; ita Canus San. Bovarius Salm. Tamer etc. (2). Requiritur 2. ut error sit externatus verbis aut signis, per se aut per circumstantias hæresim manifestantibus; unde dicunt Laym. et Salm. non incurrere censuram, qui diceret: *Non est Deus*, tacendo *to* Jesus Christus (3). Requiritur 3. ut manifestatio sit per se peccaminosa, unde non incurrit qui manifestat errorem suum consilium exposcendi fine. Requiritur 4. ut ipse manifestet suum hæresim animo eam profitendi; secus tam in hoc quam in aliis casibus, in quibus non incurritur censura, potest absolvi hæresis a quolibet confessario (4). Cæterum ad incurrendam excommunicationem, sufficit errorem esse externe manifestatum, licet aliis non fiat notus; Azorius Avil. Corn. etc. cum comm. (5). Et constat ex praxi aliquarum facultatum quas Pontifex solet concedere Missionariis; nam solet concedere facultatem absolvendi ab hæresi, modo complicem non habeat, quæ utique alias non est hæresis externata et nemini nota.

54. Secundo loco incurrunt hanc excommunicationem, ut exprimitur in Bulla, *credentes, fautores, receptatores, et defensores*. Illi dicuntur *credentes* qui externe ostendunt se consentire erroribus, dicendo v. gr. *Ego credo quod credit Calvinus*, aut *Calvinus fuit vir sanctus*. *Fautores* sunt qui laudant hæreticum, aut ei auxilium præstant ad fugiendum; aut cum possunt eum capere, aut punire omittunt, cum teneantur id facere ex officio. *Receptatores* sunt qui domi excipiunt, aut occultant hæreticum, ne puniatur. *Defensores*, qui impediunt judicem, quominus capiat, aut puniat hæreticum, aut qui defendunt eorum errores, licet interne aliud sentiant et credant (6). Dicunt autem Tolet. Castr. etc. hujusmodi fautores incurrere excommunicationem, licet id non agant animo favendi hæresi, sed ut opitulentur conjuncto, aut amico; sed probabiliter id negant Sot. Azor. Laym. Salmant. Arriaga et Sanch. cum s. Bonav., quia Ecclesia ideo damnat præfatos *fautores* in quantum favent hæretico, uti hæretico, non autem ut propinquo aut amico (7). Quod si fautor jam cum effectu opitularetur hæretico, ut eum a judicis manibus subtrahat, licet ille postea capiatur, non excusatur a censura, ut recte dicunt Sayr Graff. Castrop. et alii (contra Sanch. et Suar.), quia jam verificatur quod cum effectu faveat hæresi (8).

55. Tertio loco incurrunt excommunicationem, uti dicitur in Bulla, *scienter retinentes, legentes, imprimentes, defendentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæresim continentes, ex quavis causa publica vel occulta; quovis ingenio, vel colore*. Et idem dicunt Salm. currere (juxta Decreta pontificia) de illis qui vendunt, emunt, aut transferunt dictos libros, aut impediunt quominus tradantur Episcopo (9). Hic quæritur an Episcopi legere possint libros prohibitos? Videbatur posse, cum omnes Episcopi, ubi non adest

(1) Lib. 7. n. 301. — (2) L. 7. n. 302. — (3) N. 303. — (4) N. 304. — (5) N. 305. (6) N. 306. — (7) N. 307. — (8) N. 308. — (9) N. 281. et 285

formale tribunal S. Officii, sunt inquisitores nati, qui procedere valent via ordinaria adversus delinquentes in materia Fidei; sed negandum cum Sylvio Barb. et Bonac. (1) ex bullis Julii III. *Cum meditatio*. Pauli IV. *Quia in futurorum* et Pii IV. *Cum pro munere*, relatis ab auctoribus præfatis, ubi inhibetur tam Episcopis, quam inquisitoribus lectio librorum vetitorum. *Præterquam* (excipitur) *senioribus et commissariis hæreticæ pravitatis*: To *commissariis* intelligitur de iis inquisitoribus, quibus cum committitur aliqua particularis causa, legere indulgetur libros ad illam materiam concernentes, sed tantum pro eo tempore quo permanet commissio, ut Bonacina loco citato explicat, dicens: *Exceptis inquisitoribus commissariisque pro tempore deputatis, durante illa deputatione*. Et hic, transeunter advertatur, quod in laudata Bulla, *Cum pro munere*, Pii IV. præscribitur libros prohibitos non tantum retineri non posse, sed nec etiam lacerari ab aliquo, aut comburi, sed deferendos esse ad inquisitores vel Episcopos, ubi tribunal S. officii non manet.

56. Ad incurrendam tamen hanc censuram, quatuor requiruntur conditiones: 1. ut scienter legantur aut retineantur illi libri: unde excusat ignorantia etiam crassa, et affectata, ut dictum est n. 8. Sed non excusatur ille qui legeret, etc. librum, sciens fama, aut dicto unius testis fide digni, quod liber sit prohibitus, ut dicunt communiter Lug. Sanch. Bonac. Croix etc. (2). 2. Requiritur ut auctor sit hæreticus, unde non sufficit quod sit infidelis, Suar. Sanch. Castr. Salm. etc. Libri tamen Thalmud, et alii Hebræorum sunt prohibiti per Bullas s. Pii V. et Clementis VIII. Dicit autem recte Holzman, inter hæreticos habendos esse etiam illos, qui ex professo agunt de hæresi, licet tacito nomine circumferantur; nam eorum auctor supponendus est certe hæreticus (3).

57. III. Requiritur ut liber hæretici aut tractet de religione, aut contineat aliquam hæresim: adeoque ut ille sit prohibitus, sufficit ut contineat unum tantum errorem adversus Fidem, licet non tractet de religione, ut recte dicunt Sanch. Castr. Salm. et Bonac. (quicquid dicat Busemb. cum aliis) (4), aut tractet ex professo de religione, aut de dogmatibus, aut de Canonibus, aut ritibus aut de materia spirituali. Dicit autem Croix cum Pignat. excusari qui raderet errorem a libro, et legeret reliquum; quia liber non amplius contineret hæresim. Sed huic se opponunt Suar. Bon. et Sanch. dicentes, quod illa abrasio particularis non tollit communem prohibitionem libri. In hoc mihi arridet distinctio P. Sporer: Si liber tractat ex *professo* de religione, abrasione non obstante, etiam prohibitus remanet liber, juxta Bullam, quæ prohibet omnes libros hæreticorum de religione tractantes. Secus vero si liber ageret de rebus indifferentibus, prout de philosophia, aut de historia, excepta historia Centuriatorum, aut hujusmodi, quæ in substantia agit etiam de religione. Communi cæteroquin dicunt Suar. Tol. Castr. Croix etc. quod incurrit censuram qui legit sine licentia tales libros prohibitos, etiam ad confutandos errores, et sine periculo perversionis, dum in Bulla vetantur legi *ex quavis causa vel colore*: excipiunt tamen Laym. Dicast. Holzm. Elbel etc. si quis doctus legeret, ut convinceret, aut converteret aliquem hæreticum particularem, et necessitas non pateretur moram, cum tempus non suppetat quo possit obtineri licentia (5). Hæc licentia obtinenda est aut a Papa, aut a S. C. Indicis, aut Concilii; dumtaxat in casu ma-

(1) Sylvius t. 3. q. III. a. 3. quær. 4. con. l. 2. in fin. Barbosa de Pot. Episc. p. 3. Alleg. 90. n. 8. Bonac. t. 3. Disp. 1. q. 2. p. 4. n. 10. — (2) L. 7. n. 296. (3) N. 282. — (4) N. 283. — (5) Ib. in fin.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gnæ necessitatis, ait P. Viva, potest eam concedere Episcopus (1).

58. IV. Requiritur ut lectio sit materia notabili, nam communiter in hoc admittunt dd. parvitatem materiæ. Hanc parvitatem autem dicunt Sanch. Vivald. Sa etc. esse etiam unam paginam ; sed hæc opinio est nimis laxa. Alii contra, ut Graff. et Reginald. dicunt esse tres aut quatuor versus. Alii denique, ut Marchant. Holzm. Spor. Elb. Croix melius distinguunt, habita ratione finis prohibitionis, et dicunt quod si in aperiendo libro occurril hæresis, potest incurri censura etiam legendo paucos versus, cum possit ibi adesse periculum perversionis: secus autem, si ibi agitur de alia materia sine ullo errore (2). Cæterum potest incurri censura in legendo solo proœmio, aut indice, aut præfatione, cum legitur in quantitate notabili ; Laym. Bonac. et Busemb. (3).

59. Quæritur hic 1. an incurrat censuram qui audit alium legentem suo jussu ? Affirmant Azor. Silv. Pignat. etc.; sed probabiliter id negant Navar. Conic. Sanch. Castr. Filliuc. Croix et Viva ; et Sporer Sousa et Stephanus excusant etiam a peccato si illi qui audit non adest periculum perversionis (4). Quæritur 2. an incurrat qui legit epistolam, aut concionem seorsim impressam? Affirmat Suar. ; sed communius et probabilius negant Laym. Sanch. Busemb. Holzm. Marchant. Salm. Bon. Castr. et Lugo, nam talis scriptura non potest dici liber ; et cum agatur de re odiosa nempe de pœna, stricte interpretandum (5). Quæritur 3. an incurrat excommunicationem qui legit manuscripta hæreticorum ? Negant Azor. Viva Spor. etc. cum Sylvio, qui refert etiam Declarationem S. C.; sed constanter affirmant Suar. Pignatel, Sanch. Croix Holzm. Dicast. et alii, dicentes quod manuscripta etiam veniunt sub nomine librorum, prout ante inventionem artis typographicæ libri dicebantur, et nunc libri, ubi adnotantur baptizati, confirmati etc. a Rituali libri dicuntur, sicut etiam appellantur libri acceptorum, et datorum, libri regestorum etc. Et respondetur ad Decr. S. C. non satis constare, sicut dicunt Croix et Salm.; cæteroquin advertit in expurgatorio Romano prohiberi generaliter sub pœna excommunicationis omnes scripturas hæreticorum, usquedum approbentur ab Episcopis (6). Advertendum tamen quod Bened. XIV. quotquot libros prohibuit, etiam manuscripta comprehendit, ut videre est in suis Bullariis. Item cum edita esset quædam dissertatio manuscripta adversus Bullam ab eodem editam super Bullam *Unigenitus*, ipse etiam illam prohibuit. Item declaravit quod, prohibito libro in uno idiomate, intelligitur ille prohibitus, in quocumque alio sit translatus.

60. Contra non sunt prohiti 1. libri catholicorum qui referunt verba alicujus hæretici, ad eum confutandum; Suar. Laym. Nav. Azor. Sanch. etc. communiter (7). 2. Libri catholicorum, ubi adsunt notæ alicujus hæretici ; modo (recte limitant P. Suar. Pignat. etc.) tales adnotationes, sive scholia non essent adeo copiosa, ut potius ex iis constaret liber, quam ex auctoris scripto (8). 3. Libri hæreticorum philosophici, aut alterius materiæ, sed ab erroribus immunes. nam (ut diximus *n.* 57) etiamsi sit ibi scriptus aliquis error incidenter jam ille prohibitus est, quicquid dicat Bus. cum aliis.

61. Refert hic aliquam dare notitiam de indice librorum prohibitorum ex mandato Pauli IV. edito, et approbato etiam a Clemente VIII. Hic index tres librorum classes constituit. Prima constat ex libris hæreticorum, qui continent (ut dictum est) hæresim, aut tractant de religione. Secunda ex libris catholicis, sed continentibus aliquam errorem

(1) N. 299 v. facult. — (2) L. 7. n. 284. — (3) N. 292. — (4) Ibid. — (5) N. 293. (6) 293. — (7) N. 286. — (8) N. 286.

aut contra Fidem, aut contra bonos mores, sed hi non sunt prohibiti, donec adnotentur in indice, ut dicit doctissimus Lupo : modo non sint illi qui generaliter sunt prohibiti ab judice. Tertia ex libris, qui circumferuntur tacito auctore, et hi, ait idem Lupo, nec prohibiti sunt, nisi aliquam contineant doctrinam pravam : et tanto minus si produntur cum approbatione Ordinarii, ut hodie communiter videtur adolevisse usus. Præterea sunt prohibiti omnes libri Hæresiarcarum, licet non tractent de religione : item libri hæreticorum (ut superius innuimus) donec permittantur ab Episcopis : Biblia vulgaria, et libri qui in lingua vernacula loquuntur de quæstionibus cum hæreticis : libri magici, et obscæni ex *professo*, et etiam de astrologia judiciaria, in quam Sixtus V. inflixit excommunicationem reservatam. Et item prohibita sunt in indice omnia scripta damnata tanquam suspecta de hæresi, aut de falso dogmate, sub excommunicatione, sed non reservata. ut dicunt Pignat. et Suar. (1). Licet referant Salm. S. Pium V. talem excommunicationem sibi reservasse.

62. In Bullæ vigore incurrit excommunicationem non tantum qui legit, sed etiam qui retinet præfatos libros hæreticorum. Qui forte eos haberet, tenetur ad eos consignandos aut Episcopo, aut inquisitoribus, juxta præceptum Julii III. et Pii IV. Et loquendo de locis ubi inquisitio erecta est, dicit P. Suar. cum aliis, quod incurreret censuram qui eos igni daret ; sed eum excusant Sanch. Pignat. Salm. Croix, dicendo quod qui librum cremat, non potest dici quod librum teneat (2). Et revera Bened. XIV. cum damnasset aliquos libros, præcepit aut consignandos, aut cremandos. Cæterum non excusatur qui retinet librum alterius nomine, sive pignori, sive commodato, sive deposito; aut qui eum apud alium teneret, quia cum ipse retineat dominium, etiam dicitur quod ipse retineat, cum possit pro libitu eum repetere ; Suarez Sanch. et alii communiter. Et hic notetur propositio 45. ex damnatis ab Alex. VII. quæ dicebat : *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri etc.*; dicit tamen Croix cum aliis quod excusaretur qui librum reponeret in loco sequestrato, qui in quolibet monasterio assignari solet. Et qui consignaret librum alicui habenti licentiam, cum pacto non amplius eum repetendi, nisi post expurgationem, aut post licentiam obtentam, ego nescirem eum damnare ; et tanto minus si librum ei donaret cum pacto repetendi tantum cum licentiam obtinuerit (3). Excusaretur etiam qui librum paulum temporis re tinet v. g. per unum vel alterum diem; ita Laym. Sanch. Sayr. Bon. et alii communiter. Et admittunt hoc Cast. et Viva, in quantum ad excusandum eum a censura, licet ille in illo modico tempore animum haberet illum semper retinendi; dum, ut dicunt, deest tunc materia gravis facti. Præterea Laym. Pignat. Sayr. Sanch. Graff. etc. etiam excusant eum, si diutius librum retineat, expectans tempus opportunum quo tradat Superiori vel alteri habenti licentiam (4).

63. Multi alii autem (ultra præfatum casum hæresis) sunt casus Bullæ Cœnæ, quibus annexa est excommunicatio. Expedit hic principaliores adnotare. Et sunt in eos qui surripiunt bona Christifidelium naufragantium, licet in littore inventa, modo non habeantur ut derelicta. In dominos qui in terris suis sine privigio imponunt tributa ; tale privilegium habent reges, respublicæ, et etiam universitates, cum id ad subveniendum civium necessitatibus expediens est : ita Vasq. Dic. Salm. Viva, etc. In piratas deprædentes Christianos in mari ecclesiastico. In falsificatores litterarum apostolicarum. Qui a judicibus ecclesiasticis

(1) L. 7. n. 288. et 289 — (2) N. 299. (3) N. 298. — (4) N. 295.

avocant causas spirituales, aut trahunt clericum ad tribunal laicale. In usurpantes jurisdictionem aut fructus beneficiales. In vexantes Romipetas, aut eum qui illinc regreditur ob negotia ad Sedem apostolicam spectantia. Alii casus minus usuales videri possunt in Opere (1) ; sed hic tandem notandum quod Clemens VIII. imposuit excommunicationem reservatam in absolventes a casibus *Bullæ Cœnæ* sine facultate (2).

PUNCTUM IV.

DE SUSPENSIONE, DEGRADATIONE SIVE DEPOSITIONE, DE INTERDICTO, ET CESSATIONE A DIVINIS.

64. 65. *et* 66. *I. De suspensione.*
67. *II. De depositione, et degradatione.*
68. 69. *et* 70. *III. De interdicto.*
71. *IV. De cessatione a Divinis.*

64. Et 1. *de suspensione.* Suspensio est *censura qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur*. Certum est peccare graviter clericum exercentem functionem aliquam sibi ob suspensionem vetitam, nisi excusetur, aut quia exercet Ordinem non sacrum, aut sacrum, sed non solemniter, ut docent s. Anton. Habert. Tourn. Salm. etc. contra Suar. et Nav., aut quia exercet illum ex ignorantia aut metu gravi, aut in parva materia : Bonac. Tourn. Salm. etc. (3). Hic quæritur 1. an incurrat irregularitatem clericus exercens actum a quo suspensus est ? Multæ adsunt sententiæ ; sed illa quæ mihi magis arridet cum Ronc. et aliis, sic distinguit : si suspensio imposita est per modum statuti, aut præcepti ob delictum futurum, aut etiam præteritum, sed habens tractum successivum, tunc reus incurrit, juxta *cap.* 1. *de Sent. et re jud. in* 6.; secus autem si suspensio lata est per sententiam in punitionem delicti omnino præteriti, quia tunc suspensio habet rationem meræ pœnæ, non jam censuræ ; nam censura non potest imponi ob delicta omnino præterita (4), sicut diximus *num.* 8. Quæritur 2. an Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem, si ea exercet ? Negant Silv. Innoc. Abbas, etc. dicentes quod tunc Episcopus non exercet Ordinem sacrum : innitentes illa sententia quod Episcopatus non sit Ordo, licet opposita sit valde probabilis cum Bell. Sanch. Tourn. et aliis (vide *Append.* 3. *de Exam. etc. cap.* 2. *n.* 27. *in fine*). Nihilominus negari non potest quin tale exercitium sit actus Ordinis sacri, sin distinctus, saltem extensus. Quod si Episcopus suspensus celebraret Missam solemnem cum Pontificalibus, dicimus quod peccaret, sed non incureret irregularitatem, quia celebrando non exercet actum substantialem Ordinis episcopalis, sed solius sacerdotalis, a quo non est suspensus (5).

65. Suspensus non toleratus invalide exercet jurisdictionem. Toleratus vero exercet valide, sed illicite, si requisitus non e-u ab aliis; Busemb. Salm. etc. (6). Alii autem, etiamsi clericus esset nominatim suspensus, probabiliter dicunt ut Suar. Castrop. Holzm. et Salm. non teneri sub culpa gravi ad eum vitandum, et subjungunt esse omnino illicitum fidelibus audire Missam sacerdotis suspensi (7).

66. Suspensio alia fertur ad tempus, alia in perpetuum. Alia est a beneficio, aut ab aliqua functione ipsius : alia ab officio, quæ comprehendit tam suspensionem ab Ordine, quam a jurisdictione. Notandum 1. quod suspensus absolute, intelligitur suspensus tam a beneficio, quam ab Ordine ; Laym. Busemb. etc.; adeo suspenso tunc interdictum est quodlibet exercitium Ordinis et jurisdictionis. Sed notandum cum s. Thoma (8), quod suspensus ab Ordine, non proinde est suspensus a jurisdictione ; et ita etiam dicunt cum communi Suar. Nav. Tourn. Fagnan. etc. quod suspensus ab officio, non ideo est suspensus a beneficio, modo supplere faciat per alios functionibus officio debitis. Excipitur tamen si delictum sit enorme, *cap.* 10. *de Purg. Canon.*, aut si reus permaneret per annum suspensus. *cap. Cum bonæ de Ætat. et qualit. etc.* Notandum 2. quod suspensus a beneficio non est suspensus ab officio. Quare tenetur ad Horas canonicas, et alia ad onera officii, licet privatus sit fructibus. Hoc tamen non intelligitur, quando suspensio est ob delictum omnino præteritum, sed quando est imposita ob contumaciam, a qua suspensus possit libenter liberari : Suar. Fill. Conine. etc. communiter. Imo dicunt Tourn. Avil. Renzi, etc. quod si beneficiatus est occulte suspensus, et adimplet onera, potest sibi retinere illam partem fructuum, quæ spectaret ad substitutum (1). Suspensus autem a beneficio a proprio Episcopo, non intelligitur suspensus ab aliis beneficiis quæ extra diœcesim haberet, modo Episcopus non exprimeret ; quia tunc, licet illa beneficia non subdantur Episcopo, est tamen subjecta persona suspensi ; Tourn. Pont. et Renzi (2). Dicimus præterea, cum sententia probabiliori Suar. Laym. Antoine, etc. contra Bonac. quod si suspensus acquirit novum beneficium, collatio potest recte irritari, sed non est nulla ex se, cum id non sit expressum in lege ; imo ex *cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualit. etc.* oppositum deducitur (3). Notandum 3. quod suspenso a beneficio non est interdictum præsentare, et conferre alia beneficia, licet jus ei competat ratione ipsius beneficii ; Busemb. etc. (4). Notandum 4. quod, suspensa communitate, non intelliguntur suspensæ personæ illius ; sed sola communitas, quoad officia et beneficia, quæ in communi illa possidet ; Bonac. Salmant., etc. cum s. Thoma, etc. commun. Et si particulares exercerent functiones communitati vetitas, peccarent utique sed non incurrerent irregularitatem, nam talis prohibitio non esset proprie censura ; Suar. Castrop. Ronc. Salm. etc. Quod si suspensio est imposita tam communitati, quam personis, tunc non incurrunt innocentes, *cap.* 2. *de Constit.* (5). Notandum 5. cum Nav. Bon. Salm. Busemb. etc.; quod si Prælatus diceret coram oretenus, *Ego te suspendo*, hæc potius dicenda esset prohibitio quam suspensio; nam non præsumitur velle in hoc ille peccare, cum vetitum sit Prælatis suspendere sine scriptura (6). Notandum 6. quod ex veriori, et communissima sententia Suar. Sot. Laym. Sanch. Salm. etc. (contra Nav.), suspensio totalis nempe ab omni usu officii, aut ab aliquo illorum ad tempus notabile, non incurritur, nisi per peccatum mortale ; secus autem, si suspensio esset partialis, aut totalis ad breve tempus, v. g. per aliquot dies, aut per hebdomadam, aut esset ferendæ sententiæ (7). Notandum denique quod Episcopi, et omnes confessarii possunt absolvere a suspensione imposita ad tempus, aut conditionate ; tempore illo elapso, aut verificata conditione, ipsa ex se cessat (8). Qui vero desideraret scire suspensiones in particulari quæ in Ordinandos latæ sunt, videat in *Append.* 3. *de Examine, etc. num.* 46. Suspensiones autem generales in *jure* adnotatæ sunt in opere (9).

67. 2. De *depositione* et *degradatione*. Depositio, et degradatio non sunt censuræ, sed sunt suspensioni similes : hac differentia tamen, quod illæ auferunt jus radicale ad beneficia, et prohibent usum Ordinis in perpetuum, quod quidem non efficit suspensio. *Depositio* alia est verbalis, et hæc proprie dicitur depositio, quæ relinquit privilegium Canonis et fori :

(1) N. 309 ad 11 — (2) L. 7. n. 311. in fine. — (3) N. 343. v. est certum. — (4) N. 314. — (5) Ib. dub. 2. — (6) Ib. v. 4. suspensus. — (7) N. 438. et seq. — (8) Suppl. q. 22. a. 3. — (1) L. 7. n. 316. — (2) Ib. dubit. 2. — (3) Ib. dubit. 3. — (4) Ib. v. 6. suspensus. — (5) N. 317. v. quando — (6) Ib. v. 10. si prælatus. — (7) N. 321. — (8) N. 322. — (9) N. 318.

alia est realis, et hæc proprie dicitur *degradatio*, quæ privat exercitio officiorum, et privat beneficiis, et privilegio Canonis, et fori cum certa solemnitate, et ad semper, sine spe restitutionis. Dictum est, *exercitio*, quia ordo non potest tolli : unde degradatus tenetur ad votum castitatis jam emissum, et ad horas canonicas, et invalide contraheret matrimonium (1). Degradatio non potest celebrari nisi ab Episcopo, sed depositio potest fieri etiam ab ejus Vicario : in depositione potest dispensare Episcopus sed in degradatione solus Papa. Depositio non potest fieri nisi in casibus expressis in jure, et in delictis atrocioribus; degradatio autem fit tantum in criminibus gravissimis, nempe hæresis manifestæ, calumniæ in proprium Episcopum, sodomiæ frequentatæ (2), et similium.

68. 3. De *interdicto*. Interdictum *est censura qua prohibetur usus divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ*. Dividitur interdictum in locale, personale, et mixtum. Per locale prohibentur divina officia in loco dumtaxat : per personale certis personis aut communitati prohibentur : mixtum denique afficit immediate et locum et personas. Dividitur etiam interdictum in generale, et particulare. Quando interdictum est generale, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia, et etiam ecclesiæ exemptæ Regularium, et tunc omnes tenentur illud servare, etiam Episcopus, qui illud tulit, excepto Pontifice. Licitum est tamen civibus, qui causam non dederunt interdicto, alio ire ad assistendum divinis officiis. Interdicta parochia, interdictæ intelliguntur omnes capellæ, et cœmeterium contiguum ; *Cap. Si licitas, de Sent. Excom.* (3). Interdicto populo, non interdicti intelliguntur clerici, peregrini, studentes, quia isti non sunt partes populi ; dd. cum communi. Contra interdicto clero, non intelliguntur interdicti laici, *cap. Si sententia, de Sent. excomm. in* 6. ; nec Religiosi, nisi haberent officium aut beneficium in illo populo, nec alii clerici qui ibi nullum habent officium. Ab interdicto generali personali eximuntur 1, Episcopi (qui exempti sunt etiam a suspensione generali). 2. Infantes et amentes rationis expertes ; sed hi etiam privantur sepultura. 3. Innocentes, sed tunc, cum domicilium alibi collocant. 4. Exteri, licet ibi diutius incolant (4).

69. Effectus interdicti sunt 1. prohibitio divinorum officiorum (intelliguntur illa quæ a clericis tantum exerceri possunt, et in loco deputato), quibus assistere nequeunt nec interdicti ob culpam aliorum. Clerici tamen qui non sunt interdicti possunt celebrare, sed clausis valvis, sine sonitu campanarum, et expulsis interdictis (modo denuntiati sint), *cap. Alma Mater, de Sent. excom. in* 6. Et si interdicti nolunt exire, debet cessari a celebratione sub pœna irregularitatis ; sed advertunt Suarez Holmz. et Mazzot. hoc currere, quando celebratur in loco interdicto. Permittitur autem celebrare in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ, et in Octava Corporis Domini (5). 2. Prohibitio administrandi Sacramenta, exceptis Baptismo (qui potest dari etiam solemniter), Confirmatione, et Pœnitentia, quæ omnibus permittuntur, præter eos qui dederunt causam aut favorem interdicto. Eucharistia autem potest præberi moribundis, et etiam Extrema-Unctio, ut dicunt Suar. Croix et Dicastill. contra Salm. et Sanchez. Item Coninch. et Laym. permittunt etiam matrimonium, et hoc est probabilius (contra Suarez) ex c. *Capellanus, de Feriis*, ubi dicitur quod matrimonium possit contrahi quovis tempore (6). 3. Prohibitio sepulturæ ; sed clerici, modo non sint nomina-

(1) N. 323. et 324 — (2) L. 8. n. 326 et 327. — (3) N. 330.

(4) N. 331. — (5) N. 333. — (6) N. 334.

tim interdicti, possunt sepeliri in ecclesia, etiam cum Missa ; si autem ecclesia esset specialiter interdicta, possunt etiam in illa sepeliri, sed sine Missa. Sed laici non possunt sepeliri in ecclesia, et si forte ibi sepulti sunt, exhumari debent (1). 4. Clerici qui violant interdictum in materia gravi, peccant graviter, et exercendo Ordinem incurrunt irregularitatem. Ita etiam Religiosi qui incurrunt insuper excommunicationem ipso facto. Laici vero peccant mortaliter, si recipiant sacramenta contra interdictum personale ; sed si violant tantum locale, v. gr. assistendo divinis officiis, probabilius dicunt Laym. Bus. Sot. Silvest., etc. quod peccant tantum venialite r, modo ipsi non sint specialiter interdicti (2).

70. Possunt interdictum ferre omnes Superiores, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum aut communitatem, requiritur peccatum nimis atrox, commissum a capite, vel a principalibus illius. Interdictum tamen ad breve tempus, et in ordine ad unum, vel alterum usum, potest incurri etiam ob peccatum veniale (3). Interdicta localia, et personalia in generali a jure communi lata et non reservata, possunt auferri ab Episcopis. Alia vero ab Episcopis lata, tantum possunt ab ipsis, vel a Papa auferri. Ab interdictis autem de jure personalibus, et particularibus non reservatis possunt absolvere quilibet confessarii approbati (4). Hic denique notandum, quod cessandum est a *Divinis* in ecclesia, et pro interdicta ipsamet habenda est cum ibi permittatur afferri stratum cuicumque personæ, quæ non sit regia dignitate fulcita ; juxta Decretum quod retulimus *Tr. 4. n. 39.*

71. IV. De *cessatione a Divinis*. Hæc definitur: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura*. Putant autem Suar. et Fill. posse Episcopum unum prohibere effectum, et non alium. Hæc cessatio non est interdictum, nec censura, nec imponitur per modum medicinæ ad removendam contumaciam, sed solum in signum mœroris, aut ad reparandam aliquam gravissimam injuriam Deo, aut Ecclesiæ irrogatam : et tenentur illud servare omnes cives illius loci, cui imponitur. Et dicunt communius Sanch. Bon. Salm. et alii quod tempore talis cessationis clerici privantur privilegio ipsis concesso tempore interdicti ; conceduntur tamen illa Sacramenta, quæ permittuntur tempore interdicti. Cessatio imponitur ab eo qui potest imponere censuras, præcedente monitione : et ab ipsomet potest tolli, aut suspendi per aliquod tempus (5).

(1) N. 335.— (2) L. 7. n. 336. — (3) N. 337. — (4) N. 338. et 339.

CAPUT III

De irregularitate

PUNCTUM I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT IRREGULARITAS.

72. *Definitio.*
73. *An irregularitas sit censura.*
74. *Divisiones irregularitatis.*

72. Irregularitas, licet non esset censura, quia tamen cum ea valde assimilatur, ei propterea annectitur ; et definitur : *Est impedimentum canonicum susceptionem Ordinum sacrorum, et susceptorum usum impediens*. Itaque irregularis non potest nec Ordinem suscipere, nec susceptum exercere.

73. Quæritur an irregularitas sit censura ? Affirmant Sot. Bon. Covar. et multi alii, dicentes essentiam censuræ, nempe esse pœnam ecclesiasticam, æque competere censuræ, et irregularitati. Alii autem communius, et probabilius, ut Suar. Bon. Castr. et Salm. cum aliis apud ipsos, id negant, dicendo esse illam impedimentum, sive inhabilitatem ; et probant ex *cap. Quærenti, de Verbor. signif.* ubi interrogatus Innoc. III. quid intelligendum nomine censuræ? respondit : *Quod per eam non solum*

(5) N. 340.

alia est realis, et hæc proprie dicitur *degradatio*, quæ privat exercitio officiorum, et privat beneficiis, et privilegio Canonis, et fori cum certa solemnitate, et ad semper, sine spe restitutionis. Dictum est, *exercitio*, quia ordo non potest tolli : unde degradatus tenetur ad votum castitatis jam emissum, et ad horas canonicas, et invalide contraheret matrimonium (1). Degradatio non potest celebrari nisi ab Episcopo, sed depositio potest fieri etiam ab ejus Vicario : in depositione potest dispensare Episcopus sed in degradatione solus Papa. Depositio non potest fieri nisi in casibus expressis in jure, et in delictis atrocioribus; degradatio autem fit tantum in criminibus gravissimis, nempe hæresis manifestæ, calumniæ in proprium Episcopum, sodomiæ frequentatæ (2), et similium.

68. 3. De *interdicto*. Interdictum *est censura qua prohibetur usus divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ*. Dividitur interdictum in locale, personale, et mixtum. Per locale prohibentur divina officia in loco dumtaxat : per personale certis personis aut communitati prohibentur : mixtum denique afficit immediate et locum et personas. Dividitur etiam interdictum in generale, et particulare. Quando interdictum est generale, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia, et etiam ecclesiæ exemptæ Regularium, et tunc omnes tenentur illud servare, etiam Episcopus, qui illud tulit, excepto Pontifice. Licitum est tamen civibus, qui causam non dederunt interdicto, alio ire ad assistendum divinis officiis. Interdicta parochia, interdictæ intelliguntur omnes capellæ, et cœmeterium contiguum ; *Cap. Si licitas, de Sent. Excom.* (3). Interdicto populo, non interdicti intelliguntur clerici, peregrini, studentes, quia isti non sunt partes populi ; dd. cum communi. Contra interdicto clero, non intelliguntur interdicti laici, *cap. Si sententia, de Sent. excomm. in* 6. ; nec Religiosi, nisi haberent officium aut beneficium in illo populo, nec alii clerici qui ibi nullum habent officium. Ab interdicto generali personali eximuntur 1, Episcopi (qui exempti sunt etiam a suspensione generali). 2. Infantes et amentes rationis expertes ; sed hi etiam privantur sepultura. 3. Innocentes, sed tunc, cum domicilium alibi collocant. 4. Exteri, licet ibi diutius incolant (4).

69. Effectus interdicti sunt 1. prohibitio divinorum officiorum (intelliguntur illa quæ a clericis tantum exerceri possunt, et in loco deputato), quibus assistere nequeunt nec interdicti ob culpam aliorum. Clerici tamen qui non sunt interdicti possunt celebrare, sed clausis valvis, sine sonitu campanarum, et expulsis interdictis (modo denuntiati sint), *cap. Alma Mater, de Sent. excom. in* 6. Et si interdicti nolunt exire, debet cessari a celebratione sub pœna irregularitatis ; sed advertunt Suarez Holmz. et Mazzot. hoc currere, quando celebratur in loco interdicto. Permittitur autem celebrare in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ, et in Octava Corporis Domini (5). 2. Prohibitio administrandi Sacramenta, exceptis Baptismo (qui potest dari etiam solemniter), Confirmatione, et Pœnitentia, quæ omnibus permittuntur, præter eos qui dederunt causam aut favorem interdicto. Eucharistia autem potest præberi moribundis, et etiam Extrema-Unctio, ut dicunt Suar. Croix et Dicastill. contra Salm. et Sanchez. Item Coninch. et Laym. permittunt etiam matrimonium, et hoc est probabilius (contra Suarez) ex c. *Capellanus, de Feriis*, ubi dicitur quod matrimonium possit contrahi quovis tempore (6). 3. Prohibitio sepulturæ ; sed clerici, modo non sint nomina-

(1) N. 323. et 324 — (2) L. 8. n. 326 et 327. — (3) N. 330.

(4) N. 331. — (5) N. 333. — (6) N. 334.

tim interdicti, possunt sepeliri in ecclesia, etiam cum Missa ; si autem ecclesia esset specialiter interdicta, possunt etiam in illa sepeliri, sed sine Missa. Sed laici non possunt sepeliri in ecclesia, et si forte ibi sepulti sunt, exhumari debent (1). 4. Clerici qui violant interdictum in materia gravi, peccant graviter, et exercendo Ordinem incurrunt irregularitatem. Ita etiam Religiosi qui incurrunt insuper excommunicationem ipso facto. Laici vero peccant mortaliter, si recipiant sacramenta contra interdictum personale ; sed si violant tantum locale, v. gr. assistendo divinis officiis, probabilius dicunt Laym. Bus. Sot. Silvest., etc. quod peccant tantum venialite r, modo ipsi non sint specialiter interdicti (2).

70. Possunt interdictum ferre omnes Superiores, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum aut communitatem, requiritur peccatum nimis atrox, commissum a capite, vel a principalibus illius. Interdictum tamen ad breve tempus, et in ordine ad unum, vel alterum usum, potest incurri etiam ob peccatum veniale (3). Interdicta localia, et personalia in generali a jure communi lata et non reservata, possunt auferri ab Episcopis. Alia vero ab Episcopis lata, tantum possunt ab ipsis, vel a Papa auferri. Ab interdictis autem de jure personalibus, et particularibus non reservatis possunt absolvere quilibet confessarii approbati (4). Hic denique notandum, quod cessandum est a *Divinis* in ecclesia, et pro interdicta ipsamet habenda est cum ibi permittatur afferri stratum cuicumque personæ, quæ non sit regia dignitate fulcita ; juxta Decretum quod retulimus *Tr. 4. n. 39.*

71. IV. De *cessatione a Divinis*. Hæc definitur: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura*. Putant autem Suar. et Fill. posse Episcopum unum prohibere effectum, et non alium. Hæc cessatio non est interdictum, nec censura, nec imponitur per modum medicinæ ad removendam contumaciam, sed solum in signum mœroris, aut ad reparandam aliquam gravissimam injuriam Deo, aut Ecclesiæ irrogatam : et tenentur illud servare omnes cives illius loci, cui imponitur. Et dicunt communius Sanch. Bon. Salm. et alii quod tempore talis cessationis clerici privantur privilegio ipsis concesso tempore interdicti ; conceduntur tamen illa Sacramenta, quæ permittuntur tempore interdicti. Cessatio imponitur ab eo qui potest imponere censuras, præcedente monitione : et ab ipsomet potest tolli, aut suspendi per aliquod tempus (5).

(1) N. 335.— (2) L. 7. n. 336. — (3) N. 337. — (4) N. 338. et 339.

CAPUT III

De irregularitate

PUNCTUM I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT IRREGULARITAS.

72. *Definitio.*
73. *An irregularitas sit censura.*
74. *Divisiones irregularitatis.*

72. Irregularitas, licet non esset censura, quia tamen cum ea valde assimilatur, ei propterea annectitur ; et definitur : *Est impedimentum canonicum susceptionem Ordinum sacrorum, et susceptorum usum impediens*. Itaque irregularis non potest nec Ordinem suscipere, nec susceptum exercere.

73. Quæritur an irregularitas sit censura ? Affirmant Sot. Bon. Covar. et multi alii, dicentes essentiam censuræ, nempe esse pœnam ecclesiasticam, æque competere censuræ, et irregularitati. Alii autem communius, et probabilius, ut Suar. Bon. Castr. et Salm. cum aliis apud ipsos, id negant, dicendo esse illam impedimentum, sive inhabilitatem ; et probant ex *cap. Quærenti, de Verbor. signif.* ubi interrogatus Innoc. III. quid intelligendum nomine censuræ? respondit : *Quod per eam non solum*

(5) N. 340.

interdicti, sed etiam suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi. Igitur præter has tres, nulla alia pœna dici potest censura (1). Et licet sit pœna, non est tamen medicinalis, nempe ad impedienda peccata futura ; nam hæc imponitur ob peccata præterita, et est pœna mere punitiva.

74. Dividitur irregularitas in eam quæ provenit ex *delicto*, et eam quæ provenit ex *defectu*. Item in *totalem*, quæ omni Ordine suscipiendo, et suscepti exercitio privat; et *partialem* quæ tantum aliquo Ordinis ministerio, vel solo ascensu ad Ordines superiores privat ; v. g. si sacerdos esset manu carens, vel cœcus, esset inhabilis ad celebrandum, sed posset excipere confessiones.

PUNCTUM II.

EFFECTUS IRREGULARITATIS.

75. *Effectus.*
76. *An irregularis possit acceptare beneficia.*
77. *An possit accepta retinere.*

75. Irregularitas 1. inhabilem reddit ad suscipiendos Ordines, etiam primam Tonsuram, ut communiter dd. 2. Impedit exercitium jam susceptorum, *cap. fin. de Temp. Ord.* ideoque irregularis illicite, sed valide absolveret, etc. 3. Impedit a recipiendis beneficiis.

76. Sed quoad beneficia, quæritur 1. an nulla sit collatio beneficii facta irregulari, qui est inhabilis ad functiones ipsius beneficii ? Sententia communior, et probabilior affirmat, et probatur ex *c. 2. de Cleric. non ord. ministr.* et præsertim ex Trident. *sess. 22. cap. 4. de ref.* ubi dicitur : *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, et cæteras habilitates integre habere dignoscantur ; aliter irrita sit provisio.* Et ratio est quia beneficium datur propter officium, et qui est inhabilis ad Ordinis jam suscepti exercitium, debet judicari etiam inhabilis ad beneficium ; ita dicunt Suar. Bon. Tourn. Cabass. Salm. cum aliis multis. Oppositam sententiam defendunt Innoc. Sil. Laym. Viva, Elbel. Roncag. Diana, et Salm. cum Felin. Anchar. Giball. et idem Suar., sicut etiam Bus. recte eam vocant probabilem ; quia non est imponenda pœna, ubi nulla lex expressa habetur, et cum nullus adsit textus evidens qui declaret irregularem incapacem beneficiorum, ideoque dicunt Suarez, Tourn. Bon. (2), quod licet peccet graviter in recipiendis ; aut in retinendis illis sine dispensatione, tamen si per alios satisfecit beneficii oneribus, non tenetur ad restitutionem. Et respondent ad Canones, quod ipsi illicitam declarant beneficii collationem irregularibus, non autem invalidam, et ad Tridentinum respondent, dicendo quod ibi invalida declaratur collatio facta inhabilibus, sed tales non reputantur irregulares quoad validitatem. Sed hic advertendum quod licet hæc sententia sit probabilis, tamen quia prima etiam est probabilior, stante communiori sensu dd. qui, ut ait Laym., est optimus interpres legum, qui ita interpretati sunt textus supra citatos, non potest ideo in beneficii possessionem se intromittere, quia nemo cum opinione probabili potest in possessionem alterius rei se ingerere (3). Sed contra si bona fide beneficium accepisset, obtenta dispensatione, potest illud retinere, quin in dispensationis petitione mentio facta esset de beneficio (4).

77. Quæritur 2. an irregularis juxta præfatam sententiam possit sibi retinere beneficium? Quoad beneficia prius obtenta, nulli dubium est, quin possit; nec debet eis a judice privari, si irregularitas provenit ex infirmitate, uti habetur ex *c. Ex parte, de Cler. ægrot.* Sed si irregularitas proveniret ex delicto, debebit privari a judice; sed interim, nisi dispensatio-

(1) N. 341. v. quær. — (2) Lib. 7. n. 343. — (3) Ib. in fine, et lib. 3. n. 761. — (4) L. 7. n. 342.

nem obtineat, debet aut illud renuntiare, aut resignare saltem in favorem tertii ; quia qui non potest licite beneficii oneribus satisfacere, nec potest licite illud sibi retinere ; ita Suar. Castr. Salm. cum multis aliis (1).

PUNCTUM III.

QUOMODO INCURRITUR IRREGULARITAS.

78. *Irregularitas debet esse expressa in jure.*
79. *Qui dubitat an sit irregularis.*
80. *Qui dubitat an sit homicida.*
81. *Quid requiritur ad irregularitatem ex delicto.*
82. *Si delictum est omnino occultum.*
83. *An requiratur scientia legis.*
84. *An scientia irregularitatis.*
85. *Quomodo tollenda est irregularitas in genere.*
86. *De dispensatione.*
87. *Quomodo tollitur irregularitas ex defectu.*

78. Irregularitas non incurritur nisi expressa sit in jure ; *cap. Is qui, de Sent. excomm. in* 6. ubi dicitur: *Cum id non sit in jure expressum, etc.* Ideoque non debet extendi ultra casus expressos. Nomine *juris* intelligitur tantum jus pontificium, aut Concilia approbata a Papa. Hinc infertur quod in materia irregularitatis non valet argumentum *a simili* nec *a majori ad minus*, ut communiter advertunt dd. Advertit tamen Laym. quod in dubio an aliqua irregularitas sit nec ne expressa in jure, in hoc standum est communi sensui dd. et consuetudini (2).

79. Quæritur 1. an habendus sit irregularis qui dubitat esse talem ? Nomine dubii hic intelligitur negativum, quia in positivo, ante diligentiam, quisque se debet existimare irregularem; Sanchez. Suar. Castrop. et Salmant. cum Coninc. ex *cap. Illud, de Cleric, excomm.*, modo (dicunt Salm. cum aliis dd. cit.) non adsit aliqua gravis et urgens necessitas, v. gr. initiandi Ordinibus, aut beneficium suscipiendi: adhibitasu fficienti diligentia, potest teneri pro non irregulari; Suar. Castrop. et Salm. cum aliis. Itaque difficultas restat in dubio negativo, et respondetur: quod si dubium est juris, nempe an adsit vel ne talis lex quæ irregularitatem tali facto affingit, tunc in nullo foro censendus est irregularis, tum ex dictis num. præcedenti, tum quia in dubio nemo spoliandus est suo jure; ita commun. dd. Sanch. Suar. Castr. Tourn. Hab., etc. (3). Si dubium est facti, nempe an commiserit tale delictum (homicidio excepto, de quo num. sequenti), duæ adsunt sententiæ. Prima affirmat cum Concin. Tourn. Hab. etc. ratione accepta ab homicidio, de quo in *c. Ad audientiam, de Homic.* dicitur : *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et ex hoc regulam statuunt generalem, in omni materia sequendam esse tutiorem. Secunda sententia communis, et verior negat, et hujus sententiæ sunt Suar, Cabass. Ronc. Castrop., etc. et Salm. cum multis aliis. Ratio est, quia odia sunt restringenda, et in dubio nemo damnandus est. Ita ex *Reg. Favorabiliores, ff. de Reg. Jur.* et ex *cap. Cum sunt, eod. tit. in* 6. ubi dicitur ; *Cum sunt jura partium obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Et ratio deducitur ab eo quod mox diximus; nam dum dubitatur an dispositio de homicidio valeat ad alias materias, jam dubium est juris, in quo dubio etiam adversarii concedunt non incurri, dum in præfato *cap. Is qui, de Sent. excomm. in* 6. declaratur quod nulla irregularitas incurritur, nisi expressa sit in jure, et ad *cap. Ad audientiam*, respondetur quod ibi voluerit Pontifex decentiæ motivo uti, quæ tanti Sacrificii dignitatem decet, ut ab altari repellatur qui dubitat esse homicidam : et quod hoc erat decentiæ, et non præcepti apparet ex *cap. Petitio tua, de Homicidio*, ubi dicitur : *Cum*

(1) Ib. v. quær. — (2) L. 7. n. 345. — (3) N. 346.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sit consultius in hujusmodi dubio (homicidii) *abstinere, quam temere celebrare.* Qua de re quod in hoc loco consilii erat, voluit Pontifex ut in alio capite in præceptum transiret (1).

80. Quæritur 1. an dubitans se esse homicidam, debeat semper censeri irregularis ? Alii dicunt in foro externo se gerere debere uti irregularem, non autem in interno : ita Innoc. Salm. Sanch., etc. Alii vero dicunt universaliter in neutro foro censendum esse irregularem. Host. Arm. Tab. etc.; sed communis et verior Castrop. Bonac. Bon. Sanch. et Salm. cum multis aliis, tenet censendum esse irregularem in utroque foro. Nam ratio adducta in *cap. Significasti, c. Ad audientiam,* et in *penult. de Homic.*, nempe quod in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Notandum primo quod hoc currit quando homicidium est certum et solum dubitatur an actio percussoris fuerit causa illius. Si vero dubitatur an homicidium factum sit nec ne, tunc valde rationabiliter dicunt Pichl. Elbel, Dian. Tamb. et Spor. non esse censendum irregularem. Ideoque dicit Diana, cum Navarro, Menochio, et Quarant. quod si medicus venam secuerit prægnanti, ut illa abortiretur, et postea ignorat an abortus nec ne evenerit, non est censendus irregularis, quia habetur in *lib. 1. §. item illud, ff. Ad Syllam*, quod non procedendum est ad pœnam, nisi constet de delicti corpore. Secus autem si pharmaca essent ita efficacia, ut communiter ab eis soleat effectus consequi ; ita Nav. Mascard. ex *l ult de Fide instrum.* vide dicta *tr. 8. n. 22* Notandum 2. quod dubitans de homicidio debet uti talem se gerere in duobus effectibus, nempe in abstinendo a celebrando, et in petenda dispensatione : quare infertur 1. quod laicus non incurreret talem irregularitem ; Sal. et Roncagl. 2. Quod clericus non incurrit privationem beneficiorum ; San Suar, Roncalg. Salm. et Castrop. cum Panor. etc. 3. Quod dubitans de mutilatione non est censendus irregularis ; Sanchez, Bon. Ronc. Salm. et Suar. contra Nav. et Henr. (2).

81. Ad incurrendam irregularitem, ex delicto, actus debet esse externatus, et mortalis ; quia irregularitas est pœna gravis quæ difficulter relaxatur. Unde infertur, 1. quod si actus ob aliquam circumstantiam excusatur peccato mortali, excusatur etiam ab irregularitate. 2. Quod præceptum sub pœna irregularitatis ad grave peccatum obligat. 3. Quod actus esse debet exterior ; ideoque cum dicitur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur occulta ; Castrop. Conc. Aver. et communis cum Salmant. 4. Quod actus debet esse consummatus (3).

82. Quæritur hic 1. an ob delictum externe consummatum, sed omnino occultum, incurratur irregularitas ? Tres adsunt sententiæ, sed verior affirmat de omni delicto ; quia Ecclesia sibi reservat delicta etiam occultissima, ut est hæresis occulta omnino (ut dictum est n. 53. in fine). Et quod revera ob delicta occulta incurritur irregularitas, apparet ex Trid. *sess. 24. c. 6. Liceat*, ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi ab irregularitatibus occultis, et inter ista fit mentio hæresis, et homicidii occultorum ; et sicut pro hæresi et homicidio occultis incurritur excommunicatio, ita pariter dicendum de aliis criminibus (4). Quinam autem possint dispensare in his, vide *tr. 20. de Priv. n. 51. 52. 105. et seq.*

83. Quæritur 2. an ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis ecclesiasticæ prohibentis ? Sententia probabilior, et communissima (contra Suarez, Azor. Holzm. et Felin.) affirmat cum s. Antonin. Ronc. Castr. Navar. Silv. Sanch. etc. et Salmant. cum multis aliis ;

(1) N. 347.

(2) Lib. 7. n. 347. dubit. 3. — (3) N. 348. — (4) N. 349.

quia talis irregularitas habet rationem pœnæ ; et cum sit pœna, requiritur scientia saltem legis prohibentis. Et hoc probatur ex *cap. proposuisti, Dist. 42.* ubi Innoc. 1. decrevit non deponendos fore quosdam clericos incontinentes quia ignorabant Constitutionem Siricii Papæ ; unde Castrop. Viva et Salm. cum aliis affirmant, quodsi quis etiam ignoraret homicidio affixam esse irregularitatem, et homicidium committeret, non fieret irregularis : non ratione delicti, quia requiritur scientia ; non ratione defectus, hanc enim incurrunt tantum ministri justitiæ, vel cognitionis causæ, vel executionis pœnæ. Nihilominus quoad homicidium, sententia satis probabilis et tenenda est quod incurrit, quia hæc irregularitas non tantum respicit delictum, aut defectum, sed etiam indecentiam quæ postulat ne admittatur ad sacrificandum in altari Dei Agnum mansuetissimum per manus ministri sævi, et crudelis ; ideoque Trid. *sess. 14. c. 7. de Reform.* antequam reservet irregularitatem ex homicidio, adducit rationem quod repellendus est ab ultari homicida : *Cum etiam* (sunt verba Trid. mutuata *a cap. 21. Exod.*) *qui per industriam occiderit proximum suum,.... ab altari avelli debeat.* Quis non videt Concilium ostendere ipsiusmet naturæ legem expostulare hujusmodi ministros etiam per vim expellendos esse ab altari (1) ? Hoc non obstante, non audeo reprobare sententiam oppositam, dum hic casus non est expressus in jure.

84. Quæritur 3. an ultra scientiam prohibitionis ecclesiasticæ, requiratur scientia irregularitatis ? Duplex est sententia : prima est Suar. Laym. Croix. Tournel. Pont. Sot Vasq. etc., quæ negat, quia irregularitas non est pœna medicinalis, sed inhabilitas, sive pœna mere punitiva ; quare sufficit ut talis pœna sit imposita a lege illi actui, et ut reus scienter et culpabiliter illum patraverit. Secunda sententia etiam probabilis affirmat ; nam irregularitas ex delicto cum sit vera pœna, et extraordinaria, ideoque cum prævideri non possit, ac præcognosci solet saltem in confuso pœna ordinaria, non censetur Ecclesia tanto rigore velle ignorantiam punire (2) ; et sic tenent Silvest. Sanch. Ronc. Boss. Coninch. Sayrus, Corneius, Rodriquez ; et Salmant. putant probabilem hanc sententiam æque ac primam : et p. Suarez etiam probabilem vocat.

85. Irregularitas multifariam tolli potest. 1. Si cessat causa, cum irregularitas est ex defectu, v. g. ætatis, ignorantiæ, etc. Suarez, Laym. Tourn. etc. ; cum vero irregularitas, provenit ex infamia, si hæc est popularis, per emendationem tollitur ; *Can. 4. et 18. Dist. 56.* Si infamia est facti, tollitur per loci mutationem, Tourn. et Ronc. ; sed si infamia est juris, nempe per judicis sententiam, pro hac requiritur dispensatio. 2. Si proveniret ex delicto, tollitur per Baptismum ; unde qui ante Baptismum commisisset homicidium, non erit amplius irregularis ; Salm. cum Coninc. et Laym. 3. Per Pontificis dispensationem. 4. Per professionem religiosam (3). Quando et quibus in casibus possunt dispensare Episcopi et Regulares, vide *seq. tr. 20. de Priv. n. 51. et 105. et seq.*

86. Plura notanda sunt circa dispensationem. 1. Dispensatio Pontificis sine causa est valida, sed illicita ; ab inferiore autem est invalida. 2. Qui plures irregularitates ejusdem speciei incurrit, in dispensatione sufficit exprimere se plures illam incurrisse. 3. Si prælatus, qui facultatem habet dispensandi, scienter admittit irregularem ad beneficium, censetur dispensare cum illo ; Bonac. Salm. cum aliis, etc. (4).

87. In irregularitate ex defectu solus Papa potest dispensare, et ille qui

(1) L. 7. n. 350.

(2) N. 351. — (3) N. 352. — (4) N. 352. v. hic notand.

de hoc speciale privilegium habet. Irregularitas ex defectu natalium potest tolli per professionem religiosam, quoad Ordines, sed non quoad prælaturas ; ita commun. dd. tum ex c. 1. *de Fil. presbyt.*, tum ex concessionibus Gregor. XIV. Clem. VIII. et Pauli V. Dicunt autem Diana, Barbos. Castrop., etc. quod Prælati regulares possunt dispensare ad prælaturas in Capitulis generalibus aut provincialibus. Per *prælaturas* non venit Episcopatus : Bonac. et Tourn. Præterea omnes dd. (excepto Soto) dicunt verum non esse per professionem in religione approbata auferri omnes irregularitates (1). Quoad alias facultates Regularium, *vide tr.* 20. *de priv. n.* 105. *et seqq.*

PUNCTUM IV.

QUÆNAM SINT IRREGULARITATES EX DELICTO.

88. *I. Ob Sacramentum.*
89. *II. Ob violationem censuræ.*
90. *III. Ob exercitium solemne, etc.*
91. *IV. Ob illicitam Ordinum susceptionem.*
92. *V. Ob delicta enormia.*
93. *VI. Ob homicidium.*
94. 95. *et* 96. *De homicidio voluntario*
97. *et* 98. *De mandantibus, consilium dantibus, etc.*
99. *De cooperantibus.*
100. *De ratihabentibus.*
101. *De non impedientibus.*
102. *ad* 105. *De homicidio casuali.*
106. *Qui occidit ob defensionem.*
107. *Qui occidit ad tuenda bona.*
108. *De homicidio in rixa.*
109. *et* 110. *De mutilatione.*
111. *De dispensatione*, remissive.

88. Prima oritur ob Sacramentum Baptismi non rite susceptum ; ideoque irregularis est, 1. qui sine necessitate recipit Baptismum ab hæretico, *can. Placuit, q.* 4. ; sed intelligitur si illum recepit in adulta ætate ; nam contra declaravit S. C. Conc. 21. maii 1716, non esse irregularem puerum qui baptizatus fuit ab hæretico. 2. Filius hæretici, *c. Statutum, de Hæret. in* 6 : sed si postea parentes ad catholicam Fidem conversi sunt, tollitur irregularitas ; Suar. *d.* 43. *Sect.* 3. *etc.*, et ita declaravit S. C. præfato die 3. Qui differt Baptismum usque ad periculum mortis, *c. Si quis*, 3. 57. 4. Qui scienter bis baptizatus solemniter : et hanc incurrunt tam rebaptizatus, si est adultus, *cap. 4. Confirmandum, Dist.* 50 quam rebaptizans. juxta communem dd. ex *c. Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis acolythus assistens rebaptisationi. Excusant dd. si hoc fieret metu, sed nemo excusat si id faciat ex ignorantia culpabili, *can. Quibus, de Conseq. d.* 4. (2).

89. *Secunda* est ob violationem censuræ, cum qui ligatus est censura, solemniter exerceret Ordinem sacrum. Dictum est *solemniter*, v. g. si diaconus cantaret Evangelium cum stola et manipulo, aut si Capitularis hebdomadorio fungens in choro, cantaret : *Dominus vobiscum*. Et si is esset innodatus duplici censura, unam incurreret irregularitatem duabus æquivalentem, sed in postulatione dispensationis exprimi debet, Tourn. etc. (3). Advertendum quod non fieret irregularis qui sola excommunicatione minore ligatus esset, *cap. Si celeb. de Cler. exc. min.*; nec qui exerceat minores Ordines, etiam solemniter : Laym. Nav. Salm. etc., et de hoc non amplius videtur dubitandum post Bullam, *Etsi pastoralis* Bened. XIV. (*int.* 1.) de Dogm. et Rit. ab Italo-Græcis, etc. ubi §. 7. n. 9. dicitur : *Promoti ad primam Tonsuram vel ad alium quemcumque Ordinem sine dimissoriis, etc. suspensi sint; et si suspensi in sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini* Nec qui concionatur, nec qui exercet actus jurisdictionis, nempe excommunicandi, confessarios approbandi, beneficia conferendi, assistendi, aut licentiam assistendi matrimonio alteri dandi, officium cantandi, aut vota dispensandi (4). Nec fit irregularis qui celebrat in ecclesia polluta ; fit autem

(1) N. 354.
(2) L. 7. n. 356. — (3) N. 357. — (4) N. 342. a d 2. et n 358.

qui in interdicta celebrat, *c. Is qui, de Sent. exc. in* 6. Contra advertendum quod Episcopus, aut alius sacerdos qui cogeret censuratum ad celebrandum, fieret irregularis, *c. Illud, de Cler. exc. min.* Sed ab ipsa possunt dispensare Prælati regulares, licet esset publica : et etiam cum secularibus ex privilegio Martini V. et Julii II. (1).

90. *Tertia* est quando clericus exercet Ordinem sacrum quem non habet, *cap.* 1. *de Cler. non Ord.*, puta si quis clericus diaconatu non initiatus Evangelium cum stola cantaret, baptizaret solemniter, etc. An autem si laicus tales functiones exercet, dicum est quod probabiliter non incurrit irregularitatem (2).

91. *Quarta* incurritur propter Ordines non rite susceptos; unde 1. est irregularis qui ordinaretur ab Episcopo suspenso, hæretico, schismatico, aut simoniaco, *c. Quod quidem*, et *can. Statuimus* 1. *q.* 1. et *c.* 1. *et* 7. *de Schism.* ubi dicitur quod ad hujusmodi ordinationes requiritur dispensatio. Et constat etiam ex cit. Bul. *Etsi pastoralis* Bened. XIV. §. cit num. 15. ubi dicitur quod Ordinati ab Episcopis schismaticis, non ministrent, *nisi cum ipsis super irregularitate auctoritate sanctæ Sedis apostolicæ fuerit dispensatum.* 2. Qui cum excommunicatione, aut suspensione, initiatur Ordinibus sacris, aut se promoveri facit ab Episcopo non proprio, aut ordinatur per saltum (Avila. Nav. Bon. et Bus. dicunt tamen quod iste tantum suspensus est ab exercitio Ordinis recepti per saltum) aut ante ætatem, aut sine litteris dimissorialibus. et hæ ordinationes appellantur a dd. furtivæ. Advertunt tamen Suar. Castr. et Salm. quod hæc potius dicendæ sunt suspensiones, ne ad Ordines superiores ascendi possit ; affirmant tamen hanc absolutionem impetrandam esse a Papa. Hinc ob furtivam ordinationem fiunt irregulares, 1. qui ordinatur sine approbatione Episcopi, *cap.* 3. *de Eo qui furt.* 2. Qui eodem die plures Ordines reciperet, quorum unus esset sacer, sine dispensatione Papæ, *c.* 2. et 3. *eod. tit.* 3. Qui recipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, invita uxore, *Extrav. Antiqua de voto* (3).

92. *Quinta* incurritur propter enormia, crimina, si sint notoria, quæ a jure inducunt infamiam, prout sunt adulterium, incestus, perjurium in judicio, hæresis, concubinatus, sodomia, etc. *c. Infames* 6. *q.* 1. Ad incurrendam hanc irregularitatem oportet ut crimen sit notorium notorietate facti, et juris. Dicitur notorietas facti, cum delictum est ita evidens ut non possit ulla tergiversatione celari : ideoque requiritur ut saltem sit notum decem personis. Infamia juris habetur, aut rei confessione, aut judicis sententia saltem criminis declaratoria ; Sanch. Castr. cum aliis (4). Hæc irregularitas tamen tollitur per Baptismum, aut per emendationem notoriam saltem per tres annos (5). Sed si infamia provenit propter judicis sententiam, potest ab ipsomet per aliam sententiam tolli, qua reo fama amissa restituitur (6).

93. *Sexta* oritur ex homicidio, aut ex injusta mutilatione. Ex homicidio tam si sit voluntarium, nempe directe volitum, aut indirecte in causa proxima homicidii, ut dando venenum ; quam si sit casuale, nempe volitum in causa, sed non proxima homicidii, modo istud sit prævisum, et negligentia graviter culpabili non impeditum. Advertendum hic quod quicquid dicitur de homicidio, totum valet de mutilatione (7).

94. Quoad homicidium *voluntarium* certum est esse irregulares omnes qui sunt causa immediata mortis alicujus, *c. Si quis, de Homic*, et Trid. *sess.* 14. *c.* 7.

(1) Ib. v. notand. 2. et 3. — (2) L. 7. n. 359.
(3) N. 360. et 361. — (4) N. 363. — (5) N. 364. — (6) Ib. v. episc. — (7) N. 365. et 366.

95. Quæritur 2. an homicida, antequam percussus moriatur, si se pœnitet, excusetur ab irregularitate? Negatur cum sententia veriore Sanch. et Viv. (contra Salm.), causa enim physica, quæ voluntarie posita est, necessario operatur ; unde propinato veneno, non amplius est in ejus potestate efficere ne illud mortem inferat. Ideoque recte Suar. non excusat mandantem ab irregularitate, si casu mandati revocatio non pervenit ad mandatarium (1).

96. Quæritur 2. an sit irregularis qui fuit primus ad vulnerandum lethaliter, si vulneratus postea sit occisus ab alio? Affirmant Fagn. Cov. et Ugol. argumentum sumentes ex *Cap. Significasti*, ubi Papa respondit non esse percussorem irregularem, si leviter percussit; secus vero, si lethaliter. Sed negant Laym. Bon. Avil. Coninch. Mol. et Escob. cum Henr. dum *cap. Significasti* non obstat nostro casui ; nam ibi agebatur quod ambo percusserant, et nesciebatur cujus vulnere mors evenisset, ideoque respondit, si primus leviter percusserat non erat irregularis. Sed casus noster est quod licet primus lethaliter percusserit, mors tamen certe illata fuit ab alio ; unde in jure cum nulla adsit decisio, ideo potest excusari. Hoc nihilominus non currit, si sciretur quod secundus tantum mortem accelerasset, sed etiamsi iste non percussisset, ille utique mortuus esset : v. gr. si primus gravissime vulnerasset eum in capite, etc., tunc non posset ab irregularitate excusari (2).

97. Sunt etiam irregulares omnes mandantes et consilium dantes, *cap. Si quis viduam, Dist.* 50. *cap. Significasti*, et *cap. Sicut, de Homic.* Sed mandans et consilium dans non fiunt irregulares, si homicidium alia de causa patratum fuisset, Sanch., Viva (3). Quando autem dubitaretur an mandatum, aut consilium fuerit causa efficax homicidii, multi dd. ut Sanch. Salas, Nav. Salm., etc. non excusant; tum quia possidet mandatum, aut consilium, donec contrarium non probatur, tum ex *cap. Ad audientiam*, quod in dubio homicidii tutior pars sequenda est, ut, si postea dignoscatur homicida, evitetur indecentia, et scandalum ; et ita de mandante aut consulente dici debet. Sed excusant Diana, Sporer, et Tamb. quia leges loquuntur de illis qui certe sunt homicidæ causa mandati aut consilii, non autem de illis de quibus dubitatur an sint causa illius, unde videtur quod hæc secunda sententia non possit dici improbabilis (4).

98. Sed si consilium antequam executioni datum sit, revocatum esset, licet Nav. et Bon. cum Azor. velint etiam incurri, quia licet illud sit revocatum, etiam influit ; attamen Suar. (qui dicit esse commune) Silv. Filib. p. Nav. Avil. Salas eum excusant, quia ut excusetur consilium dans sufficit, ut sicut suo consilio concurrit moraliter in homicidium, ita eo revocato, influxum moralem removet ; et tunc homicidium potius imputatur malitiæ executoris, quam consiliarii ; modo tamen revocatio sit homicidæ notificata antequam crimen patraretur ; et pariter, modo consilio suo non insinuaverit motiva, aut modum illud exequendi, quia tunc probabilius incurritur ; licet, hac ultima limitatione non obstante, improbabilem non censeo oppositam sententiam Suar., juxta dicta *tr.* 10. n. 48. (5).

99. Incurrunt etiam omnes cooperantes, ut homicidium celerius, audacius, aut securius fiat : ideoque irregulares sunt 1. qui excitant ad citius patrandum homicidium eum qui jam paratus erat ad illud committendum, quia revera directe est causa cur homicidium pro illo tunc fiat (6). 2. Omnes qui ad homicidium se excitant, licet unus occidat. 3. Omnes qui præliantur in bello injusto, si

(1) N. 368. — (2) L. 7. n. 369. — (3) N. 370.

(4) N. 374. — (5) N. 373. — (6) N. 372.

ibi aliquis pereat, licet quis certo sciat se non vulnerasse, nec sclopetum explosisse. 4. Qui ministrat arma aut pecunias ad homicidium, aut bellum injustum patrandum. 5. Accusatores, testes et judices injusti. 6. Qui verbis, aut sua assistentia homicidæ animum præbet (1).

100. Quæritur 1. an sit irregularis qui ratum habet homicidium patratum in sui gratiam? Negatur cum sententia communi et veriore Suar. Bon. Escob. Avil et Salm. cum aliis, contra Nav. etc., quia in nulla lege reperitur talis irregularitas ; verum est quod ratihabitio æquivalet mandato quoad culpam, sed non expressa est in lege, prout expressa est excommunicatio in eos qui ratam habent clericorum percussionem (2).

101. Quæritur 2. an sit irregularis, qui cum possit homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Certum est quod si obligatio est charitatis, etiamsi odio id negligat, non fit irregularis; ita communiter Suar. Bon. etc. Dubium restat, si teneretur ex justitia, nimirum ex pacto aut officio. v. g. medici, qui ad id recipit stipendium ; advocati qui tenetur defendere reum ; custodis viarum. etc. Multi dd. ut Ronc. Hurt. Vasq. Turr. Diana, etc. negant hunc fieri irregularem, quia negative influit in homicidium ; alii vero communius, ut Nav. Suar. Castr. Bon. Esc. cum aliis, et Salm. cum pluribus aliis affirmant; quia qui ex justitia tenentur, et possunt defendere, videntur esse veri homicidæ, si non physice, saltem moraliter. Hoc non obstante prima sententia etiam videtur probabilis, ex principio generali : quia ex sacris Canonibus non constat esse irregulares, nisi solos homicidas, mandantes, consiliatores, et qui positive concurrunt. Præterea Tourn. et Escob. excusant patrem, si sua negligentia in cunis puer fuisset mortuus, deducentes ex *c. Quæsitum, de Pœnit. et rem.* ubi declarantur irregulares dumtaxat patres qui scienter negligunt impedire puerorum suffocationem in cunis (3).

102. Quoad homicidium *casuale*, fit irregularis qui aliqua sua actione prævidet periculum mortis alterius, et culpabiliter negligit prospicere tali periculo ; dd. communiter, et apparet ex Clem. *Si furiosus de homic.* Dictum est *culpabiliter*, quia cum hæc irregularitas sit ex delicto, requiritur peccatum mortale, ut communiter Suar. Bonac. Tourn. Conc. etc. (4).

103. Qui vero daret operam rei licitæ, adhibita sufficienti diligentia, ne accideret homicidium, non fieret irregularis, licet inde accidat mors ; ita communiter dd. cum s. Thoma (5); et patet ex *cap.* Joannes, *c. Dilectus* et *c. Ultimo de Homic.* Secus autem si sufficiens diligentia negligatur; *cap. Presbyterum*, et *cap. ad Audientiam, de Homic.* Dicitur sufficiens illa diligentia, quæ adhiberi solet a qualibet prudente, juxta facti qualitatem. Et advertendum quod negligentia debet esse culpabilis mortaliter, ut comm. dd. et probatur ex *cap. Quæsitum, de Pœnit. et Rem.* et ex *c. fin. de Homic.* Vide dicta *n. præc.* 81. (6). Hinc infertur non esse irregularem 1. magistrum qui moderate verberat discipulum, et patrem qui verberat filium, si casu accidat mors ; secus vero, si excederet graviter, *cap. Presbyterum*, et *cap. fin. de Homic.* 2. Qui equitando equum ferocem casu puerum occidit, *cap. Dilectus* 1. *de Homic.* 3. Qui animal ferox caute custoditum tenet, si illud casu fugit, et aliquem necat; secus, si illud in via teneret, aut sua negligentia fugeret; Salm. cum aliis. Qui tectum reficiens, postquam viam prætergredientes admonuerit, tabulas aut lapides projiceret ; Salm. etc. 5. Qui bona fide infirmo aliquid cibi, vel potus præberet, aut si ab uno ad alium lectum eum transferret, aut eum volveret, etc. et infirmus decederet;

(3) L. 7. n. 376. — (4) N. 377. — (5) 2. 2. q. 64. a. 8. — (6) L. 7. n. 383.

(1) N. 374. — (2) N. 375.

ita communiter omnes. 6. Si sacerdos jubet incisionem alicujus membri, jam a medico præscriptam, modo illam non faciat per seipsum, Cabass. imo Conc. excusat clericum qui chirurgum coadjuvat ad membri incisionem. Et Nav. et Cov. (et Salm. putant probabile) dicunt non esse hunc irregularem, licet in animo habeat ut infirmus cito deficiat; quia licet peccatum mortale adsit, deest tamen actio externa graviter injusta. Ego autem subjungo, modo adhibeatur diligentia ad vitandam mortem (1). 7. Medicus, si casu e vivis decedit infirmus ob pharmacum ei præstitum, *c. Ad aures, de Ætat. et qualit. Ord.* Et hoc procedit, etiamsi esset clericus vel monachus; modo 1. sit peritus, aut bona fide id faciat, præbendo aliquid infirmo in remedium, aut levamen. 2. Si est clericus modo medeatur sine incisione veladustione, *c. sententiam Ne Cler. vel Monac.* et si, non obstante incisione, aut adustione, infirmus vi mali aut ob aliam causam obiret, eum ab irregularitate excusant Castr. et Salmant cum aliis. Imo communiter dicunt Castr. Tourn. et Salmant. cum multis aliis, quod si nullus alius peritus adesset, poterit tunc clericus vel monachus sine peccato et ab irregularitate immunis incisionem facere, et ignem applicare. Et etiamsi clericus esset beneficiatus, si incisionem aut adustionem sine necessitate adhiberet, non censetur irregularis juxta sententiam veriorem Tourn. cum Pontas, Giball. Bon. et Mol. (contra Nav. et Panorm.), quia in *c. Sententiam* fit mentio de solis clericis in Sacris (2).

104. Si quis unquam daret operam rei illicitæ, sed non periculosæ mortis, adhibita sufficienti diligentia, non fit irregularis, licet alia via peccet, v. gr. si quis induceret alium ad furandum sine periculo, et iste mero casu occideretur, quia tunc non est causa homicidii, cum nec directe illud voluerit; nec indirecte illud præviderit; ita communiter dd. contra Palud. et Gabrin. qui citant s. Thomam 2. 2. *q.* 64 *a.* 8., sed perperam, nam ibi Sanctus intelligit de eo qui aliquid homicidii periculosum facit, ut videre est ex respons. *ad* 1. *et* 2. Et Canon. *Cler. jacen.* et c. *Eos vero, D.* 50. intelliguntur de homicidio casuali, sed directe vel indirecte volito, ut deducitur ex Clement. *de Homicid.* (3).

105. Majus dubium restat, an fiat irregularis, qui dat operam rei illicitæ, sed mortis periculosæ, si mors evenit? Duæ sunt opiniones probabiles. Prima affirmat, et hanc tuentur Suarez Navar. Mol. Conc. Avil etc. inducti ex *cap. Tua nos, de homicidio*, ubi irregularis declaratur monachus peritus, qui incisit apostema cujusdam mulieris, quæ sua incuria obiit. Sed secunda sententia, quam docent Castrop. Tourn. Laym. Spor. Tamb. Elbel, Bonac. Salm. cum aliis pluribus, probabilius dicit, quod si opera esset ita periculosa, ut ex illa plerumque eveniat mors, (ut est accendere bombardam), tunc incurritur irregularitas: quia quantalibet diligentia adhibeatur ad mortem vitandam, non potest effici ut illa opera proxime periculosa, talis non sit. Idem currit de eo qui præliatur in bello, aut inducit alium ut se periculo mortis temere exponat. Secus autem, si opera raro mortem inducit, et debita diligentia adhibeatur, quia tunc homicidium non est voluntarium, nec in se, nec in causa. Ad textum *Tua nos* respondetur, quod monachus irregularis declaratus fuit, quia incisione per *c. Sententiam* vetita usus fuit. Nec obstat *c. Continebatur, de Homic.* quod opponitur, ubi irregularis declaratus fuit quidam diaconus qui ferendo latentem talcem, et cum altero ludendo fuit causa, ut hic eum amplexans a falce feriretur, et mortem subiret; quia is diaconus habitus est irregularis in foro externo, cum judicatum fuerit eum in debita diligentia defecisse: quare Suar. Bonac. dicunt, quod si iste illud periculum non animadvertisset, in conscientia non tenebatur ad se tenendum irregularem (1).

106. Non est irregularis qui occidit ut se defendat, quando est moderata defensio, *c. Significasti, § fin. de Homic. et c. Clement. si furiosus, eod. tit.* ubi dicitur: *Et idem* (nempe non incurri irregularitatem) *de illo censemus, qui mortem aliter evitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Et licet adversari videatur Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. dum requirit dispensationem pro homicidio casuali, etiam pro defensione patrato; attamen dicitur cum Conc. Salm. et cum Decr. S. C. Concil. intelligi de eo qui excedit, ut exprimitur in cit. *Clement.* Præterea Suar. Conc. Less. Bonac. Filliuc, etc. excusant etiam qui occidit injustum invasorem innocentis; dum irregularitas ex homicidio contrahitur ob peccatum mortale, ut deducitur ex *cap. Ex litteris, de Homic.* Probabiliter autem dicunt Conc. Suar. Salm. etc. esse irregularem illum qui convicüs et percussionibus provocaret aliquem, prævidendo periculum invasionis, si postea ob defensionem occidit aggressorem: quia tunc jam ponit actionem proxime periculosam. Ita etiam si adulter prævidendo aggressionem, adit concubinæ domum, ubi (postquam in se invasum est) ut se defendat occidit virum illius; aut si vir occideret uxorem, et adulter prævidisset hoc damnum (2).

107. Quæritur 1. an sit irregularis qui occidit pro defendendis libertate, honore, pudicitia aut bonis temporalibus? Duæ adsunt sententiæ. Prima est affirmativa, quam tenent Laym. Tourn. Spor. Nav. Silv. Armil. Fag. etc. et probant ex *cap. Suscepimus*, in quo declaratus fuit irregularis quidam monachus qui occidit duos latrones; et etiam ob defectum lenitatis. Negat tamen sententia communior et probabilior, quam tuentur Suarez (qui vocat communem) Less. Castr. Filiuc Bonac. Holzm. Elbel Conc. Barbos. et Salmant. cum multis aliis. Et probatur ex *cap. Quia te, D.* 50. ubi quidam Episcopus captivus factus a Saracenis, ad suam libertatem tuendam occidit multos, et postea declaratus fuit immunis ab irregularitate ab Urbano II.; et Boverius ad annum 1571. n. 6. et Raynaud. asserunt quemdam Capuccinum nuncupatum p. Anselmum de Petramellara a Turcis captum, qui, se ut ipse liberaret, septem Turcas interfecerat, a s. Pio V. immunem ab irregularitate declaratum fuisse. Item ex *cap. Interfecisti*, ubi ab irregularitate eximitur qui occidit *ad defendendum se et sua*, illud *et* significat *vel*, alias nemo posset defendere se solum, nisi etiam defenderet bona simul; et frustra Pontifex apposuisset illud *sua*, si dumtaxat ob vitæ defensionem evitaretur irregularitas. Et clarius ex *cap. Dilecta, de sententiis excomm.* ubi Papa declaravit licere cuidam decano defendere bona sua a violentiis cujusdam domini temporalis, et temporalibus viribus (nempe armis) et gladio spirituali; rationem adducens, legibus permissum esse *vim vi repellere et defensare*; unde observatur quod Papa censebat eadem ratione, qua quis potest defendere se ipsum, posse defendere etiam bona. Iitur sicut qui pro sui defensione occidit, non fit irregularis, ita nec pro tuendis bonis; modo non excedatur, et sint magni valoris (Vide *Tr.* 8. *n.* 15). Et etiam assistit ratio, dum talis irregularitas non esset ex delicto, quia sine peccato, ut probatum est in *Tr.* 8. *n. citat.* nec ex defectu, quia hæc incurritur tantum a ministris publicis justitiæ, a militibus in pugna offensiva, et a clericis qui exercent medicinam cum incisione, et adus-

(1) N. 382. v. 4. qui infirmo, et fusius 384. et l. 3. n. 398. — (2) L. 7. n. 385.

(3) N. 386

(1) N. 387. — (2) Lib. 7. n. 388.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tione, ut dictum est. Ad *cap. Suscepimus*, respondetur quod monachus excessit in defensione; nam postquam furtum de latronum manibus vindicavit, ille voluit eos vinctos ad Abbatem conducere, cum jam poterat eos dimittere, ubi bona jam nactuserat (1).

108. Quæritur 2. an reputandum sit casuale homicidium commissum in rixa? Ita censetur a Diana et Salmantic. cum Machado. Henriq. Rodrig. etc., quia homicidium voluntarium proprie est illud quod ex proposito commissum est, et per insidias, ut loquitur Trid. *per industriam et insidias*, (*sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.*): sed probabilius negant Suar. Navar. Holzm. Spor. Tamb. et Diana cum Hurtad.; nam Trid. post verba allata, subjungit. *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit... nullo tempore ad sacros Ord. promoveri possit.* Qui in rixa occidit, jam occidit sua voluntate, et ex proposito (licet commotus subita ira), et perpetrathomicidium quod facere intendit. Verba *per industriam et per insidias* explicat *Glossa* in *c.* 1. *de Homic.* (unde Trid. transcripsit verba in cit. *cap.* 7.) hoc modo: *Per industriam*, id est, *non casu*. Et idem Concilium seipsum declarat, dum post verba allata quæ *cap.* 1. *de Homic.* mutuata sunt, explicat eorum sensum, subjungens, *sua voluntate*, et *ex proposito*, ad differentiam casualis, de quo prosequitur sermo in secunda parte.

109. Incurritur irregularitas etiam per mutilationem, *c. Significasti, de Homic.* et *Clem. Furiosus, eod. tit.* Sed hic fit dubium, quid intelligatur sub nomine mutilationis membri? communissime, et probabilius dicunt Bon. Castrop. Conc. Habert. Tourn. Cabass. Nav. Av. et Salm. cum pluribus aliis, quod intelligitur illa pars corporis, quæ proprium officium habet distinctum ab aliis, ut oculus ad videndum, manus ad operandum, pes ad ambulandum, lingua ad loquendum etc., ideoque cætera, quæ inserviunt ad ornamentum, non reputantur membra, ut dentes, ungues, capilli, aures (nam sublatis cartilaginibus, etiam auditur), nasus digitus quicumque sit; Bonac. Castr. Tourn. et Salm. cum aliis pluribus. Et si in *can. Qui partem, Dist.* 55. declaratur irregularis quidam qui sibi digitum recidit, id factum fuit ad puniendam sævitiam in propriam personam; Tourn. Bonac. Castr. Salm. cum multis aliis, et constat ex ipsomet textu (2).

110. Quæritur. I. an sit irregularis, qui alteri abscindit testiculos, aut aliam corporis partem? Negant Bonac. Aver. et Corneius, quia illi non sunt membra, sed partes membri; sed probabilius affirmant Ronc. Castr. et Salm. cum Diana, quia testiculi jam propriam operationem habent, nempe elaborare semen aptum ad generandum (modo hæc abscissio sit injusta); secus vero si tantum unum abscindat, quia uterque ad eamdem operationem concurrit. Esset irregularis qui abscinderet mulieri unam mamillam, quia officium unius est independens ab alterius. Idem decent Suar. et alii apud Vivam de eo qui abscinderet alteri medietatem manus; Tourn. tamen id negat, quia in *cap.* 2. de *Cler. ægrot.* qui duos digitos amisit, et medietatem manus, non dicitur mutilatus, sed debilitatus, et communiter dicunt, qui debile alteri redderet membrum, licet inhabilem suo muneri redderet, non fieret irregularis; Nav. Gibal. Suar. Av. Salmant. cum multis aliis, et Croix cum aliis; imo Castrop. Nav. et Covar. etiamsi membrum restaret mortuum; sed huic adversantur valde probabiliter Suar. Cabass. et Salm., quia tale membrum, licet materialiter non sit mutilatum, revera tamen est abscissum formaliter; dum non est amplius animatum; sicut contra probabiliter dicunt Salm. quod qui abscinderet hujusmodi membrum aridum, non fieret irregularis. Nec quia excæcaret aliquem, quin oculum foras obrueret quia non esset mutilatio; Busemb. Diana et Megala. In his irregularitatibus ex mutilatione, quando est secreta potest dispensare Episcopus, cum tantum ei vetitum sit in homicidio voluntario; Suarez. Bonac. etc.

111. Quoad dispensationes super his irregularitatibus, vide *Tract. seq. de privil. n.* 51. *et* 105. (1).

(1) N. 389.

(2) L. 7. n 365. et 415.

PUNCTUM V.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU.

112. *I. Ex defectu animæ.*
113. *De lunaticis, et obsessis.*
114. *De illitteratis.*
115. *De neophytis.*
116. *II. Ex defectu corporis, et I. De cæcis.*
117. *II. De surdis.*
118. *III. De mutis.*
119. *IV. De claudis.*
120. *V. De iis qui manu carent.*
121. *VI. De febri laborantibus.*
122. *De deformibus.*
123. *De leprosis.*
124. *De monstruosis.*
125. *De eunuchis.*
126. *ad* 128. *III. Ex defectu natalium.*
129. *De expositiis.*
130. *IV. Ex defectu ætatis.*
131. *V. Sacramenti, nempe bigamiæ, De bigamia vera.*
132. *De interpretativa.*
133. *Qui ducit corruptam.*
134. *Qui contrahit cum ea invalide*
135. *Si vir cognoscit uxorem adulteram.*
136. *Qui contrahit duo matrimonia.*
137. *Si vir accusat uxorem, et reddit debitum, etc.*
138. *De similitudinaria.*
139. *Quomodo tollitur irregularitas ex bigamia.*
140. *VI. Ex infamia. VII. Ex defectu libertatis. De servis.*
141. *De conjugatis.*
142. *An conjux possit ingredi religionem, alio relicto in sæculo.*
143. *De curiæ addictis, militibus, etc.*
144. *VIII. Ex defectu lenitatis; circa bellum.*
145. *et* 146. *Circa judicium.*
147. *De dispensationibus.*
148. *De facultatibus sacræ Pœnitentiariæ.*

112. Prima est ex defectu animæ, ex quo sunt irregulares omnes amentes, phrenetici, epileptici, sive lunatici, et obsessi. Quoad amentes (et idem de cæteris) distinguendum aut talis defectus suboritur post Ordinationem, et tunc, cessato defectu per diuturnum tempus plurimorum annorum, Ordinarii judicio poterit ministrare in susceptis Ordinibus; Suar Nav. Silv. s. Bonac. et plurimi alii: si adhuc non est ordinatus, non poterit amplius ordinari, si origo dependet a causa permanente, nempe ab organorum læsione, quia hujusmodi relabuntur, *c. Maritum* 2. *d.* 33. Secus si defectus ab aliqua accidentali causa proveniret, ut a febri, vulnere, aut ab aliqua transeunte passione; Suarez, Bonac. Ronc. etc. (2).

113. Idem dicendum de lunaticis, et obsessis; si morbus præcessit Ordinationem, sunt perpetuo irregulares, *can. Communiter, Dist.* 33. Advertit Cabass. quod si talis morbus accidit in impubertate, et postea perfecte ab illo convaluit in pubertate, possit ordinari, quia asserit Hippocrates, quod epilepsia sæpe in pubertate perfecte curatur; sed si accideret in pubertate, præsertim post annum 25, desperatur quasi posse convalescere. Ex cit. *c. Communiter* habetur, quod si per annum sit liber sive a morbo, sive a dæmonis vexatione, judicio Episcopi potest ad Ordinis suscepti administrationem admitti. Imo dicunt comm. dd. Suar. Nav. Laym. s. Antonin. etc., quod si talis morbus raro accidit (nempe semel in mense), nisi infirmus in terram cadat, nec spumet, adjuncto sibi sacerdote jejuno, poterit privatim celebrare (3).

114. Illiterati qui sufficienti doctrina pro Ordinibus præditi non

(2) Lib. 7. n. 398. — (3) N. 399.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt. Pro *prima Tonsura* saltem legere et scribere sciant ; Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* Pro *Ordinibus minoribus*, sciant linguam latinam, *loc. cit. cap.* 11. Pro. *subdiaconatu, et diaconatu*, ultra litterarum humaniorum peritiam, requiritur scientia eorum, quæ sunt necessaria ad præfatorum Ordinum exercitium ; *ib. cap.* 13 Pro *sacerdotio* requiritur scientia ad docendum populum ea quæ sunt necessaria ad salutem, et ad Sacramentorum administrationem ; *ibid. cap.* 14. Sed quoad Regulares vitæ contemplativæ addictos, sufficit eos grammaticam callere ; secus irregularitas est de *jure divino*, adeo ut nec Papa possit in hoc dispensare (1). Vide in *Append.* 3. *n.* 35. et 36. *de Exam. Ordinand.*

115 Neophiti, illi nempe qui in adulta ætate recenter sunt baptizati. Sed si elapso aliquo tempore, Ordinarius eos sacris Ordinibus judicat idoneos, possunt ordinari ; *Suar. in* 3. *d. Thom. p. Disp.* 43. *Sect.* 3. *Concl.* 2. *n.* 6. *et* 7. *Sanch. in Dec. l.* 2. *c.* 28. *n.* 11. *Bonac.* apud *Thesaur. Decis. S. C. tract* 1. *part.* 97. Sed putat Toletus, quod post. 10. annos non sunt amplius irregulares (2).

116. *Secunda* est ex defectu corporis. Et hæc duobus ex capitibus incurritur, aut quia ad exercitium Ordinis ineptus quis redditur ; aut quia aliis notabilem indecentiam aut horrorem affert ; ita dd. comm. cum s. Thoma (3). Hinc ex primo capite est irregularis cæcus omnino *cap. cult. d.* 55. Sed in hoc notanda sunt plura : 1. quod si quis jam sit sacerdos et constet eum non posse errare, potest dispensari a Papa ad celebrandum, prout 23 Augusti 1725. S. C dispensavit cum quodam paroco Florentino, ut celebraret cum assistentia sacerdotis (4). 2. Quod si quis caret visu oculi sinistri, est irregularis, ut docent dd. communissime. Nonnulli tamen excipiunt si dexter oculus sit aptus ad legendum Canonem, imo dicunt posse huic prospici incommodo aptando Missale juxta medium altaris ; Laym. Dian. Croix et multi alii, et p. Suar. id vocat practice probabile. 3. Quod cæcutiens est irregularis ad suscipiendos Ordines, sed ad susceptorum exercitium potest cum eo dispensari, ut possit celebrare Missam de beatissima Virgine diebus festivis, et defunctorum in ferialibus (5). Lambertinus loco cit. dicit quod pro omnino cæco non dispensatur, ne ad primam quidem Tonsuram, ut habilis fiat ad beneficium. 4. Quod visu debilis, si potest perspicillis uti, aut si oblique intuetur (vulgo Guercio) non est irregularis, dd. communiter.

117. 2. *Surdus* qui penitus non audit ; ita communiter dd. ex *can.* 7. qui appellatur *Apostolorum*, ob indecentiam quod non possit audire vocem ministri. Hanc indecentiam tamen negant Henriq. Præep. Gobat nam potest ex aliis signis percipere quid minister responderit, sed communissima est contraria ; concedunt tamen Bonac. Tambur. Conc. Castr. Laym. Nav. et Salmant, cum aliis, quod si surditas sacerdoti supervenerit post sacerdotium, facilius toleratur defectus, sicut de cæcutiente. Surdaster vero excusatur ab irregularitate (6).

118. 3. *Mutus*, sive talis omnino sit, sive verbum proferre nequeat, quin aliquid omittat, Tourn. et Holz. et Salm. ; addunt etiam si loqui nequeat nisi cum magna difficultate. Et idem dicit Holzm. de eo qui loquelam valde præcipitem habet. Balbutientes aut dentibus carentes non sunt irregulares, modo risui, aut contemptui aliis non sint ; Navar. Tamburin. Coninch. Sayr. Fill. Præpos. etc. (7).

119. 4. *Claudus*, aut qui tibiis caret, aut qui sine baculo non potest ad altare accedere, *can. Nullus Epis-*

(1) L. 6. n. 791. v. quær. 2. et 3. et l. 7. n. 401. — (2) L. 7. n. 402. — (3) Suppl. q. 39. a. 6. — (4) L. 7. n. 404.

(5) Lambert. notif. 4. n. 5. et cit. n. 404. — (6) L. 7. n. 405. — (7) N. 406.

copus, 54. *de Consecrat. d.* 1. Hoc explicatur a Glossa : *Si sine baculo non possit sustentari in altari*, et ita explicant reliqui aa. Cæterum non est irregularis, qui hoc non indiget, *can. Si quis* 10. *d.* 55. aut qui sit distortis tibiis, quia talis defectus veste talari abscondi potest ; Tournely, Croix, Salmant., etc. Excipit Laym. modo non sit valde deformis. Qui utitur tibia lignea, et jam reperitur sacerdos, cum possit indecentia reparari, Ordinarii judicio bene potest celebrare ; Tambur. Silv. Rosel. Major. et Giball. (1).

120. 5. Qui caret manu aut digitis omnibus, aut pollice tantum, *c. ultim. de corpor. vitiat.* ; idem dicunt Busemb. Ren. Tambur. Filliuc. Bon. Suar., etc. si careret indice aut pollicis parte non autem solis unguibus, *cap. Thomas eod. titul.* ; aut si illi digiti sint adeo debiles, ut non possint Hostiam elevare, vel eam frangere, cit. *c. Thomas.* Si autem careret indice, et jam esset ordinatus, potest adhibere digitos posteriores, aut in necessitate potest iis etiam ministrare Eucharistiam (2). Si vero tribus posterioribus digitis careret, etiam esset irregularis (secus si duobus) ; ita Anacl. Holzm. Cajet. Nav. Tourn. et Pontas. Notat tamen Tourn. quod si quis careat indice, poterit dispensationem impetrare (3).

121. 6. Qui laborat febri continua (non autem quartana aut levi), aut gravi capitis dolore, adeo ut non posset celebrare sine periculo graviter errandi aut deficiendi, Bon. Sayr. Sot. Avil. Item paralyticus, cujus manus ita tremunt, ut adsit periculum effundendi calicem ; Bus. Conc. Castr. etc. Qui patitur talem tussim, ut periculum adsit in communicando, et præsertim exspuendi sanguinem ; Bon. Ugol. Majol. etc. Abstemius qui in periculo est vomitus. Tourn. et Conc. : et cum isto nec Papa dispensare potest (4).

(1) N. 407. — (2) L. 7. n. 408. — (3) ibid. — (4) N. 409.

122. Ex secundo capite, quod incurratur irregularitas ex vitio corporis, deformitatem, aut horrorem afferente, *cap. Presbyterum, de Cler. ægrot. et seq.* fiunt irregulares 1. illi qui carent aliquo membro, v. gr. naso, *c. Penult, de corp. vit.*, aut habent illud valde distortum, aut valde elevatum ; Tamb. Bonac. Viva, etc. Ille cui oculus obrutus est, *c. ult. d.* 55. Probabiliter tamen dicunt Sylv. Tourn. Pont. Ronc. cum Tamb. etc. quod tollitur talis irregularitas, si possit oculo crystallino reparari. Ita pariter qui caret auriculis, nisi talis deformitas capillis, aut aliter tegatur ; Bus. Diana, Bon. Salm. et Tourn. cum aliis (5).

125. 2. Leprosi, *cap. Tua nos, de Cleric. ægrot.* propter scandalum et abominationem populi ; unde in privato celebrare possunt ; Castr. Salm. Bon. cum aliis ; ita etiam qui habet labia corrosa, vel ad instar leporis abscissa ; Tamb. Tourn. et Viva. Ita pariter laborans morbo gallico foris apparente ; Tourn. et Holzm., aut habens faciem valde maculatam Lay. (6).

124. 3. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valde enormem ; Bus. Anacl. Bon., etc. Pigmæi, sive nani, statura ita breves, ut ad risum moveant, præsertim si capite sint nimis grandi ; Tamb. Ren. Tourn. etc., aut si non possent tantum brachia distendere, quantum opus esset ad altaris ministerium. Æthiopes qui apud nos risum afferrent, Tourn. etc. Hermaphroditi ; licet dicant Tolet. Escob. cum Tourn. contra Conin., quod si hic defectus est occultus, et prævaleret sexus virili, non inducit irregularitatem. Notandum cæteroquin quod si hi defectus supervenient Ordinibus sacris, potest sacerdos exercere illos actus quos potest, v. g. si sacerdos est cæcus, potest confessiones audire, etc. *cap.* 7. *de Cler. ægrot.* (7).

125. Eunuchus qui morbi causa

(5) N. 410. — (6) N. 411. — (7) N. 412.

abscissus est, aut in infantia, vel propter injuriam alterius, aut a domino, non est irregularis. Sed irregularis est si se ipse abscindere fecit, aut etiam ab aliis ipso consentiente, licet zelo castitatis, *cap. Si quis a medicis, c. Si quis 4 d.* 55. et alia *cap. De Corp. vitiat.* (1). Putant probabile Palaus, Tamb. et Pelliz. contra Suar. Molin. et Sayr, quod si quis sibi abscinderet testiculos ad vocis conservationem, non fit irregularis, dicentes quod textus allati loquuntur de abscissione, aut sectione, quæ intelligi potest, si abscindantur virilia omnino (2).

126. *Tertia* irregularitas provenit ex defectu natalium. Et ex hoc sunt irregulares omnes illegitimi, *cap. 1. ultim. de Fil. presb.*, licet sint occulti ; communiter dd. (3). Possunt hi legitimari per subsequens matrimonium, modo non sint spurii : nempe nati tempore quo valide non poterat matrimonium contrahi, v. gr. quia tunc temporis matrimonio unus illorum cum alia ligatus erat, *cap. Tanta, qui filii, etc.* Sufficit tamen ad legitimandam prolem et ad reddendam immunem a tali defectu natalium, quod matrimonium contrahi poterat tempore nativitatis ; ita probabiliter Sanch. Pont. Anael. Bon. et Salm. cum multis aliis contra Suar. et Tourn. ex *cap. Tanta*, ubi dicitur : *Si vir vivente uxore aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit*, nam to *susceperit*, respicit verius nativitatem quam conceptionem (4). Et novissime Bened. XIV. hanc sententiam amplissima dissertatione in forma epistolæ responsivæ, incip. *Redditæ Nobis* (5), ad Archiep. s. Domin. in insula Hispaniola illustravit, et sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperit : *In qua controversia satis ardua cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversantur, si a Nobis judicium interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam, in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum.* In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit : *Sed... quum certum sit matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius conceptus, et in lucem editus fuit : filium hunc legitimum censeremus, cum judex in dubio debeat in bonum, et commoda prolis propensus esse.* His positis, sic ego pro prima sententia argumentor. Igitur si in dubio judex in bonum prolis judicare debet, ubi talis casus nulla tribunalitia sententia decisus reperitur, cum simus in dubio ob textuum, et doctorum discrepantiam, potius proles judicanda est legitima, quam illegitima, siquidem etiam in hoc casu certum est eam in matrimonii constantia editam fuisse, et incertum an debeat attendi tempus conceptionis, an vero ortus.

127. Hinc notandum 1. cum Salm. quod si filius naturalis ordinatus esset ante matrimonium parentum adulterorum, poterit rite ministrare, secuto eorum matrimonio, sine dispensatione. 2. Quod talis legitimatio fit per matrimonium ratum dumtaxat, cit. *c. Tanta.* 3. Quod filii nati ex matrimonio irrito ob impedimentum occultum, sed valido putato, saltem ex una parte conjugum, legitimi censentur ; ita dd. communiter ex *c. Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi*, et *c. Ex tenore, eod. tit.* Secus autem si ambo parentes erant in mala fide; *c. Cum inhibitio, §. Si quis, de Cland. desp.* 4. Quod filii nati ex matrimonio contracto in gradu prohibito, omissis proclamationibus, nec accedente Episcopi dispensatione, licet contracto coram parocho, et testibus, censentur illegitimi , non obstante quod in bona fide, aut ex ignorantia illud contraxissent, *c. Cum inhibitio, eod. tit. §. Si quis* (6).

128. Filli legitimantur 1. per pro-

(1) N. 416. — (2) N. 418. — (3) N. 420. — (4) L. 7. n. 422. — (5) Bullar. suo t. 1. in Ordine 213. in edit. Mechl. t. 3. p. 5.

(6) Lib. 7. n. 423. 424. et 425.

fessionem religiosam, ut dictum est *n.* 85. 2. Per Pontificis dispensationem, qui solus potest cum illegitimis dispensare, et concedere legitimationem, quoad omnes effectus; communiter, dd. cum Sanch. Castr. Salm., etc. (1). Quid possint circa hoc Episcopi, et Prælati regulares, vide *tr.* 20. *de Priv. n.* 51 *et* 105.

129. Quæritur an filii expositi (nempe nati ex, parentibus ignotis) sint irregulares ? Affirmant multi, prout Tourn. Fill. Bon. etc. , quia vehementes adsunt conjecturæ hos esse illegitimos, dum nunquam videntur parentes (quantumvis egestate laborent) eo esse animo crudeliori, ut velint propriam prolem exponere: inauditum enim hucusque est, quod prægnans mater partum suum in ecclesiam baptizandum non conferri curaverit, et quod post Baptismum, si observaretur deesse filium matri, justitia de hoc non inquireret. Secunda sententia tamen probabilior est cum Cast. Pont. et Salm.; et Suar. vocat probabilem, nam ut aliquis sit irregularis, debet constare eum esse illegitimum, sed expositi sunt dubie tales, dum aliquando paupertate oppressi parentes filios exponunt. Et ita citati asserunt Greg. XIV. anno 1591. in favorem cujuslibet confraternitatis pro expositis erectæ declarasse tales expositos non fore habendos illegitimos, donec tales non probarentur; Gibal. apud Tourn. (2).

130. *Quarta* ex defectu ætatis : sed de hoc loquemur in *App.* 3, *de exam. Ordinand. n.* 43. *et* 44.

131. *Quinta* ex defectu *Sacramenti*, aut significationis matrimonii, quod significat conjunctionem Christi unici sponsi cum Ecclesia unica sponsa, et contrahitur per *bigamiam*, in quantum, quia bigamus, qui carnem suam cum pluribus divisit uxoribus, talem unionem non repræsentat. Et talis irregularitas constat ex toto tit. *de bigamia*, Definitur bigamia : *Est matrimonii multiplicatio.* Et est tri-

(1) N. 426. et 427. — (2) L. 7. n. 432.

fariam : vera, interpretativa et similitudinaria 1. *Vera* est quando successive unus duxit plures uxores, et cum omnibus matrimonium consummavit, modo quo dictum est *Tr.* 18. *n.* 68. *c. Præcipimus*, et *c. Debitum de Bigam.* (3).

132. II. *Interpretativa* habetur cum quis contraxit et consummavit matrimonium cum vidua jam prius a primo viro cognita, et licet cum ista invalide contraxisset, ut habetur ex *c. A nobis, de Bigam.* aut cum corrupta ab aliis. *c. ultim. D.* 51. aut cum cognoscit propriam uxorem, postquam hæc adulteravit, *c. Si cujus*, et *c. Si laicis, D.* 39., aut si quis contraxisset et consummasset duo matrimonia, unum validum, invalidum alterum. De hac ultima specie textus non reperitur aliquis, sed adest commune dd. judicium ex *cap. Nuper*, cum s. Th. (4). Super hac Bigamia *tres* occurrunt quæstiones.

133. Quæritur 1. an sit irregularis qui bona fide contrahit cum corrupta ? Affirmant communiter dd. cum s. Th. (5) (contra Sa Ledesma etc.) quia cum hæc sit irregularitas ex defectu significationis Christi cum Ecclesia sua unica sponsa, bona fides non efficit, quin viri caro cum corrupta divisa sit, licet credat illam esse virginem (6).

134. Quæritur 2. an fiat irregularis qui contrahit invalide cum corrupta ob aliquod impedimentum dirimens ? *Prima* sententia est affirmativa, et hanc tenent Suarez (qui vocat communem) Tourn. Cov. Corn.; ita etiam Fagnanus (7) cum Host. Joanne Andrea Card. Brut. et omnibus cæteris (ut ipse dicit) de clerico non in *Sacris*, et cum Silv. et Nav. de laico. Et probatur ex *c. A nobis, de Bigam.*, ubi declaratus fuit irregularis subdiaconus qui contraxerat cum vidua, inter quos (dixit Innoc.

(3) N. 436 — (4) Suppl. q. 66 a. 2. — (5) Lic. cit. a 3. ad 3. — (6) L. 7. n. 439. — (7) In 2. part. 1. Decret. c. Nuper a nobis, de bigam. n. 13. et 44.

III.) licet *non fuerit vinculum maritale contractum* (stante inhabilitate eorum), *cum eo tamen tamquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum sed propter affectum intentionis cum opere secuto.* Ubi jam observatur quod talis subdiaconus non fuit declaratus irregularis, quia post contractum conjugium spirituale per Ordinem sacrum, contraxit conjugium carnale, sed quia se conjunxit cum vidua, quam ob causam habitus fuit *tamquam maritus viduæ propter affectum intentionis etc. Secunda* sententia negat talem irregularitatem, et hujus sunt Sanch. Nav. et Salm. cum quadam Decis. S. C. apud Farinacium, dicendo quod talis subdiaconus habitus fuit irregularis, quia contraxit duo matrimonia, unum spirituale, et alterum carnale, licet invalidum. Ad hanc rationem probatio primæ sententiæ pro responsione etiam valet (1). Contra irregularitas ab adversariis intellecta contrahitur a subdiacono, licet contraueretur cum virgine, ut dicemus *n.* 140. Ad decisionem S. C. respondemus quod decisiones allatæ a Farinacio fuerunt declaratæ incertæ a Gregor. XIV. ann. 1621 (2). Et notandum hic quod die 29. Aug. 1631 de mandato Urbani VIII. fuit declaratum a S. C. non esse præstandam fidem Decret. S. C. nisi illa authentice constarent, nempe cum subscriptione Cardinalis Præfecti (3).

135. Quæritur 3. an sit irregularis qui uxorem adulteram cognovit, quando adulterium est occultum? Negant Henr. et alii apud Elbel: ex *c. Si cujus, D.* 34., ubi dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum uxorem adulterium commississe.* Sed nos affirmamus cum communi apud Elb., et sic sentiunt Tourn. et Ronc. cum Suar. Ugol. et Filiuc. et hoc currit etiamsi uxor vi oppressa fuisset. Ratio est eadem casus primi quæsiti; ideoque parum refert utrum vi oppressa sit, aut vir non sit culpæ reus, dum semper revera adfuit divisio carnis; ita Fagn. (4) cum Ugol. Host. etc. dicens: *Non agitur hic de vitio ordinandi, sed de defectu Sacramenti, quem etiam ignorans potest pati.* Ad textum respondetur quod verba *si evidenter comprobatum etc.* tantum probant, quod si virnon est certus de adulterio uxoris, non est censendus irregularis (5), licet maritus adulterii inscius esset, tamen in se est irregularis (6).

136. Et hoc infertur 1. quod idem dicendum est ob eamdem rationem cum s. Thoma (7), Suarez Tourn. Conc. s. Antonin. et plurimis aliis communissime de eo qui contrahit duo matrimonia invalida (8), licet in bona fide, ut deducitur ex præfato *c. A nobis*, explicato *num.* 132. Fit 2. etiam irregularis qui ficte contrahit secundum matrimonium ad copulam extorquendam; ita Suar. Tourn. et Salmant. cum aliis contra Palaum qui innititur verbis *propter affectum intentionis*; sed nos dicimus quod hæc verba non significant, quod ille subdiaconus vere cogitasset verum contrahere matrimonium, dum illum latere non poterat id effici non posse, sed quod affectum habebat in executionem illud ponere. Itaque idem est desiderare matrimonium impossibile in effectum ponere, ac fingere illud efficere, quod efficere non intendit (9).

137. Glossa in *can. Si cujus, D.* 34. proponit casum: Si vir adulterii accusaret uxorem, et lite pendente, quæsitus esset de debito conjugali, an reddendo fieret irregularis? Respondetur quod dato quod vir non est certus de uxoris adulterio, cum certe teneatur reddere,

(1) L. 7. n. 440. — (2) Ap. Croix l. 1. n. 219. — (3) Vide potestas t. 1 n. 219.

(4) Fagn. in 2. part. 1. decretal. *c.* nuper a nobis de bicum. n. 5. — (5) L. 7. n. 442. — (6) N. 443. — (7) Suppl. q. 66. a. 2. (8) L. 7 n. 445. — (9) N. 447.

tunc ille (ait Glossa) *potius dicitur cognosci ab uxore, quam cognoscere ipsam*, ideoque reddendo non fieret irregularis. Hac ratione ductus puto idem dicendum de viro qui bona fide contraxit cum corrupta ut in *n.* 133. et 134. si reddit et non petit: ac de eo qui reddit uxori occulte adulteræ.

138. III. Bigamia *similitudinaria* contrahitur per matrimonium (licet nullum, et licet cum virgine) contractum post voti solemnis emissionem, sive religionis, sive Ordinis Sacri. Hæc bigamia inducit irregularitatem, quoties matrimonium consummatum est, *c* 13. *Quotquot*, et *Can.* 23. *Monacho*, 27. *q.* 1. ubi dicitur: *Si postea uxori fuerit sociatus, nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Dicunt Hurtad. Abb. et Archid. quod hæc irregularitas contrahitur tantum a monachis; sed communissime dd. docent incurri etiam a clerico in Sacris, ex *cap.* 1. *Qui Cler. vel Mon.* ubi dicitur quod Episcopus possit dispensare cum diacono qui uxorem duxerat, ad ministrandum, etc.; et *c.* 2. *eod. tit.* ubi præcipitur Episcopo ne permittat subdiacono, qui matrimonio jungitur, ministrare. Sed putat Sanch. hanc irregularitatem esse potius ex delicto, quam ex bigamia. Attamen non esset irregularis qui Sacris non initiatus matrimonium cum moniali contraheret, quia leges loquuntur de eo qui matrimonio jungitur post proprium votum (1).

139. Hæc irregularitas bigamiæ non tollitur per Baptismum, *can. Si quis viduam, D.* 34.; ita commun. cum s. Thoma (2), Potest tamen dispensare Papa ex gravi causa; Sanch. Conc. Salm. cum aliis: et Tourn. cum communi affert Lucium III. jam dispensasse (3). Quid autem possint Episcopi, et Regulares, vide *seq. Tr.* 20. *de Privil. n.* 51 *et* 105.

140. *Sexta* oritur ex infamia. Sed de hac sat actum est *n.* 81. et 82. *Septima* ex defectu libertatis; hinc sunt irregulares 1. servi nempe mancipia donec libertate donentur. Sed si servus, sciente et non contradicente domino, ordinetur (licet prima Tonsura), eodem actu libertatem acquirit, *can. Si Servus*, et *can. Nulli, D.* 54.: potest tamen eum donare libertate, cum conditione, ut ei inserviat in iis quæ clericali statui non repugnant, et deducitur ex *c. Nullus, de Serv. non ord.* Sed si, inscio domino ordinatus esset, remanet servus, modo non sit in Sacris, et modo ab Episcopo, aut a cooperantibus duplum non reddatur domino, sed si isti essent impotentes. servus, etiamsi diaconus, remanet servus, et si est sacerdos, tenetur inservire in iis quæ statum decent, et celebrare pro domino: modo dominus id cognoscendo per annum non dissimulet (4).

141. II. *Uxorati*, si uxores non consentiunt, et voto castitatis non se adstringunt. *cap. ult. de Temp. Ord. in* 6 *et Extrav. Antiq. de Voto*; et etiamsi matrimonium esset ratum dumtaxat; quia tantum permissum est infra duos menses ingredi religionem *eod. Extrav*: probabile tamen est, quod si ordinatus esset in Sacris, non teneretur ad ingrediendam religionem, cum hoc sit onus nimis grave; Sanch. Aver. Salm. Sanct. Antonin. etc. (5).

142. Quæritur an maritus possit initiari Sacris, aut religionem ingredi cum uxoris licentia, si illa religionis statum non amplectitur? Alii aa. affirmant innixi *c. Conjugatus, de Conver. conjug.* ubi dicitur quod maritus ordinari non potest, *nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*; igitur dicunt sufficere si uxor castitatem voveat: dum textus dicit *continentiam* (non jam religionem) *profitente*. Sed communis negandum, cum id recenter sit expressum in *cap. Cum sis. eod. tit.*, ubi

(1) L. 7. n. 448. 449. — (2) Suppl. q 66. a. 4. — (3) L. 7. n. 450. et seq.

(4) N. 455. — (5) L. 6. n. 842.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicitur: *Ignorare non debet SS. Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, aut uxor, viro ejus non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire.* Idem respondit Nicolaus Papa in *c. Scripsimus* 27. *q.* 2. de uxore regis Lotharii dicens; *Non hoc aliter fieri posse, nisi eamdem vitam conjux ejus ac Lotharius elegerit.* Et ad textum oppositum respondetur, quod verbum *professione*, intelligendum est de professione solemni. Cæterum omnes conveniunt quod si uxor est juvenis, non potest in sæculo remanere, si vir religionem ingreditur; contra si illa est ætate provecta, idem textus *Cum sis*, concedit quod possit remanere in sæculo, simplex votum castitatis emittendo.

143. III. *Curialistæ* qui tenentur servire curiæ sive juramento, sive stipendio, prout sunt judices, advocati etc. per illud tempus quo ea officia durant, *c.* 1. 2. *et* 3. *D.* 15. modo licentiam a Papa. aut a consuetudine non obtinuerint, ut possint ea munia exercere, prout sunt regii consiliarii in causis civilibus; Laym. Castrop. Suar. Salm. cum aliis (1). IV. Milites pro eo tempore quo juramento adstricti sunt. Item thesaurii, depositarii publici, et alii qui rempublicam administrant. Item excubiæ regis, et cæteri omnes qui aliquo severitatis munere, aut turpi funguntur, aut ministrum egerunt in causa sanguinis (2).

144. *Octava* est ex defectu lenitatis, nempe ex licita mutilatione, vel occisione in bello offensivo licet justo. Sed ad incurrendam hanc irreguiaritatem, oportet ut occisio manu propria sit facta; Busemb. Holzm. et Lambertinus, ex *cap. Dilectus*, et *cap. Significasti de Homic.* Dicunt Busemb. et Bonacin. quod qui in bello justo hortaretur ad occidendum istum vel illum, fieret irregularis; sed probabiliter contradicunt Salm., quia textus loquitur de eo qui occidit, vel mutilat, non vero de eo qui hortatur. Sed si bellum est justum, et non est offensivum, sed defensivum, occidens non fit irregularis *c.* 2. *de Imm. eccl.* et *Clem. un. de Homic.* In bello autem injusto sufficit, ut unus occidatur, ut omnes fiant irregulares; omnes dd. cum s. Thoma 2. 2. *q.* 64 *a.* 8. (3). Hic notandum clericum (modo fuerit in Sacris, aut beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emiserit) esse irregularem, si militat, etiamsi juret se ne unum quidem læsisse, ut apud Lambertin. legere est *Notif.* 101. *n.* 19.

145. Defectu lenitatis fiunt irregulares judices, et omnes qui cooperantur in judicio justo ad mortem, vel mutilationem rei active, efficaciter et proxime, per actionem natura sua ad id ordinatam: Clem. *Si furiosus, de Homic. cap. Cler.* et *cap. Sententiam, de Cler. vel Mon.* Dictum est *active*, id est qui sunt ex parte occidentium, non vero ex parte occisi, ut esset confessarius hortans reum ad ferendam mortem etc. (4). Dicitur *efficaciter*, quia qui bajulat ligna ut cremetur cadaver, non est irregularis: nec qui assistit; et licet in dicto *cap. Sententiam* vetetur clericis hujusmodi suppliciis adesse, tamen dicitur hic Canon vel esse abrogatus, vel non obligare sub gravi; Bonac. Salm. et Tourn. vocant communem. Imo Navar. et Avil. excusant minoristam ab omni culpa (5). Dicitur *proxime*, nam non est irregularis qui gladios cudit, aut vendit, aut qui hortatur ut puniantur rei, aut alius qui non ut minister necessarius, sed remote concurrit; unde valde probabiliter dicunt Suar. Reginald. Laym. Avil. Busemb. etc. non esse irregularem confessarium, qui diceret judici talem reum esse morte dignum. Dicitur tandem *per actionem sua natura ad mortem ordinatam*; hinc non est irregularis con-

(1) Lib. 7. n. 456. — (2) Lib. 7. n. 456. (3) N. 459. et 460. — (4) N. 461. et 462. — (5) N. 463.

fessarius qui diceret carnifici: *Functus sum meo officio, te non impedio quominus tuum facias*; nec judices ecclesiastici qui degradatum curiæ sæculari tradunt, nec clericus accusator in causa criminali, modo protestetur se non intendere pœnam sanguinis; Bon. Busemb. Tambur. etc. (1).

146. Contra sunt irregulares 1. judex ejusque assessores, scriba sententiam scribens (non autem qui illam transcribit), et cæteri omnes, qui sententiam exequuntur (2). Secus qui sententiam aliis committunt, *c. ultim. Ne Cler. etc.* nisi jubeant ut detur sententia mortis in tali causa, vel ut expediant talem causam mortis; Castr. Salm. cum aliis, 2. Testes voluntarii, qui ultro se offerunt, licet protestentur; ita communiter dd.; et idem dicendum de advocatis, et procuratoribus accusatoris, nisi coacti sint ad eum tuendum, Salm. cum iisdem. 3. Accusatores criminis capitalis vindictam petentes criminalem; et si iste erit clericus beneficiatus aut in Sacris, præter irregularitatem, peccat mortaliter ex *cap. Sent.* ubi vetitum est clericis se in causam sanguinis ingerere. Non erit irregularis qui accusat reum solummodo, ut sibi compensentur damna, semper adhibita protestatione se nolle pœnam sanguinis, *c. Prælatis, de Homic.*; et hoc tam in causa propria, quam in causa cognatorum usque ad 4. gradum, aut domesticorum, aut propriæ ecclesiæ; Suar. Castr. Conc. Salm. cum Bon. et aliis. Et hoc valet etiamsi protestatio simulate fieret, Suar. Bonac. Castrop. et Salm. cum multis aliis, et etiamsi illam faciat post accusationem, sed ante sententiam, Bon. Savr. Pelliz. et Sal. (3).

147. Dispensationes super irregularitatibus ex defectu omnes reservatæ sunt Pontifici, quoad sæculares; quoad regulares vero vide *Tr.* 20 *de Priv. n.* 104. et 105.

(1) L. 7. n. 464. ad 468. — (2) N. 461. — (3) Lib. 7. n. 468. in fine.

DE FACULTATIBUS SACRÆ PŒNITENTIARIÆ.

148. Non parum conferre judicavi hic adnotare principales facultates sacræ Pœnitentiariæ, ad hoc ut confessarium non fugiat, pro quibus casibus possit ad illam recurri. Ben. XIV. 13. Aprilis 1744. per Bullam quæ incipit *Pastor bonus*, (quæ est 93. in suo Bullar. *tom.* 1. *et in ed. Mech. tom.* 2. *pag.* 209.) confirmavit plures facultates ab aliis Pontificibus concessas, et alias ipse adjecit sacræ Pœnitentiariæ. Itaque in præfata Bulla habetur posse sacram Pœnitentiariam 1. absolvere a quibuscumque casibus et censuris, etiam Bullæ Cœnæ, Regulares pro utroque foro; sæculares vero tam ecclesiasticos, quam laicos etiam in utroque foro a censuris publicis latis a jure; et etiam ab homine, si expirata sit jurisdictio judicis, vel si lator censuras illas reservavit Sedi apostolicæ, modo judici et parti satisfecerint. Quod si pars injuste refutet satisfactionem oblatam, potest Pœnitentiarius convenientem satisfactionem arbitrari. II. Posse absolvere hæreticos occultos, modo nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut hæreticos; item publicos hæreticos, casu quo non est opus complices denuntiare. Posse etiam absolvere principes, administratores rerum publicarum, et Episcopos, ac alios Prælatos a casibus publicis Bullæ Cœnæ. III. Posse dispensare in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, non tamen ut post homicidium possint promoveri ad Episcopatum. Item etiam ab inhabilitatibus, et irregularitatibus propter hæresim, modo fuerint penitus occcultæ. IV. Posse dispensare cum homicidis, et aliis, ut valeant profiteri in religione approbata, et fieri deinde etiam sacerdotes. V.

Cum male promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, et temporibus, non autem sacros una die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. VII. Posse convalidare titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, et ulterioribus remittere fructus male perceptos, componere vero cum Italis, Hispanis etc., et cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de male ablatis, vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint a Regularibus, modo non excedant, decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel præstita obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quæ virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiæ, vel cum virginibus, ut intrent monasterium mulierum Pœnitentium. XIII. Posse relaxare juramenta, quæ non sunt in favorem alterius. XIV. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV. Dispensare, commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem divini Officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus a quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, et pœnis : non autem in publico defectu natalium quoad Generalatum; in publicis vero nonnisi auditis Superioribus. XVII. Posse absolvere apostatas a censuris, cum reincidentia si non redeant intra præfinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere ut ipsi transeant ad alium ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia ; non tamen ad ordinem s. Benedicti antiquioris observantiæ; neque ad consimiles congregationes cujuscumque ordinis. Idem quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, et dispensare super defectibus, et censuris, etiam ob clausuræ violationem. XX. Item concedere confessarium Monialibus (*vide dicta de hoc lib.* 6. *n.* 576). XXI. Vacante Sede apostolica, habere facultatem in foro conscientiæ etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice non habebat ; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se præsentent; hancque facultatem post Cardinalis Pœnitentiarii ingressum in Conclavem transire ad signaturam. Alia quæ pertinent ad matrimonii materiam, *vide l.* 6. *n.* 1144. Alia minus scitu necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus*.

Demum hic nota, quod, cum litteræ S. Pœnitentiariæ committuntur magistro theologiæ, vel Decretorum doctori, possunt eas exequi confessarii Societatis Jesu designati a Generali, vel Provinciali de ejus licentia, ut concessit Gregorius XIII. 3. Apr. 1582. Et idem possunt lectores jubilati ordinis Minorum, ex concessione Innocentii XI. 27. Nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes ; ita refert *Elbel tom.* 3, *Conf.* 20. *p.* 506. *num.* 513.

TRACTATUS XX.

DE PRIVILEGIIS

CAPUT I.

DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI

1 *Differentia inter privilegium, dispensationem, et licentiam.*
2 *Quando privilegium derogat juri communi.*
3 *Quando privilegiatus tenetur uti privilegio*
4. *Utrum extra Sacramentum censuræ, etc.*
5 *De clausulis, Ad instar etc., Quatenus sacris Canonibus non adversetur, etc., Supplentes defectus, etc.*
6. 7. *et* 8. *De interpretatione privilegiorum.*
9. 10. *et* 11. *De communicatione.*
12. *De privilegiis Regularium revocatis, cum declarationibus s. Pii V*
13 *De rescriptis gratiæ, et justitiæ, utrum expirent morte Pontificis*
14. *Quot modis cesset privilegium.*
15. *Quomodo cesset per revocationem.*
16. *De revocatione expressa*
17. *De tacita, et utrum sit intimanda, vel saltem publicanda revocatio*

1. Privilegium definitur : *Lex privata, aliquod speciale concedens beneficium*. Privilegium differt a dispensatione quæ eximit a lege, et ideo semper est odiosa, differt etiam a licentia quæ conceditur tantum ad paucos actus. De privilegiis in particulari inferius proprio loco dicemus hic tantummodo adnotabimus quasdam regulas advertendas circa privilegia in communi.

2. Et 1. ut privilegium deroget juri communi, non requiritur clausula derogatoria ; præsumitur enim princeps jam scire leges communes. Excipitur tamen 1 Quando privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege, cui derogatur, esset apposita clausula : *Non obstante quocumque privilegio* ; hoc intelligitur, dummodo in privilegio non extet clausula, *Ex certa scientia*, vel *Ex plenitudine potestatis* (§). 3. Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem municipalem; his enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat (2).

3. 2. Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti privilegio, *Reg* 61. *Jur in* 6. Sed excipiendum est 1. si non utendo, grave damnum proximo inferret : hoc tamen intellige si per se, non vero consequenter, e. c. si confessarius habeat privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti (3). 3. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque tenetur uti ex *cap. Si diligenti, de Foro compet.* 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum præceptum ; e. c. si infirmus habeat domi oratorium privatum, et facile potest audire Sacrum, tenetur privilegio uti (4). 4. Si privilegium non est personale, sed reale, addictum loco, vel dignitati, vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis et Regularibus (5).

4. 3. Qui habet privilegium pro foro pœnitentiali, etc. absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis, valde probabiliter potest eo uti etiam extra Sacramentum, etiamsi facultas concepta esset in terminis: *Sacerdoti confessario* (6).

(1) Salmant. tract. 18. c. 1. n. 42. et 43. cum aliis. — (2) Suar. de leg. l. 8. c. 14. n. 4. Castropal. t. 1. tract. 3. d. 4. p. 10 n. 9 et Salmant. loc. cit. c. 1 n. 8. cum Pelliz. Tamb., etc. — (3) vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 11. cum aliis. — (4). Suar. l. 8. de leg. c. 23. n. 8. et c. 35. n. 5. et 6. Pal. p. 7. n. 3. Sanch. de Matr. l. 9. d. 6. n. 14 Salm. c. 1. n. 12. cum Silvest. Avila, etc. — (5) Vide Salm. c. 1. n. 17. et 18. — (6) Suar. l. 8. de leg c. 6. n. 15. Castrop. d. 4. p. 2. § 5. n. 6. e. Salm. tr. 18. c. 1. n. 33. cum Silvest.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON ®
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cum male promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, et temporibus, non autem sacros una die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. VII. Posse convalidare titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, et ulterioribus remittere fructus male perceptos, componere vero cum Italis, Hispanis etc., et cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de male ablatis, vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint a Regularibus, modo non excedant, decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel præstita obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quæ virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiæ, vel cum virginibus, ut intrent monasterium mulierum Pœnitentium. XIII. Posse relaxare juramenta, quæ non sunt in favorem alterius. XIV. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV. Dispensare, commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem divini Officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus a quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, et pœnis : non autem in publico defectu natalium quoad Generalatum; in publicis vero nonnisi auditis Superioribus. XVII. Posse absolvere apostatas a censuris, cum reincidentia si non redeant intra præfinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere ut ipsi transeant ad alium ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia ; non tamen ad ordinem s. Benedicti antiquioris observantiæ; neque ad consimiles congregationes cujuscumque ordinis. Idem quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, et dispensare super defectibus, et censuris, etiam ob clausuræ violationem. XX. Item concedere confessarium Monialibus (*vide dicta de hoc lib.* 6. *n.* 576). XXI. Vacante Sede apostolica, habere facultatem in foro conscientiæ etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice non habebat ; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se præsentent; hancque facultatem post Cardinalis Pœnitentiarii ingressum in Conclavem transire ad signaturam. Alia quæ pertinent ad matrimonii materiam, *vide l.* 6. *n.* 1144. Alia minus scitu necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus*.

Demum hic nota, quod, cum litteræ S. Pœnitentiariæ committuntur magistro theologiæ, vel Decretorum doctori, possunt eas exequi confessarii Societatis Jesu designati a Generali, vel Provinciali de ejus licentia, ut concessit Gregorius XIII. 3. Apr. 1582. Et idem possunt lectores jubilati ordinis Minorum, ex concessione Innocentii XI. 27. Nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes ; ita refert *Elbel tom.* 3, *Conf.* 20. *p.* 506. *num.* 513.

TRACTATUS XX.

DE PRIVILEGIIS

CAPUT I.

DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI

1 *Differentia inter privilegium, dispensationem, et licentiam.*
2 *Quando privilegium derogat juri communi.*
3 *Quando privilegiatus tenetur uti privilegio*
4. *Utrum extra Sacramentum censuræ, etc.*
5 *De clausulis, Ad instar etc., Quatenus sacris Canonibus non adversetur, etc., Supplentes defectus, etc.*
6. 7. *et* 8. *De interpretatione privilegiorum.*
9. 10. *et* 11. *De communicatione.*
12. *De privilegiis Regularium revocatis, cum declarationibus s. Pii V*
13 *De rescriptis gratiæ, et justitiæ, utrum expirent morte Pontificis*
14. *Quot modis cesset privilegium.*
15. *Quomodo cesset per revocationem.*
16. *De revocatione expressa*
17. *De tacita, et utrum sit intimanda, vel saltem publicanda revocatio*

1. Privilegium definitur : *Lex privata, aliquod speciale concedens beneficium*. Privilegium differt a dispensatione quæ eximit a lege, et ideo semper est odiosa, differt etiam a licentia quæ conceditur tantum ad paucos actus. De privilegiis in particulari inferius proprio loco dicemus hic tantummodo adnotabimus quasdam regulas advertendas circa privilegia in communi.

2. Et 1. ut privilegium deroget juri communi, non requiritur clausula derogatoria ; præsumitur enim princeps jam scire leges communes. Excipitur tamen 1 Quando privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege, cui derogatur, esset apposita clausula : *Non obstante quocumque privilegio* ; hoc intelligitur, dummodo in privilegio non extet clausula, *Ex certa scientia*, vel *Ex plenitudine potestatis* (§). 3. Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem municipalem; his enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat (2).

3. 2. Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti privilegio, *Reg* 61. *Jur in* 6. Sed excipiendum est 1. si non utendo, grave damnum proximo inferret : hoc tamen intellige si per se, non vero consequenter, e. c. si confessarius habeat privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti (3). 3. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque tenetur uti ex *cap. Si diligenti, de Foro compet.* 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum præceptum ; e. c. si infirmus habeat domi oratorium privatum, et facile potest audire Sacrum, tenetur privilegio uti (4). 4. Si privilegium non est personale, sed reale, addictum loco, vel dignitati, vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis et Regularibus (5).

4. 3. Qui habet privilegium pro foro pœnitentiali, etc. absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis, valde probabiliter potest eo uti etiam extra Sacramentum, etiamsi facultas concepta esset in terminis: *Sacerdoti confessario* (6).

(1) Salmant. tract. 18. c. 1. n. 42. et 43. cum aliis. — (2) Suar. de leg. l. 8. c. 14. n. 4. Castropal. t. 1. tract. 3. d. 4. p. 10 n. 9 et Salmant. loc. cit. c. 1 n. 8. cum Pelliz. Tamb., etc. — (3) vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 11. cum aliis. — (4). Suar. l. 8. de leg. c. 23. n. 8. et c. 35. n. 5. et 6. Pal. p. 7. n. 3. Sanch. de Matr. l. 9. d. 6. n. 14 Salm. c. 1. n. 12. cum Silvest. Avila, etc. — (5) Vide Salm. c. 1. n. 17. et 18. — (6) Suar. l. 8. de leg c. 6. n. 15. Castrop. d. 4. p. 2. § 5. n. 6. e. Salm. tr. 18. c. 1. n. 33. cum Silvest.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON ®
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

5. 4. Loquendo de clausulis : clausula *ad instar* importat tunc valere privilegium, quando aliud (ad cujus formam secundum concessum est) fuerit validum saltem a principio, quamvis postea revocatum fuerit, vel non acceptatum, ut advertit p. Mazzotta. Alias enim, si primum privilegium fuerit nullum, nullum quoque erit secundum, dummodo in secundo non exprimatur id quod conceditur (1). Hoc tamen currit (ut aiunt præfati auctores) quando dicitur. *Ad instar*, non vero si dicatur : *sicut concessum est*, etc., ut limitant Bonacina et Garcias apud Salmanticenses. Clausula, *Quatenus sacris Canonibus non adversetur*, intelligitur de iis tantummodo Canonibus, in quibus est expressum : *Non obstante quocumque privilegio* (2). Clausula, *Supplentes singulos defectus*, intelligitur tantum de defectibus earum rerum, quæ requiruntur solum de *jure positivo*, et qui sunt tantummodo accidentales, non vero de defectibus naturalibus, aut substantialibus, utpote esset, si supplicans foret excommunicatus, aut si supplicatio foret subreptitia, vel fraudulenta; aut si defectus esset circa causam, aut personam supplicantis (3). Aliæ clausulæ videri possunt apud Salmanticenses (4).

6. 5. Loquendo de interpretatione privilegiorum, plura adnotanda sunt. Notetur 1. omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo privilegiato non sit neque inutile, neque onerosum (5). 2. Privilegia solum princeps, vel alii, quibus a principe foret commissum, authentice, vel juridice possunt interpretari. Doctrinaliter vero potest ea interpretari quicumque vir doctus, cujus resolutioni licite potest acquiesci, ut omnes affirmant ; et quando in privilegio prohibetur quæcumque interpretatio, de sola authentica et juridica est intelligendum (6) : aut ad summum intelligi debet de interpretatione quæ fit *ex professo*, ut dictum est de legibus (*Tr.* 2. *n.* 75.). 3. a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus prohibentur Episcopi interpretari juridice privilegia Regularium. Solum id ab Alexandro VI, et Paulo III. (quando apostolica Sedes consuli nequit) concessum est jurisperitis, cæterisque judicibus in favorem Regularium. Idem concessum est Generalibus, visitatoribus, et etiam Provincialibus, et Prælatis immediatis, quoties ipsi peritos consulunt. Idem locum habet in interpretatione regularium constitutionum et consuetudinum. Eodem modo possunt iidem Prælati auferre vel limitare subditis usum privilegiorum (7).

7. Notandum 4. quod generaliter loquendo de privilegiis, omne privilegium large est interpretandum, ut habemus ex *cap. Olim* 6. *de Verb. sign.* ubi dicitur : *Cum beneficia principum interpretanda largissime* etc.; et ex *l. ult. ff. de Constit. princ.* Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa quæ sunt derogatoria juris communis, aut statutorum, et consuetudinum particularium, dummodo hæc statuta non sint contra jus commune aut dummodo privilegium non sit insertum *in corpore juris* ; ideoque aiunt Sanch. et Mazzotta (8), omnia privilegia realia late esse interpretanda ; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam inserta in jure communi. Insuper excipitur, si alias privilegium redderetur inutile; aut si in eo extaret clausula *Ex certa scientia*

Tamb., etc. contra alios qui probabiliter etiam negant.

(1) Suar. l. 8. de leg. c. 15. n. 2. Castrop. d. 3. p. 2. §. 8. n. 1. Salm. c. 1. n. 39. cum Bonac. etc et p. Mazz. t. 1. de Privil. p. 221. v. Scuto. — (8) Sal. tract. 18. c. 1. n. 50. cum Nav. Suar. Garc.. etc. — (3) Salm. c. 1. n. 51. cum Barbosa, et Tamb. — (4) c. 1. ex n 40. — (5) Salm. c. 1. n. 70. et 71.

(6) Vide Salm. tr. 18. c 1. n. 72. et 73. — (7) vide Salm. tr. 18. c 1. n. 74 75. et 76. — (8) Sanch. de Matr. l. 8. d. 1. n. 4. et Mazzotta loco cit. p. 223. c. 2 v. resp.

vel *Ex motu proprio* ; vel si privilegium esset absolvendi, dispensandi, aut commuicandi illud ad alios (1). Privilegia vero in præjudicium aliorum, cujusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio* (2).

8. Hoc vero intelligendum est de privilegiis concessis personis particularibus : sed ea quæ sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur juri communi, vel alicujus tertii, quemadmodum communissime affirmant dd. (3) ; privilegia enim communitatibus concessa præsumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum præstitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia, *ex l. Sicut persona. ff. de Relig.* (4).

9. 6. Loquendo de communicatione privilegiorum adnotetur 1. quod religiones mendicantes communicant in totum inter se de privilegiis præteritis et futuris ; tum circa personas, tum circa loca, festivitates et indulgentias, prout habetur ex Bulla Sixti IV. Clementis VIII. et Leonis X. (5). Et hoc currit, quamvis religio, cui concessum est privilegium, vel non acceptaverit, vel eo usa non fuerit. Insuper quando ampliatur privilegium alicui religioni concessum intelligitur ampliatum etiam quoad alias (6). Insuper hæ religiones mendicantes communicant privilegiis cæterarum religionum, vel congregationum, vel collegiorum monasticorum; vel non monasticorum (7). Et hoc valet etiamsi in privilegio concesso alteri religioni, vel congregationi, adsit clausula quod non communicetur; nam in aliis Bullis de communicatione dicitur, quod tollitur quodcumque impedimentum communicationis (8). Hujusmodi privilegiis perfruuntur tam conversi, ipsi enim vere Religiosi sunt (9). quam novitii, quemadmodum declaravit Clem. VIII. et est communis sententia (quicquid dicant quidam pauci) cum Suar. Sanch. Castr. etc. (10); fruuntur quoque Religiosi ad Episcopatus promoti, dummodo non agatur de rebus, quibus, Episcopi si utantur, aliquod religioni præjudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio : datio suffragii, etc. (11). Tertiarii autem, et Tertiariæ (vel beatæ) subditæ mendicantibus, et quæ habitum religionis deferunt, et votum habent castitatis (quibusdam tantum rebus exceptis) eorum quoque privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. Confratres scapularis, et cinguli (vocati *Cordonis*), etc. fruuntur tantum, et participant in omnibus indulgentiis et remissionibus peccatorum, sed non in alio (12).

10. Notandum 2. Moniales tam ordinum mendicantium, quam non mendicantium, gaudere privilegiis monachorum sui ordinis, et consequenter cujuscumque alterius ordinis in omnibus, quorum sunt capaces (intellige de favorabilibus). Hoc valet etiamsi privilegium tantum de hominibus loqueretur, ut deducitur ex Bulla Leonis X. Atque ita e contra-

(1) Salm. tr. 18 c. 1. n. 78. ad 80. — (2) ib. n. 83. et 84. — (3) Suar. de leg. l. 8. c. 27 n. 7. Castrop d. 4. p. 10. n. 6. Mazzotta loc. cit. et Salm. c. 1. n. 27. et 28 et iterum n. 85. et 86. cum Azor. Laym. Sylv. Bonac. Henriq. Coninch Lezana, Barb, et alii. — (4) vide Salm. c. 1. n. 25. ad 27. — (5) Ib. n. 88 et 89. — (6) ib. n. 98. et 99.

(7) Ita communissime Salm. tr. 18. c. 1. n. 90. cum Rodr. Pelliz. Tambur. etc. — (8) Salm. tr. 18. c. 1. n. 107. cum Rodr. Basseo, Merranda, Bon. Diana, Donato, etc. — (9) vide Salm. tr. 15. de statu relig. c. 1. n. 33. — (10) Suar. in 2. 2. s. Thom. t. 4. de relig. t. 10. l. 9. c. 1. n. 18. et Salm. ib c. 3. n. 85. cum Sanch. Castr. Lezana, Pelliz. et aliis. — (11) vide Salm. dict. tr. 15. c. 5. n. 43. cum Suar. Lez. et Castrop. — (12) Salm. tr. 18. c. 1. n. 94. cum aliis.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rio fratres gaudent privilegiis Monialium omnium ordinum, ex eo quia ipsi communicant (ut supernus dictum est) privilegiis concessis cuicumque religioni, congregationi, aut monasterio (1). Sed redeundo ad Moniales, hujusmodi privilegiis gaudent etiam illæ, quæ Pontifici aut Episcopo subjiciuntur: atque ita, quando Religiosis conceditur privilegium ut absolvantur, vel dispensentur a suo Prælato, Moniales subjectæ Episcopo possunt quidem ab eodem absolvi, et dispensari. Et hoc currit etiamsi in privilegio nominarentur tantum Moniales quæ Regularibus subditæ sunt (2).

11. Notandum 3. privilegia non communicari quando sunt odiosa, vel contraria propriis statutis, adeo ut præjudicent bono, sive commum observantiæ religionis (3). Notetur 4. privilegia alicui concessa non tanquam personæ particulari, sed ratione sui officii, seu dignitatis, vel tanquam membro illius communitatis, intelliguntur concessa omnibus aliis ejusdem officii aut ejusdem communitatis. Et privilegia concessa subditis seu Prælatis inferioribus etiam Prælatis superioribus, concessa intelliguntur (4). Similiter privilegia concessa alicui conventui, aut ecclesiæ, aut particularibus alicujus conventus, sed tanquam membra illius, intelliguntur quoque concessa cæteris Religiosis tam illius ordinis, quam aliorum qui communicationem habent quando scilicet eadem, vel similis ratio militat (5). Sed hoc non est intelligendum de privilegiis quæ conceduntur alicui congregationi ad tempus determinatum, vel per brevia particularia sunt concessa alicui monasterio ob specialem aliquam causam, vel quando agitur de rebus quæ difficile solent concedi (6).

12. 7. Certum est, ut habetur ex prop. 36. damnata ab Alexand. VII. Religiosos non posse amplius uti privilegiis jam revocatis per Concilium Tridentinum. Verum, hoc non obstante, attendendæ sunt quædam Declarationes Concilii factæ per S. Pium V. in sua Bulla - *Etsi mendicantium*. Hæ sunt 1. quod sæculares possunt audire Sacrum et conciones in ecclesiis Regularium. 2. Quod Episcopus nequeat imperiri licentiam ingrediendi monasteria Monialium exemptarum. 3 Quod quarta funerum non intelligitur nisi de eo quod affertur (7). 4. Quod confessarii Monialium exemptarum, et concionatores regulares in propriis ecclesiis non examinentur ab Ordinario; verum quod attinet ad confessarios, hoc privilegium abrogatum est per varias apostolicas Constitutiones, et præsertim per Bullam *Apostolici ministerii*, emanatam ab Innoc. XIII. anno 1723, et confirmatam per Bened. XIII. die 23 sept. an. 1724. Ibi in §. 18. declaratur quod confessarii Monialium exemptarum debeant examinari, et approbari ab Episcopo diœcesis, *remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili*.

13. 8 Distinguendum est *rescriptum gratiæ*, ut esset absolvendi, dispensandi etc. a *rescr. justitiæ*, ut exercendi jurisdictionem, appellandi, etc. In rescripto gratiæ dicitur, *gratia facta* quando delegatus habetur tanquam merus necessarius executor: *Gratia faciendæ*, quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio delegati. Rescriptum justitiæ expirat morte principis, dummodo res adhuc sit integra, et idem de rescripto gratiæ faciendæ. Oppositum vero dicendum de rescripto gratiæ factæ.

(1) Vide Salm. tr. 18. de privil. c. 4. n. 91. — (2) Suar. de leg. l. 8. c. 10 n. 7. Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 2. n. 4 et Salm. tr. 18. cap. 4. n. 92. cum Castr. Lez. Pelliz. Bordonio. Boss, et aliis contra paucos. — (3) Castrop. dist. 4. §. 9. n. 2. et Salm. cap. 4. n. 100. cum Pelliz. Lez. Portel. Tamb. Barb. — (4) Salm. 4. n. 140. et 111. — (5) Salmant. cum Pelliz. Garcia, Quintan. Tamb. etc.

(6) Salm. c. 4. n. 118. cum Peyrin. Tamb. Merula etc. — (7) vide Salm. tr. 18 c. 4. n. 137.

ut absolvendi, recipiendi ordines *extra tempora*, de oratorio privato, etc. (1). Privilegium concessum cum clausula, *Donec voluero*, probabiliter non expirat post mortem concedentis (2): vide quod dictum est *Tr.* 16. *n.* 82. Quod sim concessione exprimitur officium delegati, mortuo delegato, transit etiam ad successorem (3).

14. 9. Privilegium multis modis cessare potest. et 1. per decursum termini constituti. 2. Per cessationem causæ finalis: intellige quando privilegium est concessum sub conditione dictæ causæ; sed quando concessum esset absolute; adest opinio valde probabilis, quod etiamsi cessaret causa finalis, non cesset tamen privilegium, neque cessat, quamvis semel privilegio usi fuerimus (4). juxta id quod diximus de Dispensatione *Tr.* 2. *punct. cap.* 6. *n.* 66 *in fin.* 3. Ob renuntiationem privilegiati, in quo notandum est quod particulares nequeunt renuntiare privilegiis communitatis, et ut valida sit renuntiatio, fieri debet in manu illius qui privilegium concessit, et ab eodem acceptari (5) 4. Per usum contrarium, vel per non usum; in dubio tamen præsumptio semper est pro usu. Sed in hoc advertendum est quod privilegia gratiosa, quæ non sunt aliis gravamini, ut absolvendi, dispensandi, vel jejunandi, et his similia, hæc numquam amittuntur per non usum, et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi (6). Privilegia contra quæ fortasse sunt onerosa, ut non solvendi Decimas, et similia, hæc præscribuntur per usum contrarium, et etiam per non usum privativum (non vero dumtaxat negativum) quod accidit, quando privilegiatus conscius jam sui privilegii, occasionibus oblatis, sponte uti recusavit. Hoc autem currit, dummodo in privilegio non sit clausula *utendi ad sui arbitrium*. (7). Insuper hoc intelligitur pro foro externo, nam in conscientia non amittit privilegium qui animum non habet renuntiandi (8). Potest cessare etiam privilegium per abusum sive in totum, sive in partem (9).

15. Cessat 5. privilegium ob revocationem principis. In hac autem distinguere oportet privilegia gratuita a remunerativis, et ab onerosis; si privilegium est mere gratuitum, revocari potest valide etiam sine justa causa quamvis hoc non excusatur saltem a culpa veniali, si scandalum absit (10). Si vero cum privilegio translatum fuisset dominium alicujus rei in privilegiatum, illud revocari nequit nec licite, nec valide, nisi ob causam urgentissimam boni communis vel gravis delicti, vel ob illas causas, ob quas revocari potest qualibet donatio (11) Sed si privilegium est remuneratorium, vel ob justitiam, vel ob gratitudinem, semper requiratur justa causa, ut valide revocetur. Et si insuper est onerosum, ut exempli causa concessum ob pretium acceptum, vel ob aliquod onus privilegiato impositum, tunc ut revocetur (ultra justam causam) requiritur compensatio. Et hoc dicendum de privilegiis remuneratoriis ob justitiam, ut dicunt communiter dd. (12).

(1) Castr. d. 3. p. 16. §. 4. n. 11. Sanch. de Matr. l. 8. disp. 38. n. 43. Salm. tr. 18 c. 4. n. 141. ad 146. cum Suar. — (2) Salm. tr. 18 c. 4. n. 149. — (3) ib. n. 150. — (4) ib. c. 2. n. 3. et 4. — (5) ib. n. 5. ad 8. — (6) Suar. de leg. l. 8. c. 34. n. 17. Bonac. d. 4. q. 3. p. 8. §. 5. n. 4. Castr. tr. 3. d. 4. p. 48. n. 3. et p. 49. n. 1. et Salm. c. 2. n. 43. cum Laym. Pont. Lez. Garcia, etc.

(7) Castr. p. 18. n. 4. Bonac. loc. cit. n. 3. et Salm. n 14. cum Laym. Garc. Lez. etc. — (8) vide Salm. tr 18 c. 2. n 48. — (9) ib. n. 47. — (10) Pontius l. 8. de dispens. c. 19. n. 15. Castr. p. 21. §. 3 n. 3. et Salm. tr. 18. c. 2 n. 37. cum Suar. Sanch. Bon. etc. — (11) Castr. p 21. §. 2 n. 2. Bonac. d. 4. q. 3. p. 8. §. 3. n. 5. Suar de leg. l. 8. c. 37. n 7. et Salm. c. 2. n. 29. cum Pont. Garc. Lez. etc. — (12) Suar. loco cit. n. 6. et 7. Pont. n. 13. et Salm. tr. 18. c. n. 30. et 85. cum aliis.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
FONDO HISTÓRICO BIBLIOTECA CENTRAL DE TEOLOGÍA

16. Revocatio vero privilegiorum alia est *expressa*, alia vero *tacita* : quoad *expressam* regulariter loquendo sufficit clausula generalis, *non obstantibus privilegiis*, etc. ut revocentur omnia privilegia in contrarium. Excipiuntur tamen 1. privilegia concessa per modum contractus, sive onerosa sint, sive remunerativa ob justitiam (ut supra dictum est), in quibus mentio specialis fiat merito-um in particulari. 2. Privilegia quæ clausulam habent : quod non intelligantur derogata, nisi mentio particularis fiat. 3. Privilegia Regularium, quæ etiam specialem mentionem requirunt, qui sunt remunerativa, et videntur clausulam habere derogatoriam futuræ revocationis, nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmant Rodr. Portel. et Miranda apud p. Mazzotta. 4. Privilegia inserta in *corpore juris*, quia tunc sunt veræ leges, et ut revocentur, requiritur clausula specialis, *non obstantibus legibus in contrarium*, etc. (1). Idem asserunt Bon. Sanch. Castr. et Salm. cum Molin. Pelliz., aliisque quamplurimis, (contra Pontium) de privilegiis concessis ab aliquo Concilio generali, quæ non censentur revocata, nisi per clausulam expressam, *non obstante qua cumque Constitutione, etiam a Concilio generali edita*, ut colligitur ex *cap. Ex parte*, et *cap. ult. de Capell. Mon.* (2). Opponit Pontius Ecclesiæ praxim, et quamdam Declarationem S. Pii V. Sed Castropalaus cum Garcia respondet gratis id asseri : tantum inquit, a Garcia referri quemdam motum proprium S. Pii, in quo dicitur, quod concessiones propria Pontificis manu signatæ non egent aliqua Tridentini revocatione, neque generali, neque speciali. Omnes vero præfatæ limitationes intelliguntur locum habere si non constet de contraria mente derogantis, quemadmodum omnes præfati dd. communiter affirmant ; unde si in lege revocatoria adsit clausula *ex certa scientia*, aut *ex motu proprio*, aut *de potestatis plenitudine*, tunc revocatur omne privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis : aut quando revocatio præjudicaret juri a tertio acquisito (3).

17. Quot attinet ad revocationem *tacitam*, privilegia ante concessa intelliguntur revocata per quamcumque legem universalem in contrarium, etiamsi in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum privilegium aliis concessum non posset effectum intentum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea concessis; non præsumitur enim legislator velle condere legem inutilem, aut concedere privilegium elusorium, sive generale, sive particulare illud sit. Hoc tamen intelligendum est, quando privilegia prius concessa nota sunt principi, quemadmodum præsumitur de omnibus privilegiis insertis in *corpore juris*. Quod contra non præsumitur de aliis quæ existunt *extra jus* ; unde horum specialis mentio est facienda (4). Affirmant aliqui, ut Sotus Henriquez et Quintanad. quibus adhærent Salm. in quodam loco (5), quod privilegium remanet in suo vigore, quousque revocatio non intimetur civitati, vel religioni. Verum ipsimet Salm. postea in alio loco (6) se retractant, et merito, asserentes cum

(1) Suar. l. 8. c. 38. n. 3. et c. 14. n. 8. Bonac. d. 1 q. 3. p. 8. §. 3. n. 11. Castr. tr. 3. d. 4. p. 21. §. 3. a. n. 2. Pont. l. 8. c. 19. n. 16. Mazzot. t. 1. de Privil. q. 2. c 1. p. 231. et Salm. c. 2. n. 39. et 40. — (2) Bonac. dip. 1, q. 3. p. 8. §. 3. n. 13. v. Tertio Castr. §. 4. n. 6 Sanch. de Matr. l. 3. d. 26. post. n. 6. v. sed hæc et Salm. tr. 18. c. 2. n. 41. cum Pelliz. Bass. etc. contra Pontium l. 8. de dispens. c. 19. num. 19

(3) Vide Salm. c. 1. n. 40. et 42. — (4) Suar. de leg. l. 8. c. 39. n. 2. Pont. de dispens. l. 8. c. 19. n. 19. Castrop. d. 3. p. 21. §. 4. n. 10. Bon. d. 3. p. 8. §. 3. n. 14. Salm. tr. 18. c. 2. n. 43. et 44. cum aliis communiter. — (5) Salm. tr. 10. de Cens. c. 2. n. 81. — (6) Tr. 18. de privil. c 2. n. 45.

Laym. Suar. Portel. et Lezan. quod sufficit ad invalidandum privilegium (ut diximus loquendo de Legibus, *Tr.* 2. *a. n.* 5 *ad* 8.) ; ut publicetur revocatio, et ut transeant duo menses a publicatione, ita ut pervenire possit notitia ad privilegiatos, quamvis de facto non perveniat.

Actum est usque adhuc de privilegiis in communi, in sequentibus capitibus agetur de privilegiis in particulari Ecclesiasticorum, Episcoporum, et Religiosorum.

CAPUT II.

DE PRIVILEGIIS ECCLESIASTICORUM.

18. *Quibus in rebus Ecclesiastici sint exempti a potestate laicali.*
19. *De privilegiis Canonis et fori quoad personas.*
20. *Quoad bona.*
21. *Quis gaudeat hujusmodi privilegiis.*
22. *De beneficialis.*
23. *De tonsuratis.*
24. *De illis qui deposuerunt habitum.*
25. *ad* 28. *De immunitate piorum locorum.*

18. Ecclesiastici jure divino exempti sunt a potestate sæculari quoad materias spirituales, vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones Prælatorum, etc. ut constat ex *can.* 3. Concilii romani. Quoad personas vero, et loca Ecclesiasticorum, quæstio est utrum sint vel ne exempti jure divino ? Multi negant, ut Lessius Cajetanus Becanus et Salm. (1). Multi alii affirmant, ut Suarez Azorius Laym., etc. et probant ex pluribus textibus, et præsertim ex *cap. Quamquam de Gentibus in* 6. et ex Trident. *sess.* 25. *c.* 20. *de Ref.* : *Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticorum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus esse constitutam.* Certum tamen est Ecclesiasticos tum jure canonico, tum civili non esse subjectos foro laicali (2). Cæterum tenentur in conscientia illis legibus civilibus, quæ non repugnant eorum statui, non vi *coercitiva* ut dicitur, *sed directiva*, ut uniformentur communitati (3).

19. Ecclesiastici ergo gaudent 1, exemptione circa suas personas. Præter privilegium Canonis, cujus vigore incurrunt excommunicationem qui injuste illos percutiunt (de quo actum est *Tr.* 19. *n.* 48. et sequentibus), gaudent clerici immunitate, ne puniantur a curia laicali, ut patet ex legibus a Becano relatis (4). Et quamvis jus civile eos eximat tantum in causis civilibus, et in criminalibus eas recognoscendi sibi jus reservaverit nullatenus clericos cendemnando nisi post degradationem ; nihilominus jus canonicum totaliter eos exemit (5). Verum his non obstantibus, in aliquibus casibus potest potestas laicalis ad clericorum carcerationem procedere, ut si e. c. aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret *in fragranti* patrantem aliquod delictum, tunc enim potest ad ejus carcerationem procedere, ut postea remittat curiæ ecclesiasticæ, quod si interdiu illum invenerit potest armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam casibus illum castigare (sed non pœna mortis), si ille rebellionem adversus principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et a proprio Episcopo de hoc non esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio afficere clericos notorie sodomitas ; hi enim a Leone X. et S. Pio V. omni clericali privilegio spoliati sunt (6). Cæterum pro quocumque alio crimine clerici nequeunt puniri a curia sæculari *c. fin. de Vita et hon. Cler.* et *cap. In audientia* 25. *De Sent. excomm.*

20. 2. Gaudent Ecclesiastici exemptione a foro laicali quoad propria bona tam ecclesiastica, quam quo-

(1) Tr 8. de Ord. c. 7. n. 6. — (2) vide Jura. ap. Less. de Just. l. 2. c. 33. dub. 3.

(3) Est commune cum Salm. tr. 8. c. 7 n. 16. — (4) De Sacram. c. 26. q. 9. — (5) vide Salm. tr. 8. c. 7. ex n. 24. — (6) Ib. a n. 27. ad 29. et a n. 48. ad 20

cumque alio modo acquisita ; unde respectu, illorum non tenentur solvere ullum vectigal, ut habetur ex *cap. Quia.* et ex *cap. cler. de Immunit. eccl. in* 6. et ex *l. Sancimus* 22. *c. de Sacros. Eccl.* (1) Clerici vero negotiatores circa bona mere ecclesiastica negotiationi jam destinata, spoliantur omni exemptione *c. Quamquam 4. de Censib. in* 6. Quoad vero reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem (2). Insuper notandum hic est, quod in casu urgentis necessitatis, potest princeps extrahere e domibus, et vendere frumentum Ecclesiasticorum (3).

21. Ii qui gaudent præfatis exemptionibus tam quoad personas, quam quoad bona, sunt primo omnes Regulares cum suis novitiis et Tertiariis, et etiam beatæ Franciscanæ tertii ordinis. Carmelitanæ etc., quæ deferunt habitum una cum voto castitatis ; quemadmodum declaravit S. C. Insuper Equites s. Joannis, s. Jacobi, Alcantaræ et Calatravæ, ut probant Bonac. Filliuc. et Diana (4). Insuper omnes clerici in *Sacris* constituti. De aliis vero in *minoribus*, vel simpliciter tonsuratis, ita loquitur Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de ref. Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat ; vel in Seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.* Atque hoc privilegio gaudent etiam clerici conjugati qui deferunt habitum et tonsuram, et Ecclesiæ inserviunt ; verum in *cap. ult. de Temp. Ord. in* 6. prohibetur conjugatis tonsura, nisi velint religionem ingredi, vel in *Sacris* ordinari prævia uxoris licentia (5).

(1) Ib. n. 35. et 55. — (2) Salm. n. 54. cum Less. Mol. etc. — (3) Salm. tr. 8. c. 7. n. 47. cum Diana, Molf. — (4) Vide Salm. c. 7. a n. 56. ad 58. — (5) Vide nostrum opus morale l. 6. n. 827. v. eodem.

22. Igitur privilegio fori gaudent 1. beneficiati, etiamsi nulli Ecclesiæ inserviant, neque deferant habitum et tonsuram, ut probabiliter infertur ex Concilio, ut volunt Salmant. cum Filliuc. Diana et Rodriq. adversus Suar. Et etiamsi non percipiant fructus beneficii, neque possideant, sufficit enim quod solum titulum habeant, ut aiunt Garc. Fill. et Diana contra Salm. Sufficit etiam capellania, vel præstimonium, quæ censentur tamquam vera beneficia : sed non sufficit pensio (6).

23. Gaudent 2. clerici in *minoribus*, et tonsurati, dummodo habitum simul et tonsuram deferant, juxta id quod affirmat Concilium : *Clericalem habitum et tonsuram deferens*, et ut probabilius existimant multi dd. cum Castr. et Barb. contra Salm., qui interpretantur particulam *et* pro particula *vel*, ita ut sufficere dicant alterutrum (7), dummodo Ecclesiæ similiter inserviant : sed quoad Ecclesiæ servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit) satis est, ut alicui Ecclesiarum serviant, etiamsi hæc destinata non sit ab Episcopo, ut declaravit S. C. apud Card. Lambertini (8).

24. Ut vero clerici in *minoribus* constituti foro priventur (nam aliud de Canonis privilegio dicendum) non requiritur trina monitio, quia hæc requiritur tantum pro beneficiatis, et pro ordinatis in *Sacris*, ut deducitur ex *cap. Contingit de Sent. excom.*, vel pro minoristis qui negotiis sæcularibus se addicunt, ut habetur ex *cap. Ex litteris de vit. et hon. cleric.* (9), sed sufficit quod habitum et tonsuram dimiserint, quemadmodum pluries declaraverit S. C. et quemadmodum communiter affirmant dd. (10).

(6) Vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 62. et 63. cum aliis. — (7) Vide nostrum opus l. 6. n. 827. — (8) de Synodo l. 7. c. 69. n. 4. — (9) vide opus nostrum l. 6. n. 827. — (10) Apud card. Lambertini de Synodo l. 5. c. 14. ex n. 4. et apud Salm. tr. 8. c. 7. n. 65.

Dummodo per longum tempus dimiserint, ut notant Salm. cum Bon. Suarez Barbos. et aliis quamvis vero præfati clerici nequeant allegare forum, potest nihilominus Episcopus eos a foro sæculari resumere juxta declarationem S.C. ab hodierno Summo Pontifice approbatam (1). Illi vero clerici qui habitum resumunt, jure gaudent privilegio, dummodo id in fraudem non faciant : quæ fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua causa civili jam citatus fuisset ad forum laicale ; aut pro causa criminali jam fuisset in carcerem conjectus ; aut vero e carcere sub cautione egressus : ut aiunt Salm. cum Bonac. (adversus Guttierez et Ceballos), et Cardinalis Lambertini cum pluribus Decretalibus S. C. (2). Magna vero quæstio est, utrum potestas laicalis possit cognoscere causas innocentium adversus Ecclesiasticos. Quidam theologi absolute affirmant, sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt, quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad Superiores ecclesiasticos majores (3).

25. Immunitas autem ecclesiastica locorum quoad asylum delinquentium, competit jure ecclesiastico et civili omnibus ecclesiis quamvis interdicto subjectis sive pollutis, et etiam diruis (nisi omnino præsulis auctoritate fuerint profanatæ), earumque capellis sacristiis, cæmeteriis, etiam ab ecclesia separatis, muris campanilibus, tectis, atriis, atriorum gradibus, cum quadraginta passibus ultra pro ecclesiis cathedralibus, et triginta pro aliis ecclesiis, (sed hoc intelligendum de illis quæ sunt positæ extra mœnia urbis, vel loci), dummodo non intercedat via publica, aut aliqua sæcularium domus : aliud vero est si domus sit alicujus clerici (4). Gaudent eadem immunitate hospitalia in quibus extat aliqua capella publica, oratoria ab Episcopis erecta, palatium episcopale, et domus regularium cum suis dormitoriis, claustris, hortis et porticibus ante ecclesias, vel monasteria (5).

26. Omnes vero delinquentes, dummodo sint christiani, licet hæretici, aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad prædicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate. Et in hoc reprobatur quælibet consuetudo in contrarium, *c. Noverint de Sent. excomm.* et *Authent. de sacros. Eccles.* (6). Excipiuntur tantum in Bulla Gregorii XIV. latrones publici, depopulatores agrorum qui committunt homicidium perproditorium, vel per assassinium (sed regnans Summus Pontifex excepit omnia homicidia pro tuta ecclesia), vel in ipsa ecclesia, vel cœmeterio ; insuper hæretici, et rebelles contra eamdem personam principis (7). Et in casibus clare exceptis potest judex sæcularis ex se extrahere ab ecclesia delinquentes juxta communem praxim. In dubio autem judicium exceptionis spectat ad Episcopum ; ita Salm., et alii (8). Præter delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate, quemadmodum gaudent debitores ad ecclesiam confugientes (9).

27. Quæstio est, utrum clerici et Religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum præsulum : affirmant multi, ut Barb. Bordon. Guttier. quibus suffragatur quædam declar. S. C. atque, hæc sententia est probabilissima, ut aiunt Salm. Nihilominus ipsa cum sententia communissima Suar. Castr. Layn. Bon Sylvestri aliorumque negant tam vigore Bullæ Gregorii XIV. quæ respectu præfatæ immunitatis loquitur tantummodo de laicis : *Ut laicis ad ecclesiam confugientibus*, etc., quam vigore communis, et jam receptæ

(1) vide Lamb. loco cit. — (2) Salm. loco cit. n. 67. et card. Lamb. de Syn. c. 67. n. 1. — (3) vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 76. — (4) Vide Salm. tr. 18 c. 3. ex n. 86.

(5) Salm. tr. 18. c. 3. a n. 84. ad 88. — (6) Ib. n. 89. — (7) ib. n. 96. cum Suar. Castr. Pelliz. Guttier. etc. — (8) vide Salm. ex n. 96. — (9) Ib. n. 95.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA GENERAL DIGITAL

consuetudinis ; alias enim Religiosi semper in monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti vero possunt Superiores ecclesiastici (Episcopi et eorumdem Vicarii) extrahere proprios subditos ab ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eamdem extrahendi licentiam curiæ sæculari concedere (6). Episcopus vero nequit extrahere suos clericos ab ecclesiis Regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca a sua jurisdictione exempta (7).

28. Extrahentes vero, aut illi qui tentaverunt extractionem incurrunt excommunicationem *ipso facto*, a qua nequeunt absolvi nisi a Pontifice, aut ab Episcopo ; Decretum enim Clementis VIII. aufert facultatem tantum simplicibus confessariis, quamvis regularibus (8). Advertendum hic est quod Religiosi qui expellerent a suis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et rite id facere possunt (9).

CAPUT III.

DE PRIVILEGIIS EPISCOPORUM.

29. *I. De facultate cap. Liceat. Utrum valeat Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto, et ex defectu dubia.*
30. *Quibus in locis non est receptum Tridentinum, etc.*
31. *Qui veniat nomine Episcopi.*
32. *De peregrinis. Et utrum Episcopus absolvere possit a casibus papalibus extra confessionem.*
33. *Quomodo delictum intelligatur occultum.*
34. *Utrum Episcopus valeat hanc facultatem delegare.*
35. *Utrum a casibus ab aliis Episcopis reservatis, etc.*
36. *Si a casibus post Concilium, etc.*
37. *Utrum Episcopus possit absolvere confessarium absolventem complicem in peccato turpi.*
38. *Utrum Episcopi a casibus Bullæ Cœnæ, etc.*
39. *Utrum valeant dispensare in irregularitate, quæ per hæresim incurritur.*
40. *Utrum valeant absolvere impeditos*
41. *Et utrum per alios.*
42. *Qui dicuntur impediti.*
43. *De perpetuo impeditis.*
44. *Utrum hi teneantur per epistolam etc.*
45. *Utrum teneantur saltem recursum habere ad Episcopum? Quid si recurrere nequeant, etc. Quid si sint in mortis articulo*
46. *47. et 48. II. De sex casibus episcopalibus, et præsertim de absolutione censuræ propter percussionem clerici.*
49. *III. De dispensatione cum illegitimis.*
50. *Cum bigamis.*
51. *IV. Circa irregularitates ob delictum occultum; et quid si homicidium sit omnino occultum.*
52. *De homicidio casuali.*
53. *V. Circa inhabilitates.*
54. *VI. De facultatibus Episcoporum circa matrimonia.*
55. *De dispensatione circa publicationes, votum castitatis, et impedimentum ad petendum, remissive. Circa impedimenta dirimentia dubia.*
56. *Circa dirimentia certa, si matrimonium sit contractum.*
57. *Si non sit contractum.*
58. *Utrum Episcopus possit hanc facultatem delegare.*
59. *VII. De dispensatione interstitiorum.*
60. *VIII. De dispensatione capellani, ut celebrare valeat in alia ecclesia.*
61. *IX. De celebratione post meridiem.*
62. *X. De oratoriis.*
63. *Quibusin locis possit celebrare Episcopus.*
64. *Utrum valeat dispensare ad celebrandum domi.*
65. *XI. De facultate Episcoporum, et Prælatorum circa electionem proprii confessarii.*
66. *XII. Circa clausuram Monialium.*
67. *De approbatione confessariorum Monialium.*
68. *XIII. Utrum valeant commutare ultimas voluntates.*
69. *XIV. De compositione in restitutionibus incertis.*
70. *XV. De reductione Missarum,*
71. *Quoad juramenta, et vota (remissive ad tract. 5. n. 15. n. 42.) De*

(9) Salm. tr. 18. c. 3. n. 120. — (1) Ib. n. 123. — (1) Ib. n. 117. — (2) Ib. n. 118.

unione beneficiorum, novarum parochiarum erectione, etc.

29. Episcopi vigore Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 6. Liceat.* sequentes habent facultates : *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum ; in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Quare Episcopi vigore dicti *cap. Liceat*, dispensare possunt in omnibus irregularitatibus et suspensionibus papalibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Diximus ob *delictum occultum* ; unde bene aiunt Bon. Castr. Salm. etc. quod non potest Episcopus vigore prædictæ facultatis, dispensare in aliqua irregularitate occulta *ex defectu* (1), nisi esset dubia, ut probabiliter tenent Fagn. et Tourn. cum Gibert aliisque deducentes ex *cap. Nuper de sent. excom.* (2) ; juxta ea quæ diximus, *Tr. 2. n. 57.* Sed insuper absolvere possunt proprios subditos vel per se, vel per alium sacerdotem ad id specialiter deputatum, a casibus papalibus occultis, quinimo juxta Concilium poterant ante etiam ab hæresi absolvere (per se non per alios) ; sed vide dicenda *n.* 38.

30. Quoad hanc Concilii facultatem plura notatu digna consideranda sunt. Notandum 1. quod in iis locis in quibus Tridentinum non est receptum nequeunt Episcopi uti præfata facultate *cap. Liceat*, ut notant comm. dd. (3) et merito : facultas enim Concilii non recipitur ab Episcopis, nisi per acceptationem illius : et valde incongruum esset ut Concilii gauderet privilegiis, qui onera subire recusaret.

31. Notandum 2. sub nomine Episcoporum communi sententia venire etiam Vicarios capitulares *Sede vacante* ; non vero Vicarius Episcoporum ex generali eorum commissione vicariatus ; nam Vicarius bene potest quod potest Episcopus potestate ordinaria propria (ut dicetur *n.* 47.), non vero id quod potest Episcopus potestate delegata, quamvis ordinaria, utpote adnexa officio, ut dicetur *n.* 34. et 47. Præterquam quod in hac facultate requirit Concilium expresse delegationem specialem (4). Utrum vero veniant Abbates, et alii qui jurisdictionem episcopalem habent : negant Coninch. Barb. etc. cum p. Suar., qui affert etiam quamdam declarationem S. C. ; affirmant vero communius Fagnan. Sanch. Castrop. Sayrus Avila Salmant. La Croix etc. dicentes, quod quando concessio facta est *in jure*, habet rationem legis quæ extenditur ad omnes casus, in quibus currit eadem ratio : alias, aiunt, talium Prælatorum subditi ad quem recurrerent non haberent (5).

32. Notandum 3. nomine *subditorum* venire etiam peregrinos, qui ab Episcopo loci absolvi possunt ab omnibus casibus papalibus occultis, ut docent Suar. Sanch. Bonac. Navar. Barb. Trullench. Boss. aliique; quia etsi Tridentinum concedat

(1) Lib. 7. n. 469.— (2) Fagnan. in 2. part. 1. decreta l. c. Veniens de Fil. presbyt. n. 7. et 8. Tournely cum aliis tr. de leg. c. 6. a. 2. et de disp. in irreg. part. 2. c. ult.

(3) Suar. in 3. a Thom part. de censur. dist 44. sect. 2 n. 6. Sanch. Dec l. 2. c. 11. n. 3. Salm. de pœnit. tr. 6. c. 13. n. 3. cum Alter. Castr. t. 1. tr. 4. dist. 4. p. 3. §. 1. n. 2. Barbos. et Garc. — (4) Vide Sanch. de matrim l. 2. disp. 40. n. 13. et seqq. — (5) Vide opus nostrum l. 6. n. 593. v. eamdem et l. 7. n. 79.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consuetudinis ; alias enim Religiosi semper in monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti vero possunt Superiores ecclesiastici (Episcopi et eorumdem Vicarii) extrahere proprios subditos ab ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eamdem extrahendi licentiam curiæ sæculari concedere (6). Episcopus vero nequit extrahere suos clericos ab ecclesiis Regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca a sua jurisdictione exempta (7).

28. Extrahentes vero, aut illi qui tentaverunt extractionem incurrunt excommunicationem *ipso facto*, a qua nequeunt absolvi nisi a Pontifice, aut ab Episcopo ; Decretum enim Clementis VIII. aufert facultatem tantum simplicibus confessariis, quamvis regularibus (8). Advertendum hic est quod Religiosi qui expellerent a suis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et rite id facere possunt (9).

CAPUT III.

DE PRIVILEGIIS EPISCOPORUM.

29. *I. De facultate cap. Liceat. Utrum valeat Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto, et ex defectu dubia.*
30. *Quibus in locis non est receptum Tridentinum, etc.*
31. *Qui veniat nomine Episcopi.*
32. *De peregrinis. Et utrum Episcopus absolvere possit a casibus papalibus extra confessionem.*
33. *Quomodo delictum intelligatur occultum.*
34. *Utrum Episcopus valeat hanc facultatem delegare.*
35. *Utrum a casibus ab aliis Episcopis reservatis, etc.*
36. *Si a casibus post Concilium, etc.*
37. *Utrum Episcopus possit absolvere confessarium absolventem complicem in peccato turpi.*
38. *Utrum Episcopi a casibus Bullæ Cœnæ, etc.*
39. *Utrum valeant dispensare in irregularitate, quæ per hæresim incurritur.*
40. *Utrum valeant absolvere impeditos*
41. *Et utrum per alios.*
42. *Qui dicuntur impediti.*
43. *De perpetuo impeditis.*
44. *Utrum hi teneantur per epistolam etc.*
45. *Utrum teneantur saltem recursum habere ad Episcopum? Quid si recurrere nequeant, etc. Quid si sint in mortis articulo*
46. *47. et 48. II. De sex casibus episcopalibus, et præsertim de absolutione censuræ propter percussionem clerici.*
49. *III. De dispensatione cum illegitimis.*
50. *Cum bigamis.*
51. *IV. Circa irregularitates ob delictum occultum; et quid si homicidium sit omnino occultum.*
52. *De homicidio casuali.*
53. *V. Circa inhabilitates.*
54. *VI. De facultatibus Episcoporum circa matrimonia.*
55. *De dispensatione circa publicationes, votum castitatis, et impedimentum ad petendum, remissive. Circa impedimenta dirimentia dubia.*
56. *Circa dirimentia certa, si matrimonium sit contractum.*
57. *Si non sit contractum.*
58. *Utrum Episcopus possit hanc facultatem delegare.*
59. *VII. De dispensatione interstitiorum.*
60. *VIII. De dispensatione capellani, ut celebrare valeat in alia ecclesia.*
61. *IX. De celebratione post meridiem.*
62. *X. De oratoriis.*
63. *Quibusin locis possit celebrare Episcopus.*
64. *Utrum valeat dispensare ad celebrandum domi.*
65. *XI. De facultate Episcoporum, et Prælatorum circa electionem proprii confessarii.*
66. *XII. Circa clausuram Monialium.*
67. *De approbatione confessariorum Monialium.*
68. *XIII. Utrum valeant commutare ultimas voluntates.*
69. *XIV. De compositione in restitutionibus incertis.*
70. *XV. De reductione Missarum,*
71. *Quoad juramenta, et vota (remissive ad tract. 5. n. 15. n. 42.) De*

(9) Salm. tr. 18. c. 3. n. 120. — (1) Ib. n. 123. — (1) Ib. n. 117. — (2) Ib. n. 118.

unione beneficiorum, novarum parochiarum erectione, etc.

29. Episcopi vigore Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 6. Liceat.* sequentes habent facultates : *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum ; in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Quare Episcopi vigore dicti *cap. Liceat*, dispensare possunt in omnibus irregularitatibus et suspensionibus papalibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Diximus ob *delictum occultum* ; unde bene aiunt Bon. Castr. Salm. etc. quod non potest Episcopus vigore prædictæ facultatis, dispensare in aliqua irregularitate occulta *ex defectu* (1), nisi esset dubia, ut probabiliter tenent Fagn. et Tourn. cum Gibert aliisque deducentes ex *cap. Nuper de sent. excom.* (2) ; juxta ea quæ diximus, *Tr. 2. n. 57.* Sed insuper absolvere possunt proprios subditos vel per se, vel per alium sacerdotem ad id specialiter deputatum, a casibus papalibus occultis, quinimo juxta Concilium poterant ante etiam ab hæresi absolvere (per se non per alios) ; sed vide dicenda *n.* 38.

30. Quoad hanc Concilii facultatem plura notatu digna consideranda sunt. Notandum 1. quod in iis locis in quibus Tridentinum non est receptum nequeunt Episcopi uti præfata facultate *cap. Liceat*, ut notant comm. dd. (3) et merito : facultas enim Concilii non recipitur ab Episcopis, nisi per acceptationem illius : et valde incongruum esset ut Concilii gauderet privilegiis, qui onera subire recusaret.

31. Notandum 2. sub nomine Episcoporum communi sententia venire etiam Vicarios capitulares *Sede vacante* ; non vero Vicarius Episcoporum ex generali eorum commissione vicariatus ; nam Vicarius bene potest quod potest Episcopus potestate ordinaria propria (ut dicetur *n.* 47.), non vero id quod potest Episcopus potestate delegata, quamvis ordinaria, utpote adnexa officio, ut dicetur *n.* 34. et 47. Præterquam quod in hac facultate requirit Concilium expresse delegationem specialem (4). Utrum vero veniant Abbates, et alii qui jurisdictionem episcopalem habent : negant Coninch. Barb. etc. cum p. Suar., qui affert etiam quamdam declarationem S. C. ; affirmant vero communius Fagnan. Sanch. Castrop. Sayrus Avila Salmant. La Croix etc. dicentes, quod quando concessio facta est *in jure*, habet rationem legis quæ extenditur ad omnes casus, in quibus currit eadem ratio : alias, aiunt, talium Prælatorum subditi ad quem recurrerent non haberent (5).

32. Notandum 3. nomine *subditorum* venire etiam peregrinos, qui ab Episcopo loci absolvi possunt ab omnibus casibus papalibus occultis, ut docent Suar. Sanch. Bonac. Navar. Barb. Trullench. Boss. aliique; quia etsi Tridentinum concedat

(1) Lib. 7. n. 469.— (2) Fagnan. in 2. part. 1. decreta l. c. Veniens de Fil. presbyt. n. 7. et 8. Tournely cum aliis tr. de leg. c. 6. a. 2. et de disp. in irreg. part. 2. c. ult.

(3) Suar. in 3. a Thom part. de censur. dist 44. sect. 2 n. 6. Sanch. Dec l. 2. c. 11. n. 3. Salm. de pœnit. tr. 6. c. 13. n. 3. cum Alter. Castr. t. 1. tr. 4. dist. 4. p. 3. §. 1. n. 2. Barbos. et Garc. — (4) Vide Sanch. de matrim l. 2. disp. 40. n. 13. et seqq. — (5) Vide opus nostrum l. 6. n. 593. v. eamdem et l. 7. n. 79.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Episcopis absolvere tantummodo *delinquentes sibi subditos*, nihilominus, aiunt præfati aa. quod exteri subjiciendo se foro sacramentali jam fiunt illorum subditi ; et p. Suarez affert etiam quamdam declarationem S. C. in qua dicitur peregrinus posse quidem absolvi a præfatis casibus occultis ab Episcopo loci, non vero a suo proprio ; quia absolutio sacramentalis, de qua loquitur Concilium, requirit præsentiam (1). Et ideo in eadem declaratione dictum fuit quod Episcopi extra Sacramentum nequeunt a casibus jam dictis absolvere, contra id quod asserunt Salm. cum Bonac aliisque : imo Fagnan tradit (2), hoc idem declaratum etiam fuisse a Gregorio XIII. Hoc currit quoad absolutionem casuum : quoad vero dispensationem ab irregularitatibus et suspensionibus propter delictum occultum, idem Gregorius XIII. declaravit, non posse illam concedi ab Episcopis loci, nec etiam iis qui ibidem officium prætoris, vel medici exercendo commorarentur, ut refert Fagnanus loc. cit. Utrum vero proprius Episcopus valeat dispensare in irregularitate cum *subdito* absenti in aliena diœcesi ? negant Avila aliique, sed communius et probabilius affirmant Bonac. Barb. Tourn. Suar. Sanch. Salm. etc., quia dispensatio potest etiam absentibus dari, et jurisdictio voluntaria potest etiam extra proprium territorium exerceri. Neque obstant verba illa *in diœcesi sua*, præfati *cap. Liceat* ; quoniam aiunt Salm. et Tourn. illa sufficienter verificari, quando Episcopus dispensat a sua diœcesi. Immo valde probabiliter dicunt Suarez Sanch. La-Croix et Holzm. cum Castr. et Pignat. præfata verba non referri ad primam partem dispensationis irregularitatis, sed tantum modo ad secundam (in qua sunt posita) de absolutione casuum : unde concludunt posse Episcopum dispensare, etiamsi ipse et subditus maneant extra propriam diœcesim (3).

33. Notandum 4. nomine *delicti occulti* non intelligendum illud quod potest in judicio probari per duos testes, ut quidam volunt, ratione cujusdam declarationis S. C. apud Fagnanum, in qua dicitur quod huius non sit in conscientia qui in tali casu absolutus, vel dispensatus sit. Sed ut vult communior sententia nomine *delicti occulti* intelligendum quodcumque delictum quod aliquo modo possit celari, etiamsi in judicio probari possit. Unde dicunt Azor. Sanch. Tourn. Bon. Castr. Salm. aliique, hunc delictum non censeri occultum, quando innotuit majori parti oppidi, vel vicinæ, vel collegii ; dummodo ibi decem saltem commorentur personæ (4). Et Cardin. Lambertinus (5) cum Tiburtio Nav. Siro, etc. (loquendo de impedimentis occultis matrimonii ubi currit eadem regula) asserit haberi pro occulto impedimentum illud quod innotuit septem vel octo in aliqua civitate, et sex in aliquo oppido. Et idem Fagnan. *in 1. part. tertii Decretal. cap. Vestra, de cohab. Cler.* etc. *n.* 118. testatur S. Pœnitentiariam habere pro impedimento occulto illud quod quatuor aut quinque tantum personis sit notum. Imo mihi constat S. Pœnitentiariam dispensasse in quodam impedimento quod decem circiter personis innotuerat (6). Præterquam quod (ut diximus *Tr.* 18. *n.* 77.) idem Fagnanus affirmat tunc delictum vel impedimentum non censeri occultum, quamvis duobus testibus notum, quando in concessione absolvendi, aut dispensandi extat clausula : *dummodo sit omnino occultum*.

34. Dubitatur hic 1. utrum Episcopus possit generaliter delegare aliis sacerdotibus hanc Tridentini facultatem ? Quoad dispensationem ir-

(1) L. 6. n. 593. — (2) In 2. part. primi Decretal. c. Dilectus de temp. Ord. n. 36.

(3) l. 7. n. 81. — (4) L. 6. n. 593. v. hic autem. — (5) Notif. 87. n. 45 in fin. — (6) L. 6. n. 1114.

regularitatum, sufficit (ut dicunt Suar. Barb. Sanchez, aliique) quod Episcopus simpliciter aliis suam facultatem committat, sine ulla speciali deputatione, quoniam præfata dispensandi facultas vigore Concilii competit hodie Episcopis de potestate ordinaria, cum ea adnexa sit officio Episcopi, non vero industriæ personæ. Quantum autem ad absolutionem casuum, quidam affirmant requiri specialem deputationem pro quocumque casu particulari, attentis verbis Tridentini, *per se aut Vicarium ad ia specialiter deputandum*. Verum hoc non obstante, communissima sententia est et probabilior cum Suar. Sanch. Barb. Navar. Laym. La-Croix Salm., etc. posse Episcopum etiam generaliter delegare alicui sacerdoti hanc facultatem *cap. Liceat*, dummodo expresse illam specificet ; quoniam specificando jam habetur ut facta specialis deputatio, quæ recte quidem poterit inde generalis esse pro cunctis casibus occurrentibus ; nam ut diximus, hæc facultas hodie competit Episcopis *de jure ordinario* utpote adnexa dignitati episcopali (1).

35. Dubitatur 2. utrum Episcopus absolvere possit, aut delegare vigore *cap. 6. Liceat*, facultatem absolvendi etiam a casibus reservatis cum censuris ab aliis Episcopis, quando sunt occulti ? Bonac. et alii affirmant ob particulam *etiam* quæ in eodem capite legitur : *In quibuscumque casibus occultis etiam Sedi apostolicæ reservatis*. Unde aiunt, ne particula *Etiam* inutiliter videatur apposita, intelligendam esse concessam Episcopis facultatem absolvendi etiam censuras occultas ab aliis Episcopis sibi reservatas (2). Sed nos negamus ob duas declarationes S. C. Concil. ; quarum una est 29. nov. 1712. altera 24. januar. 1711. apud *Thesaur. Resolut. S. C.* (tom. 1. pag. 392). Præcipue vero vigore cujusdam declarationis in simili casu per Benedictum XIV. emanatæ die 20. augusti 1752. quæ incipit *Pias Christifidelium*, in qua dicitur : *Hujusmodi... absolvendi facultatem, et præterquam in casibus Nobis, et Sedi apostolicæ duntaxat non vero Ordinariis locorum reservatis... Et consequenter absolutionem contra præsentis declarationis nostræ tenorem, forsan de præterito impertitas, aut in posterum impertiendas, nemini suffragia potuisse, sive posse decernimus, et declaramus* (3).

36. Dubitatur 3. utrum facultas Tridentini intelligatur concessa Episcopis etiam pro casibus et irregularitatibus post Concilium reservatis ? Garcia et Florenus apud Dianam negant, et inferunt ex quadam declaratione Gregor. XIII. in qua cum dubitatum fuisset utrum Episcopus posset absolvere Monialem frangentem clausuram ab excommunicatione (quando est occulta) a S. Pio V. reservata, Pontifex declaravit non posse. Attamen sententia communissima cum Sanch. Bonac. Suarez Bossio Dian. Vega, aliisque jure affirmat ; in *cap.* enim *Liceat*, conceditur facultas indefinite : et secundum axioma generale ; *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*. Neque obstat laudata declaratio, quia in Bulla S. Pii extabat clausula, *a qua, præterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeat*. Unde prorsus non dubitamus cum Diana, quod per illas Bullas in quibus extat aliqua clausula derogatoria, ut est illa *nisi in mortis articulo*, intelligitur ablata Episcopis facultas (4).

Sic alias scripseram ; sed postea, re maturius perpensa, inveni id communius ab aliis non approbari. Quapropter hic expono ambas sententias, quæ adsunt super hoc punctum.

Dubitatum fuit, an Episcopi possint absolvere ab excommunicationibus Papæ reservatis occultis, si in Bulla reservationis adsit clausula, *a*

(1) N. 594. dubit. 9. — (2) N. 594. dubit. 8.

(3) v. in opere de syn. l. 5. c. 5. n. 9. — (4). Lib. 6. n. 594. Dubit. 7.

qua, præterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant? Negat *Fagnanus in* 2. *part.* 1. *Decretal. cap. Dilectus* 15. *de Temp. Ordin. n.* 30. *ad* 34. quem sequuntur *Mattheucci Offic. Cur. cap.* 11. *n.* 21. *Santarell. de Hæresi cap.* 5. *dub.* 1. *n.* 1. cum aliis. Hoc dicunt ex quodam Decreto S. Cong. approbato a Greg. XIII. stante Bulla S. Pii V. *Decori*, etc. ubi reservata fuit excommunicatio violatæ clausuræ per illicitum egressum Monialis, cum clausula prædicta, *nisi in mortis articulo, etc.* Affirmant vero *Nav. tom.* 3. *lib.* 5. *de Sent. Exc. Consil.* 43. *Diana part.* 7. *tr.* 2. *de potest. Episcop. resol.* 20. *Sanchez in Decalog. lib.* 6. *c.* 15. *n.* 76. *Suarez de Cens. tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 8. *et seq. Bonac. de Cens. disp.* 1. *quæst.* 22. *punct.* 2. *n.* 2. ubi late de decreto Tridentini, et *tract. de Clausura q.* 1. *punct.* 5. *n.* 1. *Thesaurus de pœnis* 2. *p. praxis verb. Clausuram violans cap.* 8. *verb. Absolvere, Tamb. de Jure Abbatissar. disp.* 19. *q.* 5. *n.* 1. *Pelliz. de Monialibus c.* 5. *sect.* 2. *n.* 28. *Pignatelli tom.* 10. *consult.* 100. *n.* 25. *Monacell. part.* 1. *in Append. adnotat. ad Constit.* 8. *S. Pii V. n.* 4. *Felix Potestas tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3511. *Roder. tom.* 1. *q.* 24. *art.* 19. *Toletus in Summa lib.* 1. *cap* 41. *n.* 7. *Vincentius Candidus Magister sacri Palatii tom.* 1. *disquisit.* 3. *art.* 28. *Donatus prax. rer. Regul. tom.* 4. *tr.* 4. *q.* 8. *n.* 9. *Leziana verb. Clausura n.* 20. et plurimi alii, qui dicunt, quod si casus sit occultus, bene potest absolvere Episcopus, vel alius ab eo facultatem habens absolvendi, ex præfato *cap. Liceat* 6., tum quia de Decreto allato S. C. et Declaratione Greg. XIII. non constat authentice; tum quia testantur auctores citati in praxi oppositum servari, cum revera Episcopi passim absolvant ab hujusmodi excommunicationibus occultis. Hæc omnia notavi ex *Bibliotheca p. Ferraris T. V. verb. Moniales, art.* 3. *n.* 20.

37. Dubitatur 4. utrum Episcopus vigore *c. Liceat* possit absolvere ab excommunicatione papali quam per Bullam N. SS. P. Benedicti XIV. *Sacramentum*, incurrunt confessarii absolventes suos complices in peccato turpi? Ex parte una videtur quod non possit, quia cum casus iste per se sit occultus, si Episcopi possent ab illo absolvere, evaderet inutilis Pontificis reservatio; et jam diximus n. 17. quod intelligitur tacite revocatum omne privilegium, quando aliter lex emanata post privilegii concessionem non posset suum effectum sortiri. Ex alia posset quis respondere quod salva Episcopis jam dicta facultate, memorata reservatio non remaneret prorsus inutilis, tum quia evenire potest quod casus aliquando publicus fiat; tum quia reservatio ista saltem Romæ suum semper sortietur effectum, et in omnibus aliis locis, in quibus Trid. non est receptum, et in quibus (ut diximus n. 30.) et nequeunt Episcopi hoc privilegio gaudere.

38. Dubitatur 5. utrum Episcopis vigore Bullæ *Cœnæ* ablata fuerit præfata Tridentini facultas respectu hæresis occultæ, et respectu aliorum casuum per ipsam reservatorum? Negant Nav. Coninc. aliique, a quibus non dissentiunt Milante Concin. et Salm., dicentes quod in Bulla non fuerit expressa revocata concessio Tridentini quemadmodum oportebat ex *cap. Nonnulli de Rescript.* Sed nos cum sententia communiori affirmamus, et ob plures S. C. Declarationes, tam vigore clausulæ derogatoriæ, *nisi in mortis articulo*, quæ in Bulla jam legitur, ut diximus antecedenti *n.* 36. quam vigore alterius clausulæ qua prohibetur ab illis absolvere; *prætextu quorumvis indultorum per nos, ac cujusvis Concilii decreta concessorum.* Hac de re plures a Fagnano et Card. Lambertino (1) afferuntur declarationes etiam S. Pii V Et Greg. XIII. Insuper ab

(1) De synodo l. 7. c. 32.

Alex. VII. damnata fuit proposit. 3. quæ docebat quod prior sententia a S. C. fuerat *visa et tolerata*. Quæ damnatio, ut recte dicunt Viva Holz. Elbel, et Prælaudatus Card. Lambertinus (1), certe reddit improbabilem contrariorum sententiam; nam cum Pontifex declaraverit nunquam illam fuisse toleratam implicite quoque declaravit non esse tolerandam; unde Lambertinus concludit, quod non sine temeritatis nota quis ea hodie uti possit.

39. Advertendum tamen hic est, quod licet Episcopus in foro interno nequeat ab hæresi occulta absolvere, potest nihilominus tanquam delegatus apostolicus dispensare in irregularitate incursa ob dictam hæresim occultam, ut dicunt Salm. et Felix Potestas (2). Insuper bene potest Episcopus, ut delegatus apostolicus, absolvere hæreticum etiam notorium quoad forum externum, facta prius abjuratione coram notario et testibus et postquam absolutus fuerit ab Episcopo delinquens, tunc poterit ipse absolvi a peccato hæresis a quolibet confessario; ita affirmant comm. dd (3).

40. Dubitatur 6. utrum Episcopus absolvere possit ab hæresi, et ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, impeditos ire Romam? Alii absolute negant; alii negant tantum in hæresi. Sed nos affirmamus communiter posse eum communi sententia theologorum et canonistarum, quam tenent Lug. Laym. Conc. Ronc. Castr. Milant. Salm. Coninc. Avil. Potestas Viva Pelliz., etc. quia stante impedimento, restituitur Episcopis potestas ordinaria, quam prius habebant super dictis casibus vigore *c.* 23., 29. et 58. *de sent. excom.*, ubi quamvis sermo habeatur tantum de censura ex percussione clerici, tamen commun. dd. extendunt ad omnes alias censuras, et specialiter ex *c. Eos qui* 22. *eodem tit.*, ubi generaliter sermo habetur de omni censura *Canonis*, vel *hominis*, et dicitur, cum ad illum, a quo fuerant absolvendi, nequeunt, propter impedimentum, habere recursum, ab alio absolvantur (4).

41. Et notandum hic 1. quod in tali casu impedimenti Episcopus non solum absolvere potest hæresim per seipsum, sed etiam per alios generaliter delegatos. Nec obstat Tridentinum in quo dicitur, quod *eis tantum non Vicariis permissum*, quia tunc Episcopus non absolvit in virtute Concilii, sed juris communis, juxta quod ex potestate ordinaria conceditur Episcopis absolvere, et delegare ut in aliis casibus (5).

42. Notetur 2. quod respectu eorum qui sunt impediti, veniunt senes, mulieres, infirmi, impuberes, pauperes, et illi qui aliquam habent inimicitiam, et omnes alii *qui habent alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusentur*, ut habetur ex *c. De cætero, de sent. excommun.*, et ex *c. Ea noscitur*, et *c. Quamvis, eod. tit.* In hoc autem advertatur, quod si impedimentum sit temporale, et est notabile (durans exempli causa sex, vel septem mensibus), tunc impediti possunt bene absolvi; sed ipsi, exceptis mulieribus et pueris, debent juramentum præstare se præsentandi, cessante impedimento, Sedi apostolicæ, saltem per procuratorem, ut ab illa directe absolvantur; et non se præsentantes reincident in eamdem censuram, ut habetur ex *cap. Eos qui, de sent. excomm. in* 6. Et hoc currit, etiamsi emendati sint, et partibus offensis satisfacerint (6).

43. Si vero impedimentum sit perpetuum (id est duraturum per decem annos, vel saltem quinque, ut dicunt Ronc. Viva et Tamb.) absoluti

(1) Ibid. — (2) L. 7. n. 76. — (3) Ronc. tr. 4. q. 1. c. 6. q. 4. p. 81. cum Farinac. et Castr. de Fide tr. 4. d. 4. p. 3. §. 2. n. 1. et 2. tum Sanch. Nav. Bannez. Gutti. Comit. Vivald. etc. ex Bulla, cum sicut Cl. VII. edita an. 1530.

(4) Lib, 7. n. 84. — (5) N. 90. — (6) N 85. ad 87.

remanent penitus liberi ab obligatione se præsentandi. Sed generaliter loquendo, impediti in perpetuum dicuntur 1. filiifamilias. 2. Religiosi, etiamsi incurrerint censuram ante ingressum. 3. Senes septuagenarii. 4. Servi. 5. Pauperes. 6. Damnati in vita ad triremes vel carceres. 7. Infirmi morbo gravi et diuturno, ut quartana et simili. 8. Qui alere teneutur, vel ministrare bona familiæ. 9. Omnes mulieres, etiamsi non Moniales (excepta excommunicatione quæ incurritur a Monialibus ob fractionem clausuræ, quamvis occultam, quæ semper reservatur Papæ ex declaratione Gregorii XIII. ut diximus *n.* 36.) 10. Impuberes, etiamsi peterent absolvi post pubertatem. 11. Qui convivunt in loco aliquo unde egredi nequeant, ut milites, seminaristæ. Et tandem cæteri omnes qui nequeunt Romam ire sine gravi damno vel spirituali, vel temporali (1).

44. Notandum 3. quod taliter impediti secundum probabiliorem communemque sententiam Castr. Avilæ Coninch. Milant. Ronc. Salm. Vivæ Spor. Dic. aliorumque (contra Bon. et Potestatem), non tenentur recurrere Romam per procuratorem, aut per epistolam; quia stante impedimento (ut diximus *n.* 40.), restituitur Episcopis potestas ordinaria absolvendi, quæ ipsis per pontificiam reservationem fuerat ablata. Eo magis quia lex ad aliud non obligat, nisi ad recursum personalem : unde qui personaliter Romam ire impeditur, solvitur omni alia obligatione (2).

45. Notandum 4. quod quando pœnitens nequit se Pontifici præsentare, tenetur necessario ad Episcopum habere recursum, ut absolvatur a censura papali, ut habetur ex *cap. De cætero* 1. et *c. Ea noscitur desent. excommun.* (quid vero dicendum sit in mortis articulo, vide *Tr.* 16. *n.* 97.). Quando vero nec etiam se potest Episcopo præsentare (etiam extra mortis periculum) est valde probabile cum Soto Nav. Suar. Castr. Laym. Ronc. Salm. La-Croix etc. quod absolvi possit a quocumque simplici confessario (cum obligatione tamen se præsentandi Episc., cessante impedimento), ut deducitur ex textu in *c. Nuper, eod. tit.* (1) Et tunc dicimus, quod pœnitens probabiliter, per se loquendo, ut dicunt Castr. Gers. Sot. s. Antonin. Lug. Salas etc. non tenetur confiteri peccata reservata, nisi quando in illis est recidivus. aut ratione illorum extet in occasione proxima, adeo ut necesse sit illam manifestare, ut confessarius recte judicare valeat de sua dispositione. Vide quod diximus *Tr.* 15. *n.* 27. *et* 28. *et Tr.* 16. *n.* 133. in fine (2). Et quando pœnitens est in mortis articulo, probabiliter etiam præsente Episcopo absolvi potest a casibus papalibus a quocumque confessario ; in morte enim (ut diximus) cessat quæcumque reservatio. Vide quæ diximus *Tr.* 16. *n.* 96. *et* 97. Dicimus a *casibus papatibus* ; sed non a casibus reservatis cum censura ab Episcopo ; quoniam confessarius etiam moribundo injungere debet, quod se præsentet suo Superiori casu quo convalescat, ut accipiat ab eodem tam convenientem admonitionem, quam pœnitentiam ob censuras reservatas, quamvis absolutas, juxta communem sententiam ; unde quo modo potest inde absolvere Superiore præsente ? (3). Sed transeamus ad reliqua privilegia et facultates quibus gaudent Episcopi.

46. II. Extant in jure quædam excommunicationes, quarum absolutio tantummodo Episcopis est reservata. Et sunt 1. contra percutientes clericum, vel monachum, vel aliam personam habentem privilegium Canonis. 2. Contra procurantes abortum fœtus animati. 3. Contra eos qui absolvuntur in mortis articulo a censura Episcopo reservata, et postea recuperata sanitate non curant se ei-

(1) N. 83. — (2) N. 89.

(3) l. 7. n. 92. — (2) l. 6. n. 265. quær. 2. — (3) l. 7. n. 92.

dem præsentare. 4. Contra fratres minores admittentes in suis ecclesiis ad divina officia fratres tertii Ordinis. 5. Contra communicantes in eodem delicto cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Reservantur tandem omnes excommunicationes quas Episcopus sibi reservat (1). Adnotanda autem hic sunt, quædam specialia circa absolutionem excommunicationis ab percussionem clerici. Ante omnia extinguenda est percussio levis a gravi (seu mediocri) et ab enormi. Ad incurrendam excommunicationem semper requiritur peccatum mortale. Percussio *levis*, ut habemus ex *Extrav. Perlectis* quam per extensum refert Navar. (2), est quando intercedit simplex percussio quæ fit manu, pede, baculo, et his similibus. *Gravis* quando eruitur dens, quantitas notabilis capillorum, aut quando intervenit aliqua percussio reliquens maculam, aut contusionem in carne, aut quando adest effusio sanguinis pugnis, vel angulis causata. *Enormis* vero est, quando mutilatur aliquod membrum, aut fit aliquod magnum vulnus ; aut vulnus fiat instrumento aliquo ; aut adsit magna effusio sanguinis, aut quando irrogatur magna quædam injuria. Unde sæpe vulnus ex levi potest evadere grave, aut enorme, ratione, aut dignitatis personæ offensæ, aut scandali, ut si Religiosus clericum percuteret : aut ratione loci sacri, aut publici : aut ratione temporis, ut si e. c. dum fiunt sacræ aliquæ functiones, aut tandem si injuria ipsa per se sit enormis (3).

47. His positis, habetur ex *Extravag. Perlectis* supra cit. quod si excommunicatio incurritur ob percussionem levem, potest absolvi ab Episcopo : imo etiam a suo Vicario ; hæc enim facultas competit Episcopo de jure ordinario, ut dicunt Sanchez Bonac. Molina aliique ; et juxta regulam generalem (ut diximus *num.* 31.) quicquid potest Episcopus ex jurisdictione ordinaria, non vero delegata, idem potest Vicarius, qui cum Episcopo constituit unum idemque tribunal, ut probant Fagnanus Sanch. aliique (4). Eadem excommunicatio probabiliter absolvi potest etiam ab iis qui habent jurisdictionem quasi episcopalem, quique veniunt sub nomine Episcopi, ut diximus *num.* 31. Quod si percussio fuerit *publica*. excommunicatio tantum a Pontifice, aut a suo legato potest absolvi (potest etiam haberi recursus ad S. Pœnitentiariam, ut notavimus *Tr.* 19. *n.* 148. *ad* 1.), sed non ab Episcopo : excipe si fuerit occulta, aut si percutientes essent impuberes, aut mulieres, ut ex *c. Pueri* et *c. Mulieres de Sent. excomm.*, aut si impedirentur Romam ire, juxta ea quæ diximus *n.* 40. Collegialiter conviventes possunt absolvi ab Episcopo, si percussio fuerit gravis, non vero si fuerit enormis, ut ex *cap. Quoniam, de vita et hon. cler.* (5).

48. Notandum hic 1. quod in dubio utrum percussio fuerit levis, an gravis, judicatur gravis, ut habemus ex memorata *Extravag. Perlectis*, in qua dicitur: *Potius in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere*. Notandum 2. quod juxta sententiam communiorem et probabiliorem, si aliquis det venenum clerico, tunc incurrit censuram, quando venenum cœpit nocere, quia tunc adest etiam violentia. E contra prius quam noceat, non adest violentia effectiva, sed solum actio apta ad causandam violentiam; ita Bon. Viv. Dian. etc. (6)

49. III. Quoad irregularitates non occultas, Episcopus ex *c.* 1. et *c.* 2. *de Filiis Presbyter.* potest dispensare cum illegitimis tantum ad recipiendos Ordines minores, et beneficia simplicia, et canonicatus in collegiatis, et etiam portiones non integras in ecclesiis cathedralibus, aut alia beneficia quibus sacer Ordo non est adnexus ; sed non ad beneficia cura-

(1) N. 215. — (2) Manual. c. 27. n. 92. — (3) l. 7. n. 277. et 278.

(4) N. 279. — (5) l. 7. n. 279. — (6) N. 280.

ta, ut ex *c. Is qui, eod. tit.* In hoc conveniunt omnes. Dubitatur autem 1. utrum Episcopus possit dispensare ad canonicatum in ecclesiis cathedralibus ? Et quidem cum probabiliori sententia, et communiori Bossii Castropal. Barbos. Concinæ Salmanticensium etc (contra Pontas et Tourn. cum Gibert) dicimus non posse; quamvis enim canonicatus in sesit simplex beneficium, tamen vigore Tridentini *sess.* 24. *c.* 12. est adnexus Ordini sacro ; unde hodie de sua natura Ordinem sacrum requirit (1). Dubitatur 2. utrum Episcopus possit generaliter dispensare in hujusmodi irregularitatibus cum illegitimis occultis ? Admittunt Diana Avila Barbosa etc. dicentes Tridentinum jam permittere Episcopis posse dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Sed nos negamus cum Suar. Laym. Bonac. Castrop. Tourn. aliisque : quin et ipse Diana quoad hoc se retractavit, ex eo quia hujusmodi irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu ; et etiamsi oriretur ex delicto, *c. Liceat* intelligitur de delicto proprio, non alieno (2). Dubitatur 3. utrum Episcopus valeat dispensare cum illegitimo occulto, saltem ad ministrandum in Ordinibus majoribus jam susceptis ? Affirmant Laym. Cast. et Diana, non solum si ille susceperit Ordines bona fide, sed etiam mala fide ; et inferunt ex *cap. Nisi* § *Personæ, de Renunt.* ubi dicitur posse Episcopum dispensare cum illegitimo occulto qui culpabiliter est ordinatus. Verum omnino negandum est cum Suar. Fill. Salm. etc. ex rationibus supra allatis, quod Episcopus nequeat dispensare circa Ordines majores. Neque obstat citatus textus, quia illud posse dispensare intelligitur omnino de Papa ; ibi enim sermo est de quodam Episcopo hoc modo perperam ordinato (3).

50. Asserunt Navarrus Sanchez Concina aliique cum d. Thoma posse Episcopum dispensare etiam cum bigamo ad suscipiendos Ordines majores et beneficia simplicia. Sed nos negamus cum Suarez Layman Castr. Tournely Barbosa Bonac. etc vigore cujusdam declarationis Sixti V. in qua Pontifex declaravit suspensum quemdam Episcopum ex eo quia contulerat beneficium cuidam bigamo, addiditque Ordinatum incurrisse pœnas, utpote perperam promotum (4) Si vero bigamia sit similitudinaria, quamvis ea sit publica, communissima est sententia cum Toleto Suar. Castropal. Sanch. Salmantic. Tourn. aliisque compluribus, posse Episcopum dispensare etiam quoad susceptionem majorum Ordinum, et probatur ex *cap. 4. de Cler. Conjugat.* et *cap. 1. Qui Cler. vel Voc.* Excipiendum vero communiter si clericus habuerit in uxorem viduam aliquam, aut aliam non virginem : aut si habuerit aliam uxorem ante Ordinationem (5).

51. IV. Ut diximus ab initio, potest Episcopus dispensare in irregularitatibus incursis ob delictum occultum; excepto homicidio voluntario. Circa hoc aiunt quidam doctores, quod his non obstantibus, si homicidium esset taliter occultum, ut nullo modo in judicio probari posset tunc posse Episcopum dispensare. Verum hæc sententia jure fuit a Salm. reprobata, a Roncaglia etc., quia ex parte una Episcopi nihil possunt super irregularitatibus præter id quod ipsis a Tridentino concessum est in eodem *c. Liceat*, in quo expresse excipitur homicidium voluntarium occultum. Quod vero nomine *occulti* intelligatur, ut volunt contrarii, id quod in judicio probari potest, licet non adhuc probatum sit; id gratis omnino asseritur (6). Atque ita declaravit S. C. Concilii die 21. maii 1718. In ea enim cum propositum esset utrum Episcopus posset

(1) N. 428 et 429. — (2) N. 430. — (3) N. 431.

(4) Apud Fagnan. in c. Quoniam de const. n. 32. — (5) l. 7. n. 452. 4. — (6) N 392

dispensare in quodam homicidio perpetrato a quodam puero, qui ludens cum alio puero, istum parvo gladiolo vulneraverat, et qui post quadraginta dies ex eodem vulnere mortuus est ; ea scilicet ratione, quia delictum istud per decem et octo annorum spatium fuerat occultum ; et quia erat moraliter impossibile ut ad forum deduceretur, S. C. respondit : *Negative. In thesaur. Declarat. S. C. pag.* 85. Cæterum communis sententia est posse Episcopum dispensare, quando immineret periculum animæ, aut alia causa gravissima, et difficile esset ad Pontificem habere recursum (1). Insuper communiter asserunt Suarez Castrop. Bonac. Salmanticenses aliique, posse Episcopum dispensare in irregularitate per mutilationem occultam (2). Insuper est sententia communissima cum Nav. Sylv. Laym. Bar. etc. posse Episcopum dispensare in irregularitate ob homicidium casuale, non modo occultum, sed etiam notorium, ad suscipiendos Ordines minores, et beneficia simplicia; hoc enim antiquitus jam poterant Episcopi, ut plures dd. testantur ; et Tridentinum excepit tantummodo homicidium voluntarium, non casuale, quamvis publicum (3).

52. Homicidium vero casuale e. c. est, si aliquis volens simpliciter percutere, ob negligentiam occidat, aut si chirurgus ob negligentiam sit causa mortis, et his similia. Dubitatur inde utrum reputetur casuale homicidium commissum in rixa ? Multi affirmant ut Diana Salmant. cum aliis, sed nos negamus cum sententia communiori Suarez Navarri Conc. Tamb. Spor. aliorumque cum eodem Diana qui se retractat ; nam qui in rixa perpetrat homicidium, jam voluntarie occidit (4). Vide quæ diximus *Tr.* 19. *n.* 108. Attamen est valde probabilis, et communissima sententia cum Suar. Laym Nav. Tourn. Bon. et La-Croix (qui eam communem vocat) posse Episcopum dispensare cum eo qui occidit ob propriam defensionem, sed in defensione aliquantum excedit ; nam hujusmodi homicidium nequit dici absolute voluntarium.

53. V. Quoad inhabilitates injunctas a Pontificibus in pœnam, dubitatur utrum Episcopus possit dispensare : talis v. g. est inhabilitas ad recipienda beneficia, imposita a Sixto V. in sua Bulla *Effrænatum*, procurantibus abortum, et inhabilitas ad celebrandum a Benedicto XIV. injuncta confessariis sollicitantibus, in sua Bulla, *In generali Congregatione*. Negat Anacletus, et dubitat Roncaglia loquendo de abortu ; verum Elbel et Spor. admittunt absolute ob regulam communiter receptam (ut dicunt) a Scoto s. Bonav. aliisque, quod dispensatio ab omnibus pœnis impositis a jure communi, et Pontifici specialiter non reservatis, intelligitur concessa Episcopis, ut colligitur ex *cap. Nuper* 27. *de Sent. exc.* Vide quæ diximus *Tr.* 2. *de Leg. n.* 58. (5).

54. VI. Circa materiam matrimonii Episcopus habet varias dispensandi facultates. Dispensare enim potest in publicationibus, sed de hoc jam dictum est *Tr.* 18. (cum sermo fuit de matrimonio) *n.* 58. Insuper dispensare potest in voto castitatis emisso a conjugibus ; de quo jam satis ibidem *n.* 54. Videndum nunc superest utrum Episcopi habeant aliquam facultatem circa impedimenta dirimentia.

56. In impedimentis dirimentibus solum Pontifex potest dispensare. Quod si impedimentum esset dubium, communissima est sententia posse etiam Episcopum dispensare ; ita dicunt Sa Merbes. Tourn. Diana Pichler etc. ; et quamvis Sanch in *Tr. de matrimonio* (6) id neget; tamen in Decalogo (7) videtur se retractasse ;

(1) N. 391. — (2) N. 384. — (3) N. 393. — (4) N. 394.

(5) Vide l. 1. app. 2. n. 53. et l. 6. n. 705. in fin. et l. 7. n. 353. — (6) Sanch. l. 8. d. 6. n. 18. — (7) l. 4. c. 40. n. 26.

ibi enim ait tanquam ex regula generali: *Cum dispensationis reseratio sit odiosa, est restringenda ad casus certos; dubii enim non comprehenduntur sub reservatione*, ut asserit probasse antea *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 74. (1).

6. E contrario quando impedimentum dirimens esset certum, et matrimonium jam fuisset contractum, est communis sententia posse Episcopum in eo dispensare quoties non facile possit haberi recursus ad Pontificem, et quoties immineret periculum scandali, aut infamiæ si conjuges separarentur, aut incontinentiæ, si non separarentur: ita Sanch. Castr. Conc. Merbes. Tourn. Cabass. Nat. ab Alex. Bonac. Barb. Salmant. etc., contra quosdam paucos (2). Sed advertunt hic La-Croix et Felix Potestas, quod si dispensatio potest commode obtineri a S. Pœnitentiaria, et conjuges essent in bona fide, tunc illa est expectanda, et interim sponsi sunt relinquendi in sua bona fide juxta id quod diximus *Tr.* 16. *n.* 113. Insuper advertendum est cum Pontio Castr. Barb. Escob. Sanch. Salm. aliisque communiter, non posse Episcopum, si ambo conjuges mala fide contraxerint, tunc enim, si daretur locus hujusmodi dispensationi, daretur ansa celebrandi quotidie matrimonia nulla sub spe dispensationis. Præterquam quod Tridentinum *sess.* 24. *c.* 5. vult omnino privari quacumque spe dispensationis quicumque scienter contrahit in gradu prohibito. Notandum tamen cum Sanch. Salm. Bann. Conc. Aversa etc. quod ad constituendam in hoc casu malam fidem, oportet ut contrahens non modo scienter factum commiserit, quod scilicet cum conjuncta contraxerit, sed insuper quod sciverit extitisse impedimentum; imo quod de eo veram notitiam habuerit. Concilium enim inquit: *Scienter præsumpserit*. Unde cum ignorantia crassa potest quidem dispensari. Deneganda est insuper dispensatio ei qui contraxit, sed ex malitia publicationes prætermisit, ut habetur ex eodem Concilio loco citato (3).

57. Si vero matrimonium non adhuc contractum sit, probabilissima quoque adest sententia, et est communis quod possit tunc Episcopus dispensare in impedimento dirimenti, quando imminet periculum infamiæ, et facilis non est recursus ad Pontificem; ita Suarez Pign. Pont. Conc. Cabass. Castrop. Salm. Bonac. Card. Sylvius La-Croix Viva etc. cum Bened. XIV. (4), contra rigidissimum Fagnan. qui id negat etiam in mortis articulo, et in necessitate legitimandi prolem: sed alii communiter aiunt tunc præsumi aut quod Pontifex deleget Episcopo suam dispensandi facultatem, vel quod in casu tantæ necessitatis cesset dispensationis reservatio, et quod tunc Episcopus dispenset ex potestate sua ordinaria (5). Imo asserit Pignatel. probatque (6) in tali casu cessare non modo reservationem, sed etiam legem impedimenti, utpote eam, quæ jam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit legem nocivam non obligare: ut docent omnes cum d. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncagl. et Instructor nov. Conf (ut jam diximus *Tract.* 16. *n.* 114.) quod adveniente casu quo sponsi jam ad ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret confessario impedimentum occultum jam contractum tamquam peccatum, et sine scandalo, aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi. Verum ad majorem cautelam consulunt, ut obtineatur inde dispensatio a S. Pœnitentiaria (7). Sed advertendum est hoc currere, quando

(1) Vide opus nostrum l. 6. n. 902. v. cæterum. — (2) N. 4123

(3) N. 1121. — (4) de Synodo l. 9. c. 2. n. 2. — (5) Vide l. 6. 1122. et fusius eodem l. n. 613. — (6) Tom. 3. consult. 33 n. 6. — (7) l. 6. n. 615.

Episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum est recurrendum ut dispenset, juxta ea quæ diximus *n.* 45. Dicunt autem Sambovius et Gibert, quod si contrahentes sint diversarum diœcesium quisque sponsus debet a proprio Episcopo dispensari. Verum probabiliter id negat Honoratus Tourn. cum aliis, quia sublato per Episcopum impedimento sui subditi, jam hoc ipso redit habilem ad contrahendum cum alio impedito; quemadmodum qui habet facultatem dispensandi in aliquo gradu, eo ipso quod dispensat cum uno ex sponsis, dispensat etiam cum alio (1).

58. Quæritur utrum Episcopus possit aliis delegare hanc facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus in supra narratis casibus? Quidam pauci negant; sed communiter affirmant Castropal. Bonac. Barbosa Silvest. Sanchez Pontius Coninchius Salmant. Escob. etc. Et potest eam delegare non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, ut aiunt Sanch. Castrop. Salmant. Bonac. Elbel Valentia Vasq. Salas Henriq. Coninch. Guttier. etc. Cum enim hujusmodi potestas non industriæ personali, sed episcopali officio sit adnexa, ipsa jam reputatur ordinaria, et ideo recte potest delegari, ut notavimus *n.* 34. Et tanto magis idem dicendum de omnibus aliis facultatibus quas habent Episcopi circa publicationes, et impedimenta impedientia. Advertendum tamen quod hanc facultatem dispensandi non habent Vicarii Episcoporum sine ejusdem speciali commissione: diximus enim *n.* 31. quod in generali commissione vicariatus non committitur facultas illa, quam habent Episcopi dispensandi in hujusmodi casibus, ob præsumptam Pontificis voluntatem (2).

59. VII. Episcopus dispensare potest in interstitiis a Tridentino præscriptis quoad Ordinationem clericorum. Et 1. quoad Ordines Minores Concilium remittit prudentiæ Episcopi hujusmodi dispensationem, dicens: *Minores Ordines... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur, sess.* 23. *c.* 11. *de Reform.* Quare etiam inter Ordines minores (per se loquendo) debet aliquid temporis intercedere, scilicet vel ab una generali ordinatione ad aliam, ut quidam asserunt, vel ab uno die festo ad alium, ut quidam alii affirmant; cæterum, ut dispensetur in hujusmodi interstitiis, quævis sufficit causa, ut plurimi dd. docent. Inter primam vero Tonsuram et Ordines minores probabilius nullum requiritur intervallum, quia probabilius prima Tonsura non est Ordo. II. Quoad subdiaconatum. Concilium requirit annum intervallia susceptis minoribus Ordinibus, sed subdit inde: *Nisi necessitas, aut ecclesiæ utilitas, judicio Episc. aliud exposcat, cit. c.* 11. To *ecclesiæ* intelligendum de ecclesia in qua clericus est adscriptus; ut constat ex *cap.* 2. 3. A subdiaconatu ad diaconatum etiam annus requiritur, sed in hoc potest Episcopus ex quacumque rationabili causa dispensare, inquit enim Concilium: *Nisi aliud Episcopo videatur, sess.* 23. *c.* 13. IV. Tandem a diaconatu ad sacerdotium annus item requiritur, sed magis rigorose: exigit enim Concilium non modo ecclesiæ utilitatem, sed etiam necessitatem, dicens: *Ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ib. c.* 14. (3).

60. VIII. Episcopus potest etiam dispensare ad celebrandum in alio altari, aut ecclesia non destinata a fundatore, quando adest aliqua juxta causa e. c. si hoc ad ejusdem ecclesiæ utilitatem redundaret; aut si capellanus morbo detineretur, aut studiis operam daret, vel aliis negotiis; aut si sine magna molestia ad eccle-

(1) N. 1142. — (2) N. 613. et fusius n. 1125.

(3) Vide l. 6. n. 795.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA
REAL DECRETO

siam destinatam se conferre nequiret, aut ex similibus aliis rationabilibus causis ; ita communiter asserunt Castropal. Concina La-Croix Salmant. Barbosa Ronc. Passerinus Henriq. Tambur Mazz. aliique; tunc enim Episcopus (recte potest, juxta ea quæ dicimus *n.* 68.) fundatoris voluntatem interpretatur. Merito tamen excipit La-Croix cum Pasqualigo, si fundator ecclesiam designasset et horam ob commodum speciale familiæ, vel populi, vel ad cultum alicujus Sancti peculiarem ; contra de Lugo et Tournely aiunt, quod si fundator nullum circa hoc finem habuerit, aut si finis jam cessaverit ; sacerdos alibi celebrans nonnisi venialiter peccat, imo excusatur ab omni culpa si celebret in altari privilegiato ; quia tunc redundat in majus bonum ejusdem fundatoris (1).

61. IX. Potest insuper Episcopus dispensare justis de causis tam secum, quam cum aliis ad celebrandum post meridiem, ut dicunt Lugo Wigandt Navarr. Castrop. Layman Salm. etc. (2).

62. X. Olim ex *can. Missarum* 11. *de Consecr. Dist.* 1. poterant etiam Episcopi celebrare vel per se vel per alios sacerdotes in quocumque loco, etiam in privatis domibus. Sed postea a Tridentino, *sess.* 22. *in decr. de celebr. Miss.* etc. vetitum fuit Episcopis celebrandi licentiam impertiri in aliis locis, præterquam in oratoriis ab eisdem benedictis, et ad sacros usus destinatis, quæ censentur tanquam publica, unde ibidem potest quotidie celebrari. Hujusmodi oratoria debent habere januam ad viam publicam ; sed hac non est intelligendum de illis quæ in Regularium domibus sunt erecta, aut alicujus communitatis, ut esset in seminariis, conservatoriis, hospitalibus vel in carceribus, quæ non requirunt januam secus viam ; et rite potest in diebus solemnibus, quemadmodum S. C. declaravit. Idem dicendum de oratoriis quæ habent Episcopi in suis domibus etiam campestribus extra proprias diœceses (3).

63. Insuper Episcopi olim ex *cap. ult. de privil. in* 6. cum a suis diœcesibus essent absentes, poterant celebrare per se vel per alios in quacumque domo extra propriam habitationem. Sed Clemens XI. abstulit ipsis hujusmodi facultatem : verum Innocentius XIII. iterum illam restituit in sua Bulla *Apostolici ministerii*, sub die 3. maii 1723. in qua dixit quod prohibitio non erat intelligenda de domibus in quibus morarentur Episcopi *occasione visitationis, vel itineris, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis absentes morum faciunt in aliena domo.* Atque hoc confirmatum fuit per aliam Bullam Benedicti XIII. Sed cum hoc privilegium sit personale Episcopi, ideo advertit Tamburinus, alios sacerdotes, absentibus Episcopis, non posse in dictis domibus celebrare (4).

64. Dubitatur utrum Episcopus possit aliquando dispensare, ut celebretur Missa in domibus privatis ? De jure ordinario nec est nec fuit unquam permissum celebrare, nisi in locis sacratis, juxta *can. Sicut.* 11. *Dist.* 1. *de Consecr.* Excipitur tamen primo casus necessitatis, ut in eodem textu habetur. Casus autem hi necessitatis sunt 1. Si ecclesiæ sunt dirutæ, ut dicitur in *c. Concedimus Dist.* 1. *de Cons.* 2. Si aliquis sacerdos diu peregrinetur per loca deserta, aut infidelium, ut ex *eod. c. Concedimus* 3. Quando ecclesia populum non capit. 4. In castris, et in littore maris, si aliter plures carere deberent Sacro. Ita communiter dd. qui citantur a Card. Petra et a Salm. (5). Et hisce casibus quisque sacerdos celebrare potest in altari portatili extra ecclesiam. Advertit tamen Layman (6) cum Suarez et Soto, quod si Episcopus non adest, decet ab ipso

(1) N. 329. n. — (2) N. 344. (3) N. 357. — (4) l. 6. n. 358. — (5) Petra tom. 4. in Const. 2. Urb V. n. 31. Salm. tr. 5. de Miss. Sac. c. 4. ex n. 50. et seqq. — (6) Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 3

licentiam impetrare. Insuper advertit Castr. (1) quod cum casus necessitatis est dubius, potest Episcopus dispensare juxta dicta *Tr.* 2. *n.* 57.

Præterea excipitur, cum Episcopus dispensat ad celebrandum extra ecclesiam in aliquo casu particulari ex justa causa : nam licet hodie Episcopi careant facultate impertiendi hanc licentiam eorum arbitrio, quam olim habebant ; ut apparet ex *c. Missarum, Dist.* 1. *de Cons.* ubi permittebatur celebrari *in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit*, et ex *c. Hic ego, ibid.* ubi : *In locis in quibus Episcopus proprius jusserit.* Et clarius expressum fuit *cap. in his* 30. *de Privil.* ubi Honorius III. decrevit fratres Franciscanos et Dominicanos vigore privilegii apostolici bene posse facere Sacrum in altari portatili sine licentia Episcopi loci, ratione adducta; quia alioquin inutile privilegium evasisset, cum sine ipso bene celebrare potuissent extra ecclesiam solo Ordinarii permissu. *Cum autem* (verba Pontificis) *nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id, Prælatis annuentibus liceret.* Unde merito asserit p. Suarez (2) cum Silvestro Soto et Navarro, olim Episcopos hac facultate pollere indulgendi, ut in privatis ædibus celebraretur permanenter et sine ulla necessitate : *Quia illa* (ait Suarez) *non erat dispensatio, sed usu propriæ potestatis.* Licet, dico, hæc facultas ablata est Episcopis a Tridentino, *sess.* 22. *in Decr. de observ. in cel. Miss.* ubi dictum fuit : *Neve patiantur* (Episcopi) *privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus aut Regularibus quibuscumque peragi.* Attamen communiter dd. consentiunt id intelligi quoad licentiam celebrandi permanenter *per modum habitus*, juxta facultatem quam prius habebant, sed minime ipsis vetitum fuit hanc licentiam concedere ad tempus *per modum actus*, si justa adsit causa ; ita p. Suarez *loco cit. vers. secundo in fine*, ubi post casum exceptum necessitatis, sic ait : *Item, quia facultas hæc est per modum dispensationis ; Concilium autem ab Episcopo non abstulit potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in hujusmodi rebus, maxime cum revera sit moraliter necessaria.* Demum addit : *Tandem usus hoc confirmat, quia ita fit sine ullo scrupulo.* Idem dicit Bonacina (3) : *Episcopus potest in casu aliquo, justa concurrente causa dispensare ut Missa extra ecclesiam in loco honesto celebretur, ita Reginald. Beia, et Cenedo.* Deinde *se remittit ad dicta alibi* (4), ubi scripsit bene posse Episcopum dispensare in legibus canonicis quoad res quæ frequenter eveniunt, et dispensatione indigent ; vel cum occurrit aliqua gravis necessitas, vel gravis utilitas, nec de facili Sedes apostolica adiri potest. Idque conforme est ad ea quæ diximus *Tr.* 2. *n.* 58. Idem scribit Barbosa (5) : *Concilium loquitur de comuuni modo celebrandi non vero abstulit Episcopis potestatem rationabiliter dispensandi, stante necessitate, vel justa causa.* Idem scribit Escobar. (6) : *Talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusus recenseri ; unde potest Episcopus hanc concedere facultatem (celebrandi extra locum sacrum) quando persona nobilis ratione senectutis vel infirmitatis nequit adire ecclesiam ut Missam audiat, et Eucharistiam recipiat.* Idem scribit Laym. (7) : *Non videtur hæc potestas ablata* (Episcopis), *occurrente*

(1) Cast. t. 22. de Sacr. Miss. d. 1. p. 8 n. 5. — (2) Suarez t. 3. in 3. d. Thom. part. disput. 81, sect. 3 vers. secundo. (3) Bonac. de Euch. d. 4. q. ult. punct. 9. n. 11. — (4) Bon. de leg. d. 1. q. 2. p. 1. n. 19. v. secundo et tertio. — (5) Barbosa de Pot. Ep. Alleg. 23. n. 9. — (6) Escob. t. 3. de Euch. c. 6. n. 85. — (7) Laym l. 5. tr. 5. c. 5. n. a. v. ecc.

casu necessitatis dispensandi aut semel, aut sæpius, quatenus rationabilis causa suaserit ; in loco honesto profanis usibus destinato, super altari sacrato Missam celebrare liceat. Idem scribit Holzman (1) : *Excipiendus est præterea casus, quo Episcopus rationabili ex causa dispensat, ut in privatis ædibus, v. g. alicujus infirmi, super altari portatili celebrari possit.* Idem scribunt alii plures, ut Salmanticenses Elbel et La-Croix (2) cum Coninch. Rodr. Pasq. Quarti Diana Marcant Hurtado et Fagund. Itaque præfata sententia merito quidem communis dici potest. Et advertatur quod, cum a citatis dd. nominetur *necessitas* respectu ad dispensationem hanc, non sumitur pro necessitate celebrandi, talis enim necessitas non eget dispensatione, ut scripsimus supra in prima exceptione notata, sed intelligitur necessitas celebrandi, vel audiendi Missam extra ecclesiam, cum subsit justa causa celebrandi.

Neque hic obstat Decretum Clementis XI. quod opponit p. Mazzotta, sicut nec etiam obstant Decreta Pauli V. et Urbani VIII. quibus præfata dispensatio vetatur Episcopis ; quia illa intelliguntur, prout intelligitur Decretum Tridentini, ubi inquiunt Escobar. et Salm. *n.* 58. cum Philiberto Hurtado Navar. Quintanad. Diana Fagund. id est, de dispensatione per modum habitus, non jam per modum actus ad tempus pro aliquo casu particulari, existente justa causa dispensandi. Et quoniam post Concilii Decretum non defuerunt aa. ut Soto et Emmanuel Sa, qui dixerunt non esse grave culpam celebrare extra ecclesiam, si celebretur in loco honesto ; imo Soto scripsit, ut refert f. Suarez (3) nullam in eo adesse culpam, semper ac Missa clam dicitur, ita ut omne scandalum absit; ideo censeo relatos Pontifices id prohibuisse Episcopis Decretis clarioribus et urgentioribus.

Deinde dubitatur, per quot vices hæc dispensatio concedi possit. Salm. dicunt semel, vel bis ; sed alii, ut Suarez Laym. Bon. Escob. Holzman. et Elbel cum Pasq., etc. indefinite loquuntur, et intelligunt posse dari, durante illa infirmitate, aut alia causa accidentali. Et non sine ratione indefinite loquuntur, cum prohibitio dispensandi intelligitur facta, ut supra ostensum est, tantum quoad dispensationes permanentes, non vero ad illas, quæ impertiuntur ad tempus propter aliquam causam transeuntem, et certum est prohibitiones tanquam odiosas stricte esse interpretandas. Accedit insuper quædam declaratio, quam affert de hoc Gallemarte (4), ubi sic dictum fuit : *Permittit Pontifex Ordinarii arbitrio, necessitate personarum, et infirmitatis qualitate pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato oratorio, vel altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Idemque admittit Card. Petra (5) dicens, licere Episcopo licentiam concedere celebrandi domi alicujus insignis personæ ægrotantis, ut Missam audiat, et Communione fruatur. Accedit quod Honorius III. in cit. *cap. in his* 30. *de privil.* loquens de facultate celebrandi, dixit in hac re, *benignam potius interpretationem faciendam.* Atqui si hujusmodi licentia impertiri potest ab Episcopis pro sæcularibus infirmis, ne missa careant, ut supra dictum est ; tanto magis concedi potest sacerdotibus, qui habent quamdam necessitatem sæpe celebrandi, ut infertur ex Tridentino sess. 23. cap. 14. *de Reform.* ubi dicitur : *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis, et festis solemnibus... mis-*

(1) Holzm. t. 2. de Euch. c. 2. n. 370. v. Excip. pract. — (2) Salm. de Sacrif. Miss. tr. 5. c. 4. n. 56. Elbel. Th. Mor. eod. tit. p. 136. n. 233. Croix l. 6. p. 2. n. 263. — (3) Suarez in 3. p. to. 3. dist. 84. sect. 3 in princ.

(4) Gallem. in Trid. sess. 22. Decr. de observ. etc. n. 6. — (5). Carp. Petr. t. 4. in Const. 2. Urbani II. n. 32.

sus celebrent. Quapropter nescirem ipse a veniali culpa excusare sacerdotem, qui valens quotidie celebrare (præter unum diem in hebdomada ob reverentiam) omitteret ex pigritia Sacrum facere ; quandoquidem sacerdos non tantum celebrat pro se sed etiam pro tota Ecclesia, cujus minister est constitutus, et pro toto populo christiano, pro quo in altari intercessor adest, ut declaravit Apostolus : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et Sacrificia pro peccatis. Hebr.* 5. 1. Hinc oritur, prout dicebam, quædam necessitas, quam sacerdos habet celebrandi ; ac propterea facilius Episcopi concedere possunt sacerdotibus in ædibus propriis licentiam celebrandi, durante eorum ægritudine.

65. 11. Satis sit quod super hoc puncto dictum est. Ad alia transeamus. In *cap. fin. Ne pro dilatione de pœn. et remis.* legitur concessum Episcopis extra propriam diœcesim commorantibus, Prælatisque minoribus exemptis, quo nomine veniunt Abbates et Superiores locales, et etiam Prælati romanæ Curiæ, ut pronotarii, auditores Rotæ, etc. (ut dicunt Suar. Lugo Diana, etc.) posse sibi eligere confessarium, sine aliqua Ordinarii illius licentia. Sed S. C. declaravit (quod confirmatum est a Greg. XIII. apud Fagnanum) hoc intelligendum esse quod valeant sibi eligere aliquem sacerdotem sibi subditum : vel aliquem non subditum, sed a proprio Ordinario approbatum, id est ab Ordinario domicilii ejusdem sacerdotis, ut explicat Lugo (1). Eodem privilegio gaudent Cardinales, sed non alibi nisi Romæ, ut inquit Fagnanus ; et valent eligere in confessarium quemlibet sacerdotem tam pro se, quam pro sua familia, quem possunt etiam extra Romam perducere ; quod etiam Episcopis est concessum (2).

(1) Vide l. 6. n. 565. v. dubitatur hic 1. — (2) Ibid. v. dubit. 2.

66. 12. Episcopi sunt delegati Sedis apostolicæ ad tuendam clausuram monasteriorum Monialium etiam exemptarum, earumque quæ Regularibus sunt subjectæ, ut demonstrabimus *n.* 80. Ex hoc inferunt de Alex. Bantrius Clericatus Pelliz., etc. (contra Dianam et Pasq.) quod bene quidem possunt Episcopi reservare sibi casus circa clausuram, atque ita declaravit S. C. Concilii die 16. nov. 1720. Quod est intelligendum etiam respectu Jesuitarum, etc. quidquid dictum fuerit *Tr.* 19. *n.* 43. vide inferius *n.* 80.

67. Omnes confessarii Monialium etiam exemptarum, debent ab Episcopo approbari, ut præscripsit Greg. XV. in Bulla *Inscrutabili*, quam confirmavit in omnibus Clem. X. cum alia Bulla *Inscrutabili* 7. Benedictus XIII. et nuper Clem. XII. qui in omnibus Gregorii Bullam innovavit (de qua infra *n.* 80.) etiam quoad ea quæ Bened. XIII. contra Gregorii Bullam concesserat (3). Et ideo ait Tamburinus etiam Moniales exemptas incurrere casus ab Episcopo reservatos; quia sicut ille in approbatione limitare potest tempus et personas, ita etiam casus. Sed alii communius et probabilius (Pelliz. Quintanad. et de Alexand.) id negant, quia Moniales exemptæ sunt extra jurisdictionem Episcopi ; et approbatio confessarii respicit tantum ejusdem idoneitatem : tanto magis, quia in Bulla Clem. X. *Superna*, dicitur Episcopus posse limitare tempus, locum, et personas ; et nulla fit mentio casuum (4). Verum hoc non curavit quoad clausuram, circa quam bene potest Episcopus tam casum, quam censuram sibi reservare, ut diximus *Tr.* 19. *n.* 43. et juxta quæ dicemus *n.* 80. Insuper advertendum est, quod per Bullam *Pastoralis* Bened. XIV. potest Episcopus assignare confessarium extraordinarium Monialibus exemptis, si illarum Prælatus regularis illum concedere recusaret (qui esse debet alterius Or-

(3) l. 6. n. 577. — (4) N. 602. quær. 6.

dinis, vel secularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis (1).

68. 13. Plures dd. asserunt, ut Angelus Silvester Armilla Tabiena, aliique cum Croix (qui illis adhæret) posse Episcopum ex juxta causa commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quæ jubet implerl ultimas voluntates, quoties adsit juxta causa; idque confirmant ex Tridentino *sess.* 22. *c.* 6 Sed hoc negamus cum sententia probabiliori Molinæ Layman Sanchez, etc., quia in *cap. Tua de Test.* et in *cap.* 8. ejusdem *sess.* 22. a Concilio jubentur Episcopi adamussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in eodem *cap.* 8., quia ibi tantummodo committitur Episcopis ut examinent causas utrum veræ sint nec ne, quando ultimæ voluntates a Sede apostolica commutantur. Tanto magis quia in Clem. *Quia contingit de Relig. dom.* dicitur bona in aliquem usum applicanda non posse in alio nisi a Sede apostolica applicari. Cæterum est valde probabile quod dicunt Laym. Bon. Salm. Coninch. et Trull., quod sive superveniat aliqua causa, sive testator ignoraverit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset; tunc Episcopus potest opus commutare, sed una cum hærede, quamvis, si hæres contradicat, asserant plures dd. posse id facere Episcopum illo contradicente (2).

69. 14. Dicunt super dd. ut Viva Diana Trullenchius Busembaum, aliique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet quarum dominus est incertus) quæ pauperibus sunt erogandæ; quoniam (ut ipsi dicunt) hujusmodi compositio nulla lege Episcopis reservatur; et contra ipsa est juxta præsumptam creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter contradicunt Lugo Molina Turrianus Corduba, et alii, quia talium bonorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem (3). Et re quidem vera Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Pastor bonus* (23. aprilis 1744.) hujusmodi facultatem S. Pœnitentiariæ concedit (4). Vide *Tr.* 19. *n.* 148. *ad* 10.

70. 15. Affirmant quoque La-Croix Tamb. et Pasqual posse ab Episcopo minui numerum Missarum a testatore relictarum, quoties ob eleemosynæ parvitatem, qui Missas celebraret, non inveniretur. Sed hic se opponit p. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innoc. XII., prohibet districte Episcopis reductionem moderationem, aut commutationem onerum Missarum impositarum in *limine fundationis*, et post Tridentinum, volens quoad hoc omnino ad Sedem apostolicam recursum haberi. Quia recte ibidem declaratum fuit, quod facultas concessa Episcopis, aliisque a Concilio, *sess.* 25. *c.* 4. *de Reform.* intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Cæterum ait Fagnan. cum Felino, quod si ab initio reditus erant sufficientes, et deinde taliter fuerint imminuti, ut nullo modo sufficiant, tunc non videri ablatam facultatem quam habent Episcopi de *jure communi* moderandi Missas juxta *c. Non quidem de Testam.* (5).

71. Jam superius dictum est *n.* 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Quid vero possint Episcopi circa relaxationem juramenti, et circa commutationem, aut dispensationem votorum, diximus *Tr.* 5. *n.* 19. 42. *et seq.* Notandum hic denique posse ab Episcopo, juxta Trident. *sess.* 21. *c.* 7. uniri, aut transferri

(1) N. 576. — (2) Vide plura de hoc I. 3. n. 931. quær. 2.

(3) N. 592 v. notat autem — (4) I. 7. n. 470. de facultat. s. pœnitentiariæ ad 10. — (5) Vide I. 6. n. 331. v. dubit. 1.

ad aliam ecclesiam beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quæ lapsu temporis jam corruerit adeo ut nequeat amplius reparari, vide Barbosam (1). Insuper Episcopus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in curia Romana; Trid. *sess.* 23 18. Insuper tempore visitationis potest Episcopus cogere parochianos ad necessaria parocho subministranda; Trident. *sess.* 21. *c.* 4. Potest etiam novas parochias erigere, et de matricis fructibus dotare si hæc abundet, sed sine præjudicio possessoris; Trid. *eod. loco.* Potest etiam duas parochias unire, si divisæ nequeant singulæ suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia; *ibid. c.* 5.

CAPUT IV.

De privilegiis regularium.

PUNCTUM I.

DE PRIVILEGIIS SPECTANTIBUS AD OMNES REGULARES IN COMMUNI.

72. 73. 74. *I. De exemptione a jurisdictione Episcoporum.*
75. *Casus excepti, præcipue circa celebrationem Missarum.*
76. *Declaratio S. C.*
77. *Quibus casibus potest Episcopus obligare Regulares, etc.*
78. *Utrum Regulares teneantur præceptis Episcoporum.*
79. *Utrum Episcopus possit eos visitare.*
80. *Utrum visitare clausuram Monialium.*
81. *Utrum petere rationem Missarum relictarum, etc.*
82. *et* 83. *Quibus casibus possit criminaliter procedere, etc.*
84. *ad* 87. *II. De obligatione decimarum.*
88. *III. Circa fundationes.*
89. *De monasteriis Episcopo subjectis.*
90. *IV. De judice conservatore.*
91. *et* 92. *V. De sepultura.*
93. *et* 94. *De portione canonica, etc.*

72. I. Regulares habent privilegium exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nam Prælati regulares habent in suis ecclesiis et monasterii jurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salmant. qui agunt fusius de omnibus privilegiis prædictis in hoc puncto; sed nos solum adnotabimus hic res magis principales (2).

73. Itaque quoad prædictam exemptionem adnotandum primo, quod in dubio alicujus privilegii, decisio spectat ad summum Pontificem, quemadmodum declaratum fuit a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus (3). Adnotandum secundo quod huic privilegio exemptionis Regulares cedere non possunt, sicuti habetur ex *cap. Cum tempore de arbitris*, quia id redundaret in damnum religionis: quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc prævalere (4).

74. Notandum tertio, hoc privilegio gaudere, non solum professos et conversos, sed etiam novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum; et etiam Tertiarios et beatos, sicuti dictum est numero 8. Servi etiam Regularium qui actu famulantur, et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia, juxta Tridentinum, *sess.* 24. *de Regul. et Monial. c.* 11., eximuntur a jurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras (juxta Bullam Alexandri IV. apud Salmant.) quam etiam quoad Communionem paschalem (5). Notandum quarto quod apostatæ et fugitivi possint capi ab Episcopis, sed solummodo ut consignentur suis Superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu quo eorum monasteria essent in loginquo posita, et ipsi moniti nollent regredi juxta Trident. *sess.* 6. *c.* 3. *de Reform.* (6). Vide alia, quæ de hac re dicentur num 82. et 83. Notandum quinto quod Sæculares in monasteriis exis-

(1) Barb. de Potest. Episc. All. 66. ex n. 45.

(2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. — (3) Ib. n. 6. — (4) Ib. n. 7. — (5) Ib. n. 8. et vide opus nostrum I. 6. n. 240. in fine, et I. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq. — (6) Salm. eodem n. 8.

dinis, vel secularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis (1).

68. 13. Plures dd. asserunt, ut Angelus Silvester Armilla Tabiena, aliique cum Croix (qui illis adhæret) posse Episcopum ex juxta causa commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quæ jubet implerl ultimas voluntates, quoties adsit juxta causa; idque confirmant ex Tridentino *sess.* 22. *c.* 6 Sed hoc negamus cum sententia probabiliori Molinæ Layman Sanchez, etc., quia in *cap. Tua de Test.* et in *cap.* 8. ejusdem *sess.* 22. a Concilio jubentur Episcopi adamussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in eodem *cap.* 8., quia ibi tantummodo committitur Episcopis ut examinent causas utrum veræ sint nec ne, quando ultimæ voluntates a Sede apostolica commutantur. Tanto magis quia in Clem. *Quia contingit de Relig. dom.* dicitur bona in aliquem usum applicanda non posse in alio nisi a Sede apostolica applicari. Cæterum est valde probabile quod dicunt Laym. Bon. Salm. Coninch. et Trull., quod sive superveniat aliqua causa, sive testator ignoraverit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset; tunc Episcopus potest opus commutare, sed una cum hærede, quamvis, si hæres contradicat, asserant plures dd. posse id facere Episcopum illo contradicente (2).

69. 14. Dicunt super dd. ut Viva Diana Trullenchius Busembaum, aliique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet quarum dominus est incertus) quæ pauperibus sunt erogandæ; quoniam (ut ipsi dicunt) hujusmodi compositio nulla lege Episcopis reservatur; et contra ipsa est juxta præsumptam creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter contradicunt Lugo Molina Turrianus Corduba, et alii, quia talium bonorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem (3). Et re quidem vera Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Pastor bonus* (23. aprilis 1744.) hujusmodi facultatem S. Pœnitentiariæ concedit (4). Vide *Tr.* 19. *n.* 148. *ad* 10.

70. 15. Affirmant quoque La-Croix Tamb. et Pasqual posse ab Episcopo minui numerum Missarum a testatore relictarum, quoties ob eleemosynæ parvitatem, qui Missas celebraret, non inveniretur. Sed hic se opponit p. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innoc. XII., prohibet districte Episcopis reductionem moderationem, aut commutationem onerum Missarum impositarum in *limine fundationis*, et post Tridentinum, volens quoad hoc omnino ad Sedem apostolicam recursum haberi. Quia recte ibidem declaratum fuit, quod facultas concessa Episcopis, aliisque a Concilio, *sess.* 25. *c.* 4. *de Reform.* intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Cæterum ait Fagnan. cum Felino, quod si ab initio reditus erant sufficientes, et deinde taliter fuerint imminuti, ut nullo modo sufficiant, tunc non videri ablatam facultatem quam habent Episcopi de *jure communi* moderandi Missas juxta *c. Non quidem de Testam.* (5).

71. Jam superius dictum est *n.* 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Quid vero possint Episcopi circa relaxationem juramenti, et circa commutationem, aut dispensationem votorum, diximus *Tr.* 5. *n.* 19. 42. *et seq.* Notandum hic denique posse ab Episcopo, juxta Trident. *sess.* 21. *c.* 7. uniri, aut transferri

(1) N. 576. — (2) Vide plura de hoc I. 3. n. 931. quær. 2.

(3) N. 592 v. notat autem — (4) I. 7. n. 470. de facultat. s. pœnitentiariæ ad 10. — (5) Vide I. 6. n. 331. v. dubit. 1.

ad aliam ecclesiam beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quæ lapsu temporis jam corruerit adeo ut nequeat amplius reparari, vide Barbosam (1). Insuper Episcopus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in curia Romana; Trid. *sess.* 23 18. Insuper tempore visitationis potest Episcopus cogere parochianos ad necessaria parocho subministranda; Trident. *sess.* 21. *c.* 4. Potest etiam novas parochias erigere, et de matricis fructibus dotare si hæc abundet, sed sine præjudicio possessoris; Trid. *eod. loco.* Potest etiam duas parochias unire, si divisæ nequeant singulæ suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia; *ibid. c.* 5.

CAPUT IV.

De privilegiis regularium.

PUNCTUM I.

DE PRIVILEGIIS SPECTANTIBUS AD OMNES REGULARES IN COMMUNI.

72. 73. 74. *I. De exemptione a jurisdictione Episcoporum.*
75. *Casus excepti, præcipue circa celebrationem Missarum.*
76. *Declaratio S. C.*
77. *Quibus casibus potest Episcopus obligare Regulares, etc.*
78. *Utrum Regulares teneantur præceptis Episcoporum.*
79. *Utrum Episcopus possit eos visitare.*
80. *Utrum visitare clausuram Monialium.*
81. *Utrum petere rationem Missarum relictarum, etc.*
82. *et* 83. *Quibus casibus possit criminaliter procedere, etc.*
84. *ad* 87. *II. De obligatione decimarum.*
88. *III. Circa fundationes.*
89. *De monasteriis Episcopo subjectis.*
90. *IV. De judice conservatore.*
91. *et* 92. *V. De sepultura.*
93. *et* 94. *De portione canonica, etc.*

72. I. Regulares habent privilegium exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nam Prælati regulares habent in suis ecclesiis et monasterii jurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salmant. qui agunt fusius de omnibus privilegiis prædictis in hoc puncto; sed nos solum adnotabimus hic res magis principales (2).

73. Itaque quoad prædictam exemptionem adnotandum primo, quod in dubio alicujus privilegii, decisio spectat ad summum Pontificem, quemadmodum declaratum fuit a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus (3). Adnotandum secundo quod huic privilegio exemptionis Regulares cedere non possunt, sicuti habetur ex *cap. Cum tempore de arbitris*, quia id redundaret in damnum religionis: quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc prævalere (4).

74. Notandum tertio, hoc privilegio gaudere, non solum professos et conversos, sed etiam novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum; et etiam Tertiarios et beatos, sicuti dictum est numero 8. Servi etiam Regularium qui actu famulantur, et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia, juxta Tridentinum, *sess.* 24. *de Regul. et Monial. c.* 11., eximuntur a jurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras (juxta Bullam Alexandri IV. apud Salmant.) quam etiam quoad Communionem paschalem (5). Notandum quarto quod apostatæ et fugitivi possint capi ab Episcopis, sed solummodo ut consignentur suis Superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu quo eorum monasteria essent in loginquo posita, et ipsi moniti nollent regredi juxta Trident. *sess.* 6. *c.* 3. *de Reform.* (6). Vide alia, quæ de hac re dicentur num 82. et 83. Notandum quinto quod Sæculares in monasteriis exis-

(1) Barb. de Potest. Episc. All. 66. ex n. 45.

(2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. — (3) Ib. n. 6. — (4) Ib. n. 7. — (5) Ib. n. 8. et vide opus nostrum I. 6. n. 240. in fine, et I. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq. — (6) Salm. eodem n. 8.

tentes si ibi patrent aliquod delictum, non incurrunt pœnas ab Episcopo impositas (1). Excipiatur, si contravenirent Ordinibus Episcopi circa Missarum celebrationem ;sicuti dicetur in fine sequentis numeri.

Sexto adnotantur e contrario multa hoc in loco in quibus Regulares non eximuntur ab Episcoporum jurisdictione. Et primo sine Episcoporum licentia nequeunt Regulares ædificare monasteria juxta Bullam Urbani VIII. die 28. Augusti 1624. Et animadvertatur quod in Bulla Gregorii XV. *Alias*, prohibetur Episcopis dare hanc licentiam, si in monasterio nequeant ali reditibus, aut eleemosynis saltem duodecim Religiosi ; sed hoc non intelligitur quoad hospitia, ut dicunt Barbosa Peirinus et cæteri. Secundo Regulares non possunt in lucem libros edere sine Episcopi licentia, ut ex Tridentino, *sess.* 4. *Decr. de Edit. librorum* (2). 3. Episcopus potest cogere Religiosos ad restituendum novitis, [qui nolunt professionem emittere,totum id quod attulerunt in ingressu (3). 4. Dispositio facienda a novitio, nisi ante duos menses, quam profiteatur, fieri non potest (juxta Trident., *sess.* 25. *de Regul. et Monial. c.* 16.) absque licentia Episcopi, aut Vicarii. 5. Episcopus habet potestatem cognoscendi simul cum Superiore Religiosi de causa nullitatis professionis (4). 6. Episcopus, aut alius ab eo deputatus,debet scrutari voluntatem virginum; quando ingrediuntur aut profitentur in monasteriis; ex Trident. *sess.* 25. *de Regul. et Monial.* c. 17. Sed id debet efficere intra quindecim dierum spatium, aliter non potest hac in re se amplius ingerere. 7. Episcopus potest prohibere,ne in monasteria Monialium, etiam exemptarum, suscipiatur ultra numerum earum quæ possint inibi ali juxta reditum facultatem, sicuti statutum fuit in Bulla s. Pii V. (5). 8. Episcopus potest cogere Monachos, qui permanenter degunt extra monasteriorum claustra, propter debita ab ipsis contracta cum pauperibus personis, ut sunt pupilli, viduæ, etc. (6). 9. Episcopus potest adstringere Religiosos, ut processionibus intersint, juxta Trid. *sess.* 25. *cap.* 13., dummodo eos vocet non per publicum Edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter (7). 10. Episcopus habet jurisdictionem supra monasteria, in quibus non possunt ali 12. Religiosi, ut dicetur num. 88. ad 3. Denique excipiuntur Episcoporum ordinationes circa Missarum celebrationes : etenim quoad hoc statuit Tridentinum, *sess.* 22. *de Observat. in Celebr.* ut Episcopi se gerant velut delegatos apostolicos, dicens : *Ut non solum ea ipsa sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi... ut delegati Sedis apostolicæ prohibeant, mandent, etc. : atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis... fidelem populum compellant : non obstantibus privilegiis, exemplionibus ac consuetudinibus quibuscumque.* Idem hic notandum quod adest resp. S. C. ad Episcop. Nebiens 7. Febr. 1630. (lib. 14. Decret. p. 561. a tergo), ubi generaliter loquendo dictum fuit : *In his in quibus a jure communi, a s. Concilio Trident. a Constit. apostolicis tributa est Episcopo jurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* Et idem decisum fuit die 4. Junii 1672. (lib. 27. Decret. pag. 406.). Quare sicut bene advertit Benedictus XIV. (8) Episcopi quoad celebrandas Missas possunt adigere omnes, quamvis Regulares, ad observandum non solum ea, quæ statuuntur a Concilio, sed etiam quæ statuuntur a seipsis. Quare recte Eminentissimus Cardinalis Spi-

(1) Salm. ibid. n. 9. et tract. 10. de censur. c. 5. n. 113. cum Laym. Avila Peirin. Garzia, et aliis pluribus.— (2) Salmant. tr. 18. c. 3. n. 10. 11. et 12.— (3) Vide Salmant. tr. 15. c. 3. n. 76. — (4) Ib. c. 5. n. 15.

(5) Salm. tr 18. c. 3. n. 14. —(6) Salm. tr. 18. c. 3. n. 15.— (7) Ibid. n. 16. et 17. —(8) De Synod. lib. 9. c. 15. n. 5.

nelli, cum esset Archiepiscopus Neapolis, die quinta Januarii 1743. præcepit sub pœna suspensionis a Divinis, etiam Regularibus, ne admitterent ad celebrandum in suis ecclesiis aliquem sacerdotem advenam sine licentia Ordinarii.

76. Adnotantur alia, quæ declarata fuere a S. C. in Decreto die secundo Julii 1520. Et 1. Regulares possunt recipere, quæ a devotis offeruntur sed non mendicando per ecclesiam. 2. Non possunt uti pallio aut pluviali per parochiam extra eorum ecclesias, aut earum recinctum : neque possunt facere processiones, dummodo non habeant pro se consuetudinem in contrarium,utdicunt Rodriq. Bordon. et Villalobos (1). 3. Vocati ad funeralia debent ire ad ecclesiam, ubi manet clerus jam coactus ; sed in hoc dicunt Salmantic. cum Lezana, esse consuetudinem in contrarium (2). 4. Non potest vetari Regularibus ne celebrent Missam in suis ecclesiis ante Missam parochialem, et ne pulsent campanas, uti declaravit s. Pius V. in Constit. *Etsi Mendicantium*, § 2. 5. Regulares nequeunt publicare matrimonia. 6. Possunt ipsi concionari in suis ecclesiis, tempore Adventus et Quadragesimæ, quamvis in parochia sermocinetur (3).

77. In tribus casibus potest Episcopus cogere Regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris : 1. est ad restituendas res novitiis, ut dictum est, juxta Tridentinum, *sess.* 25. *c.* 16. : 2. ad observandam clausuram, loquendo de Monialibus, Trid. *ib. c.* 5. ; 3. ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem, ut dictum est *n.* 75. Et circa id refert Bened. XIV. (4) duo Decret. S. C. Concilii, in quibus dictum fuit, quod Episcopi ut delegati apostolici possint etiam censuris cogere Religiosos, et procedere adversus eosdem, si admittant ad celebrandum in suis ecclesiis advenas sine Episcopi licentia, juxta Tridentinum, *sess.* 22. *Decr. de Obs. in Cel.*, ubi præceptum fuit, præsertim Episcopis : *Interdicant, ne cui vago, vel ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat.* An deinde in aliis casibus supracitatis possit Episcopus cogere censura Regulares: affirmant Barbosa Garcia et alii ; sed communius negant Sanchez Lezana et Salmantic. cum aliis, propter multa privilegia papalia, quæ hac de re afferunt ; et addunt cum Barbosa, Diana, Lezana (contra alios) quod Episcopus ne denuntiare quidem potest Regulares excommunicatos, etiam ob publicum delictum (5).

78. Quæritur primo utrum Regulares obligentur Decretis synodorum provincialium, aut diocesanarum, aut aliis Episcopi præceptis ? Certum est Regulares non tenere interesse dictis synodis dummodo non essent parochi, sicut habetur ex Trident. *sess.* 24. *c.* 2. et ex pluribus Decretis S. C. Deinde quoad quæsitum Vasq. Sanch. Becanus aliique dicunt eos obligari ad eorum omnium observantiam, quæ non præjudicant observantiæ regulari ; sed non intelligitur quoad vim coactivam ; ita ut contraveniendo non incurrant aliquam pœnam, sed solummodo quoad vim directivam, id est, ut se conforment reipublicæ, cujus sunt partes. Alii tamen, ut Suar. Lezana Salm. etc. id negant (dummodo hoc necessarium non sit ad evitandum scandalum, aut casus non esset, in quo Religiosus aliquis haberet aliquod munus dependens ab Episcopo, ut munus parochi, confessoris, concionatoris, etc.). Et id probant ex *cap.* 1. *de Privil. in* 6., ubi dicitur Regulares eximi a præceptis Episcoporum, exceptis casibus in jure expressis. Rationem deinde adversariorum dicunt valere ; quando partes sunt homogeneæ, non autem,

(1) Vide Salm. tr. 18. c. 3. n. 18 et 19. —(2) Ibid. n. 19. — (3) Ibid. — (4) De Synod. I. 9. c. 15. n. 5.

(5) Salmant. c. 3. § 3. per totum.

cum sunt heterogeneæ, et sunt Religiosi, qui non periode ac sæculares multa alia onera particularia habent. Cæterum in duobus ulla sine hæsitatione ipsi obligantur ad obediendum, ut dicitur in Trident. *sess.* 25. *c.* 12. 1. quoad observantiam interdicti positi ab Episcopo semper ac observatur ab Ecclesia matrice; 2. quoad observanda festa ab Episcopo statuta (1); præter ordinationes circa Missarum celebrationem, ut dictum est superius *n.* 75. *circa finem*. Præterea notetur Episcopum posse Regularibus interdicere auditum confessionum in propriis ædibus sive cellis, juxta Decretum S. C. emanatum an. 1617. 15. Sept. et videri potest apud p. Ferraris (2). Potest etiam vetare omnibus confessariis audientiam confessionum mulierum, aut puellarum extra confessionarium sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus ex Decreto s. Congr. 18. Decemb. 1693. apud eumdem Ferraris (3).

79. Quæritur secundo utrum Episcopi possint visitare personas et monasteria Regularium? Communiter loquendo, certum est ex *c. Nulli* 16 *quæst.* 1., et ex Tridentino, *sess.* 25. *c.* exemptas esse a visitatione Episcopi, tam personas, quam monasteria et ecclesias Regularium (dummodo in illis degant duodecim Religiosi. Vide num. 88.). Et juxta plures declarationes sacræ Congregationis etiam ecclesias parochiales Sæcularium, quæ subduntur Regularibus, et ubi parochus est Religiosus, qui, si delinqueret etiam circa suum officium, non potest ab Episcopo puniri. Sed non obstante nunc præter Bullam Gregor. XV. *Inscrutabili* a Bened. XIV. declaratum atque definitum est in Bulla *Cum nuper* edita 8. Nov. an 1751. hujusmodi subjectos esse Episcopo *in his quæ vel ad ipsum spectant exercitium curæ animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent*. Sed fusius idem Bened. XIV, de hac re agit in quadam Bulla peculiari *Firmandis*, edita die 6. Novemb. 1744. ubi plura statuit. Quod parochi regulares omnimode subsunt jurisdictioni, correctioni et visitationi Episcopi, in iis quæ concernunt curam animarum et proprios mores. 2. Quoad visitationem localem, possunt visitari altari in quo ss. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, sacrum tabernaculum, fons baptismalis, confessionale in quo residet parochus, pulpitum e quo parochus concionatur, sacrarium ad inspiciendam sacram supellectilem, sepulcrum parochianorum, eorumque cæmeterium, turris campanaria, si adsint ibi campanæ parochiales, et omnia sacra vasa. 3. Quoad personalem, debent scrutari vitam ac mores curati, quatenus ea quæ extra claustrum prodierint · item examinare an titulo legitimo eam curam exerceat, an resideat, an ad Synodum vocatus iverit, an conferentias casuum conscientiæ habeat frequenter, an onera curæ adimpleverit, an Missam pro populo applicaverit, an festis diebus concionatus fuerit, etc., an vacet confessionibus audiendis, an ægrotantibus assistentiam præstiterit, an pueros ante Confirmationem et Communionem instruxerit, an de matrimonii impedimentis inquisiverit, et an sponsi in rebus Fidei sint edocti, et an recte ordinatos habeat libros parochiales. 4. Quod licet Superiores regulares non possint deputare aliquem ad curam sine Episcopi approbatione, possunt tamen eum removere illo inscio, et ita pariter Episcopus potest cura illum privare sine consensu Superioris, si id justa causa expostulet, etc. Potest etiam visitare ecclesias adnexas, et subditas monasteriis, si earum administratio sit penes parochos sæculares, prout pluries declaravit s. Congreg. apud Bellarminum et Barbosam excipe, si incorporatæ

(1) Vide Salmant. tr. 18. c. 3. §. 4. per totum. (2) Ferr. bibl. v. confessarius a. 4. n. 8. — (3) Idem loc. cit. n. 10.

essent monasteriis, aut nullius esset diœcesis. Possunt præterea Episcopi visitare confraternitates Sæcularium fundatas in monasteriis, sed dumtaxat quoad administrationem bonorum, non quoad altaria, ut ex Trid. *sess.* 25. *c.* 20., et ex pluribus Decretis sacræ Congregationis. Excipiuntur insuper illæ quarum Præfectus est Religiosus ex privilegio Gregorii XIII., cui nulla contraria consuetudo potest obstare (1).

80. Quæritur tertio utrum Episcopi possint visitare claustra monialium exemptarum? Negant Salmanticenses cum Navarro Sanchez Bonac. Pelliz. etc. ex *c. Periculoso de statu Monach. in* 6., ubi cura claustri Monialium exemptarum manifeste conceditur Superioribus regularibus. Neque obstat (ut aiunt) Tridentinum, *sess.* 25. *cap.* 5., ex quo contendunt patroni adversæ sententiæ, Episcopos esse delegatos apostolicos quoad claustrum Monialium exemptarum, cum ibi statuatur ut ipsi curent, ut restituatur aut conservetur claustrum *in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicæ auctoritate*. Etenim respondent, quod pro illo *in aliis*, etc., non intelligantur monasteria Regularibus subjecta, sed subjecta immediate Pontifici, quod asserunt declaratum fuisse per Pium V. in sua Bulla *Circa pastoralis*: eo magis quia Concilium in loco prædicto renovat, non revocat citatum textum *Periculoso*. His non obstantibus contraria sententia amplectenda est cum Barbos. Gavant. Lezan. etc., quia, licet non obstaret Tridentinum, nihilominus obstat equidem Bulla Gregorii XV. *Inscrutabilis* anni 1622., in qua dictum fuit, 1. Ut Regulares nequeant destinare alium ad audiendas Monialium confessiones, præter eum, qui fuerit approbatus ab Ordinario (et in hoc animadvertendum est quod præterea statuit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis* die 5. Augusti 1748, confirmans Bullam, *Apostolici ministerii*, Benedicti XIII; quod scilicet si regularis Superior negligeret assignare saltem semel in anno confessarium extraordinarium, aut sæcularem, aut alterius Ordinis, quemadmodum Pontifex præcepit, possit illum assignare diœcesis Episcopus). 2. Statuit Gregorius XV., ut administratores monasteriorum dictarum Monialium debeant rationem reddere Episcopo administrationis bonorum. 3. Ut Episcopus valeat removere confessarium, aut alium administratorem monasterii, si Superior monitus illum non removeat. 4. Ut Episcopus præsidere possit electioni Abbatissæ. Ac quinto specialiter fuit statutum, ut Episcopus possit corrigere et punire, veluti delegatus apostolicæ Sedis, eos omnes qui aliquid admittunt adversus clausuram Monialium, etiam exemptarum. Placet hic adnotare verba Bullæ: *Tam sæculares, quam Regulares nullis privilegiis tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo tamquam ad hoc Sedis apostolicæ delegato, puniri et corrigi valeant* (2). Et ibidem refert Barbosa Decretum quoddam sacræ Congregationis, ubi statuitur, quod nullimode possit impediri Episcopis, quin visitent monasteria exempta, et Regularibus subjecta quoad observantiam clausuræ; et qui præsumit impedire, post tertiam monitionem incurrit excommunicationem ipso facto ex Clem. *Attendentes, de statu Mon.* (3). Præterea hoc in loco adnotandum est, quod Clemens X., et Clemens XII. præceperunt, ut observaretur Bulla Gregorii XV. *non obstante quacumque contraria consuetudine*.

81. Quæritur 4. utrum Episcopi exigere queant a Regularibus ratio-

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 31. ad 36.

(2) Vide Barbosam de potest Episc. All. 102. n. 7. et Salm. tr. 18. c. 3. n. 37. ad 39. — (3) Vide de Alex. de Monial. c. 6. §. 4. q. 3.

nem hæreditatis relictæ cum onere Missarum, aut legatorum satisfaciendorum sæcularibus? Videntur posse, ex eo quod eruitur ex Tridentino, *sess.* 22. c. 8., ubi præbetur Episcopis potestas visitandi omnia legata pia, non obstante quocumque privilegio in contrarium. Et dicunt Salmanticenses, quod ex hoc recte sententia ista redderetur probabilis. Sed ipsi deinde id negant ob multa privilegia Regularibus concessa, præsertim per Pium V., in quibus declarantur exempta Religiosorum bona a quacumque Episcopi jurisdictione, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus apostolicis et Conciliis(1).

82. Quæritur 5. utrum Episcopus in alia causa possit procedere criminaliter contra Regulares? Dictum est Regulares exemptos esse ab Episcoporum jurisdictione, præterquam in casibus in jure expressis. Præter id quod spectat ad Missarum celebrationem et clausuram Monialium, in duobus aliis casibus possunt ex Tridentino Episcopi contra eos procedere. 1. Si Regularis aliquis patraret delictum, degendo extra monasterium, Trid. *sess.* 6. c. 3. Sed hoc intelligitur eorum respectu, qui permanenter extra monasterium habitant, non vero quoad illum Religiosum, qui extra maneret causa confessionum excipiendarum, aut concionandi, aut alterius negotii ad tempus; aut incoleret pagum, aut locum alium dependentem a monasterio ob negotia religionis. Sed hic oritur dubitatio, utrum possit Episcopus punire illum delinquentem, qui habitaret alium locum ob longum tempus ex licentia sui Superioris? Alii affirmant, veluti Tambur. Barbosa Lezana etc. pluribus innixi declarationibus S. Congr. Alii quæmadmodum Salmanticenses cum Sanchez Sylvest. Peyrino Bordono etc. negant ex c. *Ex Rescripto de jurejur.* ubi dicitur, quod qui manet extra monasterium ex licentia Superioris, judicetur in monasterio manere. Quare aiunt, quod tam Concilium, quam prædictæ declarationes vigere intelligantur in eos qui extra monasterium morantur sine licentia, aut in loco adeo remoto ab eorum Superiore, ut puniri non possint, nisi post longissimum tempus(2).

83. Secundus casus est, cum Religiosus, etiam degens in monasterio, extra illud delinqueret cum publico populi scandalo, et Superior eum non puniret. Trident. *sess.* 25. *cap.* 14. Et quia Superiores quidam transmittebant hujusmodi delinquentes extra diœcesim, ut immunes essent a pœna, statuit Clemens VIII. anno 1596. in Bulla *Suscepti oneris*, ut in tali casu, instante Episcopo, Superior infra tempus ab Episcopo præscriptum revocare debeat delinquentem, et punire, alias possit eum castigare Episcopus loci, quo ipse transmissus est (3). Adnotant deinde Salmanticenses cum aliis 1. ut hujusmodi Concilii Decretum vigere debeat cum delictum est notorium etiam facti publicitate. 2. Ut non valeat adversus Superiores delinquentes, qui in odiosis non includuntur sub nomine Regularium, quemadmodum ait Concilium 3. Ut Episcopus procedere non possit, nisi postquam pluries monuerit Superiorem, ut delinquentem puniret, et ille neglexerit. Si tamen Episcopus delinquentem in actuali delicto interciperet, potest illum capere (sicut dictum fuit), sed ut statim eum transmittat ad Superiorem; et quando crimen fuisset gravis scandali, potest etiam eumdem retinere in carcere, ut transmittat infra 25. saltem horarum spatium. Superior deinde præbere Episcopo debet sufficientia argumenta sequutæ punitionis, Episcopus, licet capere possit summariam informationem, ut eam ad Superiorem transferat, non potest tamen judicium efformare processum adversus reum: sed si forte efformasset, probabile est eo Superiorem uti posse

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 40. ad 42 (2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 40. ad 46. — (3) Salm. Ibid.

ad procedendum in suum Religiosum, ut aiunt Salmanticenses cum aliis (1).

84. Secundo. Regulares privilegium habent exemptionis a contributione Decimarum. Arrepta occasione, opportune hoc in loco adnotantur quædam circa Decimas. Decimæ dicuntur illa fructuum portio, aut industriarum personalium quæ a fidelibus tribuenda est Ecclesiæ ministris, pro eorum sustentatione. Revera Decimæ debentur ex jure divino naturali; sed quoad quantitatem, id est decimam partem, sunt ex jure ecclesiastico, cum cessaverit jus antiquum divinum ut judiciale. Hinc fit 1. Pontificem posse quemlibet eximere ex onere decimarum; Pontificem, inquam, non Episcopos: ipsi dumtaxat possunt ex Trident. *sess.* 21. *c.* 5. 6. *et* 7. applicare decimas unius loci ad alium, et unire ac separare beneficia (2). Infertur 2. quod consuetudo rite potest aliquos eximere a solvendis Decimis, dummodo remaneat id quod sufficit ad congruam Ecclesiasticorum sustentationem; sed hujusmodi consuetudo præscriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licet ab initio, nec titulus, nec bona fides interfuerint: ad præscriptionem deinde (accipiendo vocem prout sonat præscriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cum titulo; sine autem titulo requiritur tempus immemorabile. Pro futuris Decimis fieri potest compositio: sed etiam solummodo a Pontifice non ab Episcopo, nisi fieret inter unam et aliam ecclesiam. Dictum est pro futuris, quia præteritas remittere potest etiam ille, cui debentur (3).

85. Olim Decimæ debebantur, ut dictum est, non ex fructibus bonorum, quam ex personarum industria. Sed juxta præsentem consuetudinem pene universalem solvuntur solum ex fructibus bonorum tam stabilium, quam mobilium, juxta *cap. Non est, de Decim.* Et debentur ex fructibus integris non deductis expensis et oneribus contributionum, ut ait s. Thom. (4) et alii communiter ex c. *Cum non sit, de Decim.* (5).

86. Decimæ præterea solvi debent ab omnibus fidelibus, etiam a principibus, sed non a pauperibus: isti tamen, nisi sint in extrema necessitate, sed solum in gravi, si pervenirent ad meliorem fortunam, tenentur solvere præteritas Decimas, ut dicunt Suarez Layman Castr. et alii, cum Salm. (6). De jure autem communi tam clerici quam Religiosi, et etiam parochi tenentur solvere Decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum Ordinationis, non autem bonorum beneficialium, ut docet d. Th. (7). Quoad eos vero, qui deficiunt a solvendis Decimis, hæc statuit Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Reform. Qui vero eas (decimas) aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur* (8).

87. Sed quidquid sit de jure antiquo, hodie ex multis privilegiis pontificiis omnes regulares, etiam Moniales cujuscumque Ordinis (et etiam Equites hierosolymitani) eximuntur a Decimis non solum personalibus, sed etiam stabilium, tam propriorum (etsi colantur a colonis), quam conductorum, aut emphitheuticorum (9). Si tamen transeunt ad Regulares bona prius subjecta Decimis, tenentur ad illas, uti constat ex pluribus Decret. Sacræ Congregationis Rotæ apud Pignatelli (10).

88. Tertio. Olim Regularibus vetitum erat, ne nova ædificarent monasteria aut derelinquerent ædificata sine expressa licentia Summi Ponti

(1) Ib. n. 50. et 51. — (2) Ib. n. 52. et 54. — (3) Ib. n. 55. (4) 2. 2. q. 87. a. 2. ad 4. — (5) Salm. tr. 18. c. 3. n. 58. — (6) Salm. tr. 18. c. 3. n. 59. — (7) Loc. cit. a. 4 in corp. et ad 1. ex c. si quis Laicus 16 q. 1. — (8) Salm. 1. 62. — (9) Ib. n 72. ad 79. — (10) Pignat. t. 1. cons. 353 et t. 8. n. 9.

ficis *cap.* 1. *de Excess. Prælat. in* 6. ex *cap. un. de Bel Dom. in* 7. Tractu deinde temporis obtinuerunt diversa privilegia ; sed hæc omnia anno 1624. limitata fuere ab Urbano VIII. in Bulla *Romanus Pontifex*, ubi statutum fuit, non posse acceptari nova monasteria, nisi observata forma Canonum Tridentini, et Bullæ Clementis VIII. *Quoniam ad instituendam*. Quare hodie ad fundandum novum monasterium tria requiruntur. 1. Licentia Episcopi. Utrum vero requiratur etiam licentia Pontificis alii affirmant, ut Barbosa Tamb. Pelliz. ex Declaratione S.C.: negant vero Salm. cum Lezana Suarez Rodriquez et aliis. 2. Ut adsit consensus eorum, quorum interest, et præsertim omnium monasteriorum existentium intra quatuor milliariorum spatium, aliter Episcopus concedere non potest dictam licentiam, nisi quando illi injuste contradicerent (1). Carmelitæ tamen privilegium habent, ut alii ordines fundare non possint, ubi ipsi habent monasterium infra spatium 560. ulnarum Florentinarum, et Minores infra spatium 1200. ulnarum, etc. Contra Minim et Jesuitæ privilegium habent fundandi in locis etiam non remotis intra spatium 560. ulnarum prædictarum. Et in omnibus his privilegiis conceditur communicatio. At prædicta privilegia circa ulnas juxta consuetudinem non intelliguntur quoad monasteria quæ fundantur in civitatibus (2). 3. Requiritur, ut novum monasterium possit commode reditibus, aut eleemosynis sustentare duodecim Religiosos ; sufficit tamen, ut adsit intra breve tempus probabilis spes prædictæ sufficientis sustentationis. Quod si monasterium (intelligitur de monasteriis fundatis post citatam Bullam Urbani VIII. emanatam anno 1624.) non valeret sustentare duodecim Religiosos, qui revera in illo non habitarent, statutum fuit per sacram Congr. plu-

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 124. ad 131. — (2) Ib. n. 137. ad 140.

ribus Decretis, confirmatis a Greg. XV. et Urbano VIII. ut hujusmodi monasterium omnino subjectum esset Episcopo per hæc verba ; *Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni talia monasteria erecta absque eo, quod* 12. *fratres in eis valeant habitare, et de facto habitent, subjecta esse intelligantur* (3). Eædem conditiones requiruntur in fundandis Monialium monasteriis. Et advertendum hic quod ex Tridentino et S. C. prohibetur, ne fundentur Monalium monasteria extra habitatum (4).

89. Prædictæ conditiones non requiruntur in fundandis hospitiis Religiosorum, ut notant Peyrinus Tamb. etc., saltem (ut limitat Lezana) si ibi non recipiant Missas, et non habeant ecclesiam (5). Neque requiruntur in translationibus monasteriorum, quæ possunt fundari (ut probant Salmanticenses cum Nav. Barbosa Peyrino Lezana etc.) sine consensu Pontificis, Episcopi, vel aliorum monasteriorum; dummodo translatio non afferat iis præjudicium : etenim dicunt, quod jam antea habebant tale privilegium a pluribus Pontificibus concessum, et quod illud limitatum est tantum quoad novas fundationes, quales non vocantur translationes monasteriorum ex uno situ ad alium commodiorem ejusdem terræ (ut intelligitur), aut prope illam, derelinquendo antiquum monasterium. Et in tali casu Religiosi retinent omnia bona, et jura monasterii derelicti (6). Possunt præterea Religiosi ex concessione Urbani VIII. et innoc. VIII., quando deficerent reditus, et eleemosynæ unius monasterii, illud unire et incorporare alteri (7). Insuper possunt ad libitum redire ad monasteria derelicta, dummodo redditus non afferret aliquod no-

(3) Salm. tr. 18. c. 3. n. 129. et 130. — (4) Ibid. n. 138. — (5) Ib. n. 132. — (6) Ib. n. 133. ad 134. — (7) Ib. 150.

vum præjudicium aliis monasteriis (1). Possunt insuper Generales religionum superiores ex concessione Sixti IV. et ejusdem Urbani VIII. supprimere monasteria miserabilia, transferendo eorum bona ad majora monasteria. Adnotetur hic, quod monasteria concessa ab universitatibus, cum derelinquuntur, in manu Ordinarii derelinqui debeant ; at si propriis reditibus, et eleemosynis ædificata fuerint, remanent in dominio Religiosorum, ut de iis possint libere disponere (2).

90. IV. Regulares habent privilegium eligendi judicem conservatorem qui judicet de omnibus illis casibus, in quibus Religiosi sunt rei, et etiam in quibus sunt actores, sed quando sunt actores, solum propter injurias et manifestas violentias ipsis irrogatas (3).

91. V. Regulares habent privilegium admittendi eos omnes qui volunt sepeliri in eorum ecclesiis. Adnotamus hic præcipua quædam circa sepulturam, de qua fusius tractant Salm. (4). Quicumque ad pubertatem pervenerit, sibi eligere valet sepulturam ubicumque, etiam Episcopi ; nisi autem illam sibi eligant, sepeliri in cathedrali debeant (5). Religiosi tamen debent sepeliri in monasterio, etsi morentur extra illlud, dummodo locus non esset nimis remotus. Novitii valent sibi eligere sepulturam extra monasterium; quod si non faciant, sepeliri debent in illo, licet obirent, dum alia in domo manerent ex licentia sui Superioris (6). Idem intelligitur quoad commensales, et familiares, qui actu serviunt, et resident in monasterio sub obedientia Superioris. Et hi valent recipere omnia Sacramenta a Religiosis, Baptismo excepto, et matrimonio (7). Gravissimas incurrunt pœnas clerici et Religiosi inducentes alios ad promittendum juramento, voto, aut fide data,

(1) N. 148. — (2) Ib. n. 147. — (3) Ib. a. n. 152. ad 178. — (4) Ib. punct. 6. — (5) Ib. n. 186. — (6) N. 187. — (7) Ib. n. 188. 214. et 215.

se electuros sepulturam in propria ecclesia (8). Privandi sunt sepultura, qui moriuntur impœnitentes, et publice constat non fuisse confessos in anno, nec communicasse paschali tempore, et ita etiam hæretici, excommunicati, qui sibi ex ira mortem intulerunt, se deinde pœnitentiæ judicia non præbuerint, uti habetur in Rituali romano : *Peccatores publici cujuscumque peccati, et qui moriuntur in flagranti crimine* (*ut ex cap. Fures, de furto*) nullo dato signo pœnitentiæ; etenim tunc præsumuntur et in peccato obiisse, ut dicunt communiter dd. cum Rituali, quidquid dicant Lezana et Sancius (9). Qui hujusmodi defunctos sepelit, lethaliter peccat ; et qui sepelit hæreticum, aut hæreticorum fautorem, aut publice excommunicatum, aut usurarium, etiam excommunicationem incurrit ; et hujusmodi defuncti, si fieri possit, ex sepultura extrahendi sunt. Cæterum nemo sepultura privandus in quocumque casu sine sententia Episcopi, aut Superioris, si cadaver est Religosi (10).

92. Sed ad rem nostram, ad Regulares videlicet, redeamus. Plura sunt notanda. 1. Quilibet clericus, aut Sæcularis sibi eligere potest sepulturam in ecclesia Regularium. Et quando aliquis haberet sepulturam suorum Majorum in illa, et non elegisset aliam ecclesiam, possunt Regulares illic eum sepelire (11). 2. Parochi qui in associatione ad ecclesiam Regularium plus exigunt, quam exigerent in sepeliendo defunctos in parochia, ut retraherent fideles ab eligenda alibi sibi sepultura, papalem excommunicationem incurrunt, ex Bulla Clementis VIII. apud Salmanticenses ; et licet Bulla edita fuit pro Indiarum parochis, tamen Lezana Peyrinus et Salmanticenses cum aliis intelligunt eam editam fuisse universaliter pro omnibus (12). 3. Cum sepeliendus est defunctus in Regula-

(8) Ib. n. 191. — (9) Salm. tr. 18. c. 3. n. 199. — (10) N. 202. et 204. — (11) Ib. n. 205. — (12) Ib. n. 206.

rium ecclesia, debent ipsi vocare et attendere parochum; sed si ille renuit venire, aut nimis moratur, possunt ipsi extollere cadaver, et illud in suam ecclesiam asportare; ita communiter Barbosa Lezana Peyrinus et alii cum Salmanticensibus, ex pluribus Decretis S. C. (1). Officium supra cadaver tum celebrandum est, non a parocho, aut canonicis, sed ab iisdem Regularibus. Nec parochus exercere potest ullum actum in eorum ecclesia, nec cogere hæredes ad celebrandas Missas, aut earum partem in parochia, ex pluribus Decretis etiam S. C. Et idem observandum est etiam pro Monasteriis Monialium exemptarum (2). Adnotandum tamen, in Monialium ecclesiis sepeliri non posse laicos sine licentia S. C. dummodo aliquis non haberet in eo jus sepulturæ (3).

93. Quæritur utrum Regulares teneantur ad solvendam canonicam portionem Ordinario, aut parocho? Alia est portio canonica *episcopalis*, et est illa, quæ debetur Episcopis pro omnibus donationibus *causa mortis*, et pro legatis ecclesiis relictis, aut locis piis eorum diœcesum; ut ex Clem. *Dudum, de sepult.* Hæc portio quandoque fuit tertia, quandoque quarta pars; et Innocentius III *cap. Requisitis de Testam.* statuit, ut quoad quantitatem attenderetur consuetudo (4). Alia est *parochialis*, quæ proprie vocatur *quarta funeralis*, et est illa portio, quæ Parocho debetur ex funeralibus, legatis piis, et omnibus, quæ perveniunt ad ecclesiam, in qua sepeliendum se defunctus statuerat. Et ista etiam fuit diversa, sed quoad eamdem etiam consuetudo attendenda est (5).

94. Sed quoad Regulares, eximuntur a solvenda portione episcopali eorum monasteria tam hominum quam fœminarum, ex *Extravaganti inter cunctas*, §. *Quibuscumque, de privilegiis*, et ex aliis privilegiis apud Salmanticenses (6). Quo vero ad *quartam funeralem* ex jure communi olim Regulares tenebantur ad illam solvendam; sed hodie attentis eorum privilegiis, et Trident. *sess.* 25. *c.* 13. et Bulla Pii V. *Etsi Mendicantium*, anni 1567., tenentur ad illam solvendam ea monasteria dumtaxat, quæ ultra 40. annos, antequam Concilius confirmaretur, solebant solvere: ita probant Salmanticenses cum sententia communi, et pluribus Decretis S. C. ex multis privilegiis pontificiis, et præsertim Sixti IV., qui imposuit pœnam excommunicationis et privationis beneficiorum parochis, qui vellent exigere prædictam *quartam* (7). Excipiuntur tamen illa monasteria, quæ solverent præfatam *quartam* ex contractu inito, aut ex consuetudine immemorabili (8).

PUNCTUM II.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM IN PARTICULARI.

95. 96. *et* 97. *I. De facultate absolvendi subditos a casibus et censuris.*
98. *De reservatione casuum, etc.*
99. *De facultatibus quoad Sæculares.*
100. *Utrum Regulares possint absolvere a casibus Episcopis reservatis a jure, vel consuetudine.*
101 *Utrum a casibus papalibus.*
102. *Utrum in itinere, aut ex bulla Cruciatæ, etc.*
103. *Utrum confessarii regulares possint denuo examinari ab Episcopo.*
104. *et* 105. *II. Circa dispensationem in irregularitatibus.*
106. *III. De dispensatione in præceptis ecclessiasticis, etc.*
107. *IV. Circa officium divinum.*
108. *V Circa dispensationem votorum, et juramentorum.*
109. *Circa votum castitatis conjugum, et sponsorum.*
110. *VI. De privilegio Religiosorum, novitiorum, et famulorum confitendi cuicumque sacerdoti, etc.*
111. *De Religiosis peregrinantibus.*
112. *Utrum in jubilæo, etc.*

(1) Ib. n. 208. et 209. — (2) Ib n. 212 et 213. — (3) Vide opus nostrum l. 6. n. 62. — (4) Salm. tr. 18. c. 3. n. 216. — (5) Ib. n. 218.

(6) N. 217. — (7) Salm. tr. 18. c. 3. a n. 218. ad 228. — (8) Ib. n. 229. ad 233.

113. *ad* 116. *VII. Circa Ordinum receptionem.*
117. *ad* 120. *Circa Ordinum collationem.*
121. *et* 122. *Circa celebrationem Missarum.*
123. *Circa Communionis ministrationem.*
124. *ad* 128. *Circa coronandum.*

95. 1. Quoad facultatem, quam habent Superiores regulares circa absolutionem casuum reservatorum, et censurarum, oportet hic distinguere potestatem erga subditos ab illa, quam habent erga sæculares. Sub nomine *Superiorum regularium* veniunt non solum generales et provinciales, et eorum Vicarii subrogati in eorum locum, sed etiam omnes locales Superiores, ut Priores, Guardiani, rectores, et etiam eorum Vicarii, quando ipsi absunt, saltem per integrum diem. Ita communiter doctores (1) ex *cap. Abbatis, de privileg. in* 6. Omnes isti absolvere possunt suos subditos primo ab omnibus casibus et sensuris non reservatis Pontifici, licet fulminatæ essent *ab homine* per specialem sententiam, ut dicunt Salmanticenses cum Lezana Candido Pelliz. etc. ex privilegiis Pauli V., Sixti IV. et Eugenii IV. (2). Et id quod currit pro professis, valet et pro novitiis, ita ut iidem absolvi possint a Superioribus regularibus a casibus Episcopis reservatis incursis, non solum post ingressum, sed etiam ante, ut dicunt Salmantic. cum Bonac. Pelliz. etc. et p. Mazzotta cum Sanchez Tamb. etc. (3). Et idem dicunt Salmantic. et Mazzotta cum Peyrino et Tamb. (4) quoad illos qui proximi sunt, qui recipiantur, v. g. si manent in probatione in monasterio, ut assumant habitum, et id ex Bulla Clementis VII. relata a Candido Rodriq. et a Salmant. (5) in qua fuit concessum Provincialibus regularibus, et eorum Vicariis, aut aliis deputatis absolvere novitios Ordinis ab omnibus casibus reservatis (exceptis illis *Bullæ Cœnæ*) incursis ante ingressum, et a censuris quæ illis sunt annexæ. His posset aliquis objicere Decretum Urbani VIII. allatum in opere nostro (6), in quo fuit statutum, quod per confirmationem privilegiorum obtentorum a Regularibus post Tridentinum non intelligebantur rursus concessa ipsis privilegia ipsis ablata tam a Concilio, quam a S. C. absolvendi a casibus reservatis Ordinario. Multipliciter respondent Salmanticenses huic oppositioni loco citato; sed eorum responsiones non suadent, ut diximus in opere (7) Responsio congruentior videtur esse ita scilicet quod Decretum Urbani loquitur de Sæcularibus, sicut etiam loquebatur propos. 12. damnata ab Alexandro VII.; sed non de novitiis, qui in favorabilibus communiter a dd. reputantur ut Religiosi; ita Sanchez Suar. Castrop. Lezana cum iisdem Salmant. (8), et aliis. Eo magis quia Clem. VIII. ita declaravit, et Diana (9) refert privilegium concessum Jesuitis (quod ex communicatione extenditur ad omnes religiones), quo possint communicare novitiis omnia privilegia Societatis. Excipiunt tamen Bonac. Pelliz. et Salmant. (10) casum, quo jam inceptum esset judicium Episcopi contra novitium, antequam intraret; quia tunc (ut aiunt) posset Episcopus eum extrahere et punire. Quod dictum est de novitiis, idem dicit p. Mazzotta loco citato cum Peyrino de familiaribus monasteriorum; dummodo *inibi sint quasi de familia; et continui commensales*, ut dicitur in Bulla *Superna* Clementis X.

96. Possunt secundo Regulares absolvere suos subditos professos, et novitios etiam; sicut superius dictum est (11), ab omnibus casibus papali-

(1) Ib. c. 4. n. 4. — (2) Ib. n. 2. — (3) Salm. tr. 15. c. 3. n. 87. et Mazzotta tom 3. de Res. Cas. cap. 2. quæst. 5. — (4) Salm. ibidem n. 88. et Mazzotta loco citato. — (5) Salm. tr. 20. de Censur. c. 2. n. 80.

(6) L. 7 n. 95. — (7) L. 7. n. 103. — (8) Salm. tr. 15. c 3. n. 85. — (9) Part. 3. tr. 2. Res. 73. — (10) Salm. L. c. n. 87. — (11) Vide opus nostrum l. 6. n. 593. v. eamdem in fine.

bus occultis eodem modo, quo Episcopi valent absolvere suos subditos ex *cap. Liceat*. Atque hoc ex privilegio Pii V. relato per extensum a Salmanticensibus, et p. Concina, confirmato a Benedicto XIII. in Bulla *Pretiosus* anno 1727., in qua fuit concess. Regularibus potestas absolvendi etiam a casibus *Bullæ cœnæ*, excepto relapsu in hæresim, falsificatione litterarum apostolicarum, et translatione rerum prohibitarum ad infideles. Ac obiter hic notandum, quod in dicta Bulla fuit etiam concessa Generali Dominicanorum potestas dispensandi ab irregularitate ob homicidium commissum a subditis, dummodo patratum non fuerit data opera, et secutum intra claustra monasterii (1). Sed postquam hæc scripsi, invenio quod Clemens XII. in Bulla *Romanus*, edita die 30. maii 1732., revocarit omnes litteras et constitutiones cum omnibus privilegiis et facultatibus concessis a Benedicto XIII., omnia reducendo ad primævum statum, ac si præfatæ confirmationes nunquam emanatæ fuissent. Insuper hic notandum quod facto dubio, an revocatio privilegii pro Regularibus absolvendi in hæresim lapsos indicta a Tridentino intelligenda tantum esset respectu aliorum, non autem Religiosorum : S. C. decrevit intelligi respectu omnium, ut refert p. Ferraris (2).

97. Possunt tertio Regulares absolvere suos subditos ab excommunicatione ob percussionem etiam gravem et enormem, et publicam, inflictam non solum Religiosis ejusdem Ordinis, sed etiam alterius, et etiam clericis sæcularibus Castrop. Ronc. Salm. et Croix ex privilegiis Bonifacii IV. et Clementis VIII. Atque hic adnotandum, quod si percussio sit levis, aut occulta, Religiosus percussor (si velit) potest petere absolutionem etiam ab Episcopo, sed obtenta sui Superioris licentia (3) Dictum est *subditos*, quia nequeunt absolvere Sæculares, cum hic casus limitatus sit Regularibus intra Italiam, et extra Romam a Clemente VIII, ut mox dicetur *n.* 99.

98. Adnotandum hic præterea, Superiores regulares ex concessione Clementis VIII. posse, si ipsis expediens videtur, reservare undecim casus, sed non plures sine concensu Capituli generalis, aut saltem provincialis pro provincia. Casus ab ipsis reservabiles adnotati sunt *Tr. 16. n. 130*. Si autem Superior deneget licentiam, et utrum pro prima vice possint Religiosi absolvi a reservatis ? vide ibidem *n.* 134.

99. Quoad vero Sæculares, olim Mendicantes gaudebant privilegio, quo poterant absolvere Sæculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice, quam ab Episcopis. Sed deinde Decreto Clementis VIII. anni 1602., confirmato a Paulo V. anno 1617., et Urbano VIII. anno 1627., limitata fuit prædicta potestas, et statutum fuit, ne Regulares existentes extra Romam, et intra Italiam, possint absolvere Sæculares nec a casibus *Bullæ Cœnæ*, nec ab aliis sex sequentibus, Scilicet 1. A percussione clerici. 2. A duello. 3. violatione immunitatis. 4. a violatione clausuræ monasteriorum Monialium ob pravum finem. 5. A simonia confidentiali in beneficiis ; et denique ab omnibus casibus, quos sibi reservant Episcopi. Itaque tam ex dicto Decreto Clementis VIII. quam etiam ex Bulla Gregorii XIII. *Cum a Sacra*, et præsertim ex propositione 12. damnata per Alexandrum VII. quæ sic se habebat : *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate* ; hodie non est in dubium revocandum (quidquid aliqui dicant) quin Sæculares absolvere non possint a casibus ab Episcopis reservatis (4). Ita neque

(1) Ib. lib. 7. n. 101. — (2) Ferrar. bibl. verb. Absolvere. — (3) L. 7. n. 107.

(4) Vide. l. 6. n. 599. v. certum est. et l. 2. 95.

possunt absolvere Sæculares a sex casibus Clementis, et si occulti sint, contra p. Vivam ; potestas enim, quam Regulares habent ex Bulla S. Pii V. relata *n.* 96., qua possunt absolvere casus occultos, quam habent Episcopi ex *cap. Liceat*, est solum respectu suorum Religiosorum, non autem Sæcularium. Id tamen probabile judicamus cum p. Viva Comitolo, et aliis quibus adhæret etiam p. Concina, scilicet quod Regulares possint absolvere a casibus, quos sibi in Synodo Episcopus reservavit, sed deinde non expressit illos in tabella, quia tunc præsumitur se voluisse concedere potestatem ab iis absolvendi omnibus confessariis, modo ab ipso approbatis (1).

100. Dubitatur 1. utrum Religiosi possint absolvere Sæculares a casibus non reservatis sibi ab Episcopis, sed *in jure*, aut ex consuetudine reservatis Episcopis, ut sunt abortus fœtus animati, et alii adnotati *n* 46. Negant Viva Bord. Cabassut. Milante et alii, eo quod (ut aiunt) in Decreto Pauli 5. et Urbani VIII. prohibetur Regularibus absolvere laicos a casibus Episcopis reservatis : *A casibus eisdem Ordinariis reservatis* sunt verba Urbani. Nihilominus probabilius affirmant Conc. La-Croix Spor. Salmant. Lezana Sanch. cum multis aliis, quibus adhæret etiam (se retractans) p. Viva *in sua Morali*. Ratio est, quia citata verba Decreti Urbani (et idem Decreto Pauli V.) intelligenda sunt de casibus, quos Episcopi sibimet reservant : cum talia Decreta, ut diximus *n. præc.*, sint confirmativa Decreti Clementis VIII. in quo fit mentio tantum casuum, qui sibi ab Episcopis reservantur ; *Nec a casibus* (hæc ait Clemens) *quos Ordinarii* reservarunt, aut in posterum *reservabunt*. Eo magis, quia ut ait p. Suarez, casus reservati Episcopis, *in jure* debeant potius dici delegati Episcopis, quam reservati. Sed animadvertendum id non valere quoad percussionem clerici, nec quoad omnes alios casus, quos sibi Ordinarius reservaret ; etenim quoad istos, sublata fuit omnis facultas Regularibus, ut dictum est *n. præced.* (2).

101. Dubitatur 2. utrum Regulares absolvere valeant Sæculares a casibus papalibus ? Negant pauci quidem, id est Viva cum Bordone et Florino, et iisdem Decretis Pauli V. et Urbani VIII., quibus etiam vetitum fuit Regularibus absolvere a casibus reservatis Sedi apostolicæ : at communisime et probabilius affirmant Bonacina Aversa Salmant. Pelliz., Rodriquez Potestas Peyrinus et ipse Viva in sua Morali (licet id affirmet solummodo quoad casus papales occultos) ex privilegio Pauli III. concesso anno 1545. Jesuitis, quo dictum fuit, quod possent absolvere Sæculares *ab omnibus peccatis etiam Sedi apostolicæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ*. Nec obstant prædicta Decreta Pauli V. et Urbani VIII. quia illa (ut dictum est *n. anteced.*) intelliguntur de casibus Clementis VIII. (quos supradicti Pontifices confirmare voluerunt) in quo solum casus *Bullæ cœnæ* et sex alii excepti fuere. Animadvertendum autem est, hanc potestatem valere tantummodo quoad forum internum (3). Observetur præterea, quod dictum est *n.* 31. de Abbatibus habentibus quasi episcopalem jurisdictionem.

102. Adnotandum hic, quod olim confessarii regulares ex concessione Gregorii XIII. et Eugenii IV., in itinere poterant excipere confessiones, non modo subditorum diœcesis, ubi approbati erant, sed cæterorum omnium. Et ex Bulla *Cruciatæ*, cum approbarentur in uno loco, erant approbati pro omnibus (4). Innocentius autem X. deinde statuit, ne Regulares possent excipere confessio-

(1) N. 100.

(2) N. 99. — (3) Lib. 7. n. 96. et 97. — (4) Ita apud Salm. tr. 18. c. 4. n. 71. et 72.

nes alicubi sine loci Ordinarii licentia, etiamsi haberent privilegium *Cruciatæ*, ut declaravit Innocentius XII. in Bulla *Cum sicut*, anno 1700 (1).

103. Animadvertendum præterea est, quod olim ex *Clem. Judum de sepult.* Regulares approbati absolute semel ab Ordinario, non poterant obligari, ut denuo examinarentur. Attamen s. Pius V. in *Extrav. Romani Pontificis*, dixit, quod Episcopus successor *pro majori quiete suæ conscientiæ* posset rursus illos examinare. Sed postea Gregorius XIII. in sua Bulla *In tanta negotiorum, etc.* (relata a Navar. in fine sui Manualis) ad tollendas lites exortas circa Regulares, revocavit omnes Declarationes s. Pii, et præsertim hanc concernentem approbationem confessariorum regularium; revocavit, inquam, ad statum pristinum dispositionis Tridentini, quod *sess.* 23. *cap.* 15., nihil aliud exegit quoad Regulares, nisi ut approbarentur ab Ordinario. Hinc inferunt multi dd., ut Aravius Dicastillus Villalobos Delbene, etc. apud Salm. (2) quod Regulares approbatos examine ab aliquo Episcopo non possit denuo examinare successor. Attamen contrarium tuentur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resp.* 27 et Lezana Bos. Bordone et multi alii ex Decreto S. C. (relato a Lezana et Diana), quo fuit declaratum quod, non obstante Bulla Greg. XIII. posset Episcopus successor examinare approbatos ab antecessore, et hanc hodiernam esse Episcoporum praxim testantur Diana et ipsi Salm. Sed probabiliter dicunt Salmant. (3) cum Villalobos, quod tam ex Constitutione s. Pii, quam ex declaratione S. C. posset Ordinarius successor iterum vocare ad examen aliquem, aut aliquos Regulares, quos notitiam habet non esse idoneos; sed non potest edicto generali suspendere omnes confessarios regulares, usquedum denuo examinentur. Cæterum animadvertendum est, quod revocando generaliter Ordinarius omnes licentias non comprehendat Regulares, qui in odiosis non comprehenduntur nisi exprimantur (4). Animadvertatur insuper quod capitularis Vicarius *Sede vacante* non possit ad examen vocare Regulares ex privilegio iis concesso a Clemente IV. (5). Animadvertendum præterea, supradicta valere pro approbationibus concessis absolute, non tamen pro concessis ad tempus, e. g. ad sex menses, ut plerumque fit; cum certum sit ex Bulla Innocentii XIII. *Apostolici ministerii*, confirmata per Benedictum XIII. quod confesarii tam sæculares, quam regulares non valeant excipere confessiones extra locum, personas, et tempus præscriptum, quocumque privilegio non obstante. Vide *Tr.* 16. *num.* 75.

104. 2. De facultate Regularium dispensandi in irregularitatibus. Regulares valent ex privilegio s. Pii V. relato *n.* 96., confirmato a Julio II, dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt Ordinarii dispensare cum suis diœcesanis ex *cap. Liceat*, ut dictum est *n.* 29. Et idem possunt cum Sæcularibus, ut aiunt Suarez. Sanch. Pelliz. Sayrus Salmantic. Spor. Lezana etc. ex concessionibus Sixti IV., et prædicti Julii II. (6).

105. Possunt præterea Regulares dispensare cum subditis in quacumque irregularitate, aut ob delictum, aut ob defectum ex privilegio Martini V. (7). Itaque, ut ad particularia descendam, possunt Superiores dispensare cum subditis 1. In irregularitatibus ob homicidium non solum occultum, ut concessum fuit in Privilegio Martini V., sed etiam voluntarium notorium, ut dictum est *n.* 96, ex privilegio Benedicti XIII.

(1) Vide opus nostrum l. 6. n. 548. v. tertia et 549. — (2) Salm. tr. 18. c. 4. n. 119. — (3) Ib. n. 120.

(4) Ibid. n. 115. cum communi. — (5) Ib. n. 116. et vide Dianam p. 3. tr. 2 resp. 27. — (6) Lib. 7. n. 355. — (7) N. 355. et 396.

dummodo data opera patratum non fuerit, et consummatum intra claustra 2. Quoad defectum animæ possunt dispensare cum Religioso ad suscipiendum sacerdotium, licet ipse passus esset permanentem dementiam, si deinde medicorum judicio cessavit ejus periculum (1). 3. Quoad defectum corporis, ut si alicui pes, aut oculus deficeret, etiam sinister possunt dispensare, ut probant Salmant. (2) cum Bordone ex privilegio Sixti IV. Et in dubio possunt etiam declarare, defectum non obstare, ut possunt Ordinarii cum suis subditis (3). 4. Quoad defectum natalium, hæc irregularitas per se cessat religionem profitendo quoad id, quod spectat ad Ordinum susceptionem, ut habetur ex *c. de Fill. Presbyt.*; nam quoad dignitates necessaria est dispensatio. Sed ex pluribus privilegiis (ut dictum est *Tr.* 19. *n.* 87.) possunt dispensare cum suis omnes Superiores regulares Generales, Provinciales et etiam Priores (4). Quod vero inquit Sotus professione cessare quamlibet irregularitatem, id communius negatur (5). 5. Possunt dispensare in bigamia etiam vera ex privilegio Martini V.; ita Castropal. Pelliz. Macad. Salm. etc. (6). 6. In irregularitate etiam publica ob defectum lenitatis (7). 7. Et ultimo possunt Regulares dispensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus, et pœnis contractis ratione delicti, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci etc., etsi illæ reservatæ sint Pontifici, ut aiunt Suarez Sanchez Pelliz. et Salmantic. cum aliis ex privilegiis Sixti IV. Pii V. et Gregorii XIV. (8).

106. 3, Prælati regulares habent potestatem dispensandi cum suis subditis in præceptis ecclesiasticis, ut possunt Episcopi cum suis diœcesanis, ut diximus *Tr.* 2. *n.* 57. Etenim ipsi habent quasi episcopalem jurisdictionem, ut communiter docent dd. ex Clem. *Ne Romani de elect.* (9). Et ideo possunt probabiliter dispensare in omni eo, quod non est specialiter Pontifici reservatum, ut dictum fuit *præd. Tr.* 2, *n.* 58.; et præsertim in dubio, utrum res dispensatione indigeat, ut diximus (10). Possunt etiam dispensare cum causa (sicuti semper supponitur) in legibus pontificiis, cum latæ sunt pro aliqua provincia aut monasterio particulari, quia tunc præsumitur data hujusmodi facultas; aut cum talis est consuetudo, aut quando non potest facile recurri ad Superiorem: aut quando agitur de rebus parvi momenti quæ non obligant ad lethale peccatum, aut quæ frequenter accidunt, ut jejunia, abstinentia a carnibus, festorum observantia, recitatio officii; dummodo non dispensetur per longum tempus, ut dicunt Salmant. cum Cajet. Soto etc. Et idem valet quoad regulas religionis (11). Ita dicunt etiam Azor. Castr. Salm. Trull. Macado, etc. posse Superiores dispensare ad operandum diebus festis tam cum Religiosis, quam servis domesticis, sed non cum extraneis, qui alioqui possunt operari pro monasterio, si monasterium sit pauper, ut aiunt Silvestr. Fagund. et Salm. cum Pasq. Leandro et aliis (12). Vide quoad istud id, quod dictum fuit *Tr.* 6. *n.* 14.

107. 4. Quoad divinum officium notentur hic privilegia, quæ habent Regulares. 1. Leo X. concessit Religiosis ut possent recitare Horas privatim omnino mentaliter (Sed p. Ferraris *Bibl. v. Offic.* art. 3. *n.* 100. *et* 101. citans Spor. ait hoc privilegium esse adulterinum), præterea ut

(1) n. 400. in fine. — (2) tr. 40. de Cens. c. 9. n. 75. — (3) Vide opus nostrum l. 7. n. 414. circa fin. — (4) n. 354 et 426. vide etiam Salm. tr. 10. c. 9 n. 57. et tr. 18. c. 4. n. 28. cum Bord. Peyr. Lez Pell. etc. — (5) Vide Salm. tr. 10. c. 7. n. 58. — (6) vide opus nost. l. 7. n. 355. et 453. — (7) N. 469. — (8) Salm. tr. 18 c. 4. n. 29.

(9) Ib. n. 31. cum Bonac. Pasq. etc. — (10) Salm. loc. cit. n. 33. — (11) N. 34. et 35. — (12) N. 37.

possint anticipare officia longiora, et reservare brevia pro diebus majoris occupationis. 2. Clemens VII. concessit omnibus Regularibus infirmis (intelligitur de illis infirmis qui per se non excusantur ab officio), et infirmariis posse satisfacere officio recitando 6. aut 7. psalmos (assignandos a Superiore), 7. *Pater* et duo *Credo*. Et Martinus V. concessit convalescentibus ut satisfacere possent dicendo illam officii portionem quam judicaverit eorum confessarius. 3. Innocentius IV. concessit Monialibus s. Claræ (et ita intelligitur pro omnibus aliis communitatibus) satisfacere officio conversarum ob quamcumque rationabilem causam, v. g. si religiosa non sit bene instructa juxta judicium Abbatissæ, aut confessarii, in officio choristarum: aut si sit scrupulosa, aut ob labores lassa, aut occupata in rebus utilibus, ut esset Religiosis esse applicatum ad excipiendas confessiones, prædicationi, aut studio ecclesiastico pro majori diei parte. Etenim supponitur, quod privilegiis concessis Monialibus gaudeant etiam Religiosi *ad invicem*, ut dictum fuit *n.* 10. Animadvertunt insuper Salmantic. hujusmodi privilegio eos posse uti etiam sine licentia Superiorum: fuit enim concessum sine ista conditione. Animadvertunt præterea, quod si Moniales omitterent laicarum officium, utentes hujusmodi privilegio, non peccarent lethaliter, quia tunc reputantur ut laicæ, quæ sub mortali non tenentur ad sui officii recitationem. Sed hoc non mihi placet, etenim hujusmodi privilegio Monialis non transit in qualitatem laicæ, sed tantum officium ejus choristæ transit et commutatur in illud laicæ.

108. 5. Confessarii Mendicantium, et cæteri Regulares communicantes potestatem habent irritandi, remittendi et dispensandi juramenta, ac vota. Sed hac de re dictum est *Tr.* 5. *n.* 42. *et seq.* possunt insuper dispensare cum conjugibus quoad impedimentum ad petendum debitum propter incestum commissum cum consanguinea conjugis, ut communiter aiunt Sanch. Pontius Salmantic. aliique contra Patrem Concinam ex multis privilegiis variorum Pontificum (1). Animadvertendum est autem hic, quod confessarius debet in hoc obtinere licentiam specialem, et saltem a Superiore inferiore sui monasterii (2).

109. Possunt præterea confessarii Mendicantes dispensare cum conjugibus in voto castitatis elicito ante matrimonium, ad petendum debitum, sicuti etiam communiter dicunt Castrop. Pont. Sanch. Tourn. Wigandt Salm etc. ex privilegio s. Pii V. Et etiam in voto elicito post matrimonium, uti rite existimant Sanch Salmant. etc. (contra Pontium) ex aliis privilegiis, ex quibus possunt ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus valent *de jure ordinario* dispensare Episcopi cum suis subditis (3). Id vero, quod magis ambigitur, est, utrum in casu necessitatis possint dispensare cum sponsis, ut possunt Episcopi in voto castitatis ad contrahendum matrimonium? Plerique affirmant, ut Anacletus Vidal Basseus Henriq. etc., quam sententiam probabilem judicant Salm. et Elbel; sed communius negant Layman Barbosa Sanch. et Pont., dicentes, quod Regulares possunt dispensare solum in votis, in quibus valent dispensare Episcopi *de jure ordinario*, sed non extraordinario, ut in casu isto. Respondent autem adversarii in casu necessitatis Episcopos, etiam *de jure ordinario* dispensare, cum sit hujusmodi potestas annexa eorum officio et dignitati, ut dictum fuit *n.* 34. et 41. Unde non possumus habere ut improbabilem primam sententiam (4).

110. 6. Cum sæcularibus conceditur facultas deligendi sibi confessarium, aut a Summo Pontifice, aut

(1) L. 6 n. 1076. v. insuper. (2) Ibid. v. an autem. — (3) L. 6. 987. v. an autem, et n. 1128. — (4) Ibid. circa fin.

ab eorum Ordinario, semper supponitur, quod sit confessarius approbatus ab Episcopo; sed Regulares ex expressa, aut tacita sui Superioris licentia possunt confiteri cuicumque simplici sacerdoti: quod communiter existimatur cum Suar. Lugo Salmant. etc. (1). Quare omnes Superiores regulares possunt sibi eligere in confessarium quemlibet sacerdotem, ut etiam communiter dicunt dd. ex *cap. ult. de Pœnit. et Rem.* Idem vero quod pro Religiosis, valet et pro famulis commensalibus monasterii, uti habetur ex *Trid. sess.* 25. *c.* 11. ex quo possunt recipere a Religiosis Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis. Et idem valet quoad novitios, qui *in favorabilibus* sub Religiosorum nomine veniunt, ut omnes fatentur, et declaravit S. C. die 14. Augusti 1665. Quare ipsi possunt absolvi ab omnibus casibus ab Episcopo reservatis (2), ut dictum est *n.* 95. Sed id non valet pro Equitibus s. Jacobi, et similibus, ut dicunt Salmant. cum communi, nam hujusmodi viget consuetudo (3).

111. Adnotandum insuper, quod Religiosi peregrinantes, si habeant socium (dummodo sit idoneus) ejusdem Ordinis, illi confiteri debent. Si vero desit socius, aut alius ejusdem Ordinis sacerdos, tunc confiteri possunt cuilibet sacerdoti idoneo regulari, aut sæculari: quod commune est apud omnes. Sed quæritur utrum talis sacerdos approbatus in illo loco esse debeat? Ita volunt pauci quidam, ut Wigandt Conc. etc.; sed communissime, et quidem recte negant Suar. Ronc. Castrop. Salmant. Elbel, aliique. Et quia talis est consuetudo religiosum, quæ facit præsumere consensum Ordinariorum; et quia Innocentius VIII. absolute concessit Religiosis peregrinantibus, ut, cum non possent habere sui Ordinis Confessarium, *quemcumque alium presbyterum idoneum religiosum, vel sæcularem eligere valeant* (4). Vide quæ diximus *Tr.* 16. *n.* 88.

112. Dicunt insuper Lugo (5), et Salmant. (6) cum Navarro Soto Castrop. Peyrino Bossio etc. quod tempore generalis jubilæi possint Regulares, et etiam Moniales sine suorum Superiorum licentia confiteri Religiosis alterius Ordinis, licet haberent confessarium Ordinis, sibi assignatum, ex pluribus privilegiis, quæ referunt Lugo Mendo etc. (7).

113. 7. Regulares, quoad Ordines, non recipiunt litteras dimissoriales ab Episcopis, sed ab eorum Superioribus; aliter graviter peccant, et incurrunt suspensionem. Attamen quoad recipiendos Ordines, primo s. Pius V. ipsis concessit privilegium recipiendi Ordines a quocumque Episcopo, sed hoc revocatum fuit per Gregorium XV. Quæ abrogatio confirmata est a pluribus aliis Pontificibus, et nuper a Benedicto XIV. Bulla *Impositi Nobis etc.* 27. Febr. anno 1747, qua præterea præcipitur ut, si loci Ordinarius Ordinationem tenet, ab ipso debeat examinari et ordinari Religiosus; quod si Episcopus absit, aut non habeat Ordinationem, potest ordinari ab alio Episcopo, sed tunc requiritur attestatio authentica vel Vicarii generalis, vel secretarii, aut Cancellarii ipsius Episcopi, qua constet aut vel ipsum abesse a diœcesi, vel Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per leges ecclesiasticas statuto. Et præcipit idem Pontifex hoc expresse declarandum esse ut cognoscatur, quod non sufficit, ut dicatur Episcopus Ordinationem non habiturus, si accedant extra tempora; aliter eas-dem subit pœnas, quas subeunt, qui sine dimissorialibus litteris ordinantur. Insuper vetatur Religioso, ne alibi data opera permaneat, ut exi-

(4) Salm. tr. 18. c. 4. n. 49. — (2) Ib. n. 57. — (3) Ib. n. 58.

(4) Vide opus nost. L. 6. n. 575. — (5) D. 20. n. 86. — (6) Tr. 18. c. 4. n. 124. — (7) Vide opus nostrum l. 6. n. 536. v hic addendum.

mat se ab examine Episcopi loci, ubi prius morabatur. Religiosi vero morantes in diœcesibus quæ sunt *nullius*, ordinari debent ab Episcopo viciniori (1).

114. Quæritur hic 1. a quo debeant ordinari novitii? Dicunt Suarez et Henriquez, ab Ordinario, aut originis, aut domicilii; sed Sanchez Castrop. Delbene et Fagnanus cum aliis existimant quod possint ordinari ab Ordinario loci, ubi est novitiatus. Recte dicunt La-Croix, et p. Mazz. utramque sententiam esse probabilem, dummodo (quoad hanc secundam) novitius animum habeat. quantum in se est, perpetuo permanendi in illo monasterio, in quo est, et hac de re juramentum præbeat, ut præcipitur in Bulla *Speculatores* (2).

115. Quæritur secundo utrum Religiosi possint ordinari *extra tempora*? Negant Vasquez Lezana, etc.: etenim aiunt, quod etsi Gregorius XIII. id concesserit Jesuitis, attamen prohibuit communicationem. Sed hodie non amplius est in dubium revocandum, quin possint tam ex multis privilegiis concessis aliis religionibus, quam ex declaratione nuper facta per Benedictum XIII. in Concilio romano (*Tit. 5. cap. 2.*) in quo statutum fuit, quod talia privilegia *in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constet* (3).

116. Quæritur tertio utrum, cum ordinantur Regulares *extra tempora*, valeant ordinari quocumque die in quo fit officium duplex, etiamsi non sit festum de præcepto? Affirmant Fagundez Villalob. Diana, etc., et dicunt esse probabile Suar. aliique; quia Alexander VI., cum ageret de hujusmodi privilegio, dixit posse ordinari *diebus dominicis, sive festivis duplicibus*, at non dixit de *præcepto*. Hanc opinionem rejicere non audeo; existimo tamen probabiliorem oppositam cum Lugo Morio et Escobar. quia Gregorius XII. agens de eodem privilegio declaravit, dicens, *diebus dominicis*, et *festivis diebus*, et non dixit *duplicibus*: Dies festivus proprie accipitur ille, in quo vetantur opera: unde intelligitur de præcepto. Et revera usus obtinet quoad omnes eos, qui dispensatione ordinantur: *in tribus diebus festivis*, pro quibus valet eadem regula (4).

117. Quo vero ad potestatem conferendi Ordines, olim Abbates regulares ex concessione ipsis facta in Synodo VII. (sicuti habetur in *can. Quoniam Dist.* 166.) poterant ministrare Tonsuram, et Ordines minores, non solum suis subditis religiosis, sed omnibus aliis. Attamen per *Trid. sess. 23. c. 10.* hujusmodi potestas fuit ipsis limitata pro solis regularibus subditis. His tamen non obstantibus plerique dd. sustinuerunt, Abbates, saltem mitratos (ut existimant Salmanticenses, et adducunt plura S. C. Decreta), qui possunt pontificalia exercere, posse ordinare etiam sæculares suos subditos, et etiam alios, habentes dimissoriales litteras suorum Ordinariorum, nihilominus omnes istæ opiniones locum amplius hodie non obtinent post Decretum S. C. approbatum ab Urbano VIII. die 17. januarii anno 1642., in quo, rejecta quacumque contraria sententia, prohibitum fuit Abbatibus, ne Ordines conferrent, vel litteras dimissoriales concederent aliis, quam solis subditis regularibus; iisque contrarium facientibus suspensio imposita fuit. Excipiuntur tamen plerique descripti in Cancellaria rom., qui privilegium habent dimissoriales epistolas concedendi, ut Abbas Montis Cassinensis, Abbas Cavensis etc. (5).

118. Quæritur hic 1. utrum Abbates habentes jurisdictionem pene episcopalem in aliquo territorio separato, possint ordinare suos subditos sæculares? Molfesius apud La-Croix (6) affert declarationem affirmativam S. C.; sed Benedict. XIV. (1) refert alteram contrariam, et idem affert decisum p. Zaccharia apud La-Croix loco citato.

(1) N. 768. et n. 788. notand. 8. — (2) N. 765. — (3) N. 797. dubit. 3. — (4) N. 797. dubit. 4. — (5) L. 6. n. 763. — (6) Cr. l. 6. p. 2. n. 2236.

119. Quæritur 2. utrum Abbates, qui possunt ordinare subditos professos, valeant et novitios? Negant Castrop. Barbosa Sayrus, etc.; communius autem et probabilius affirmant Suarez Layman Sanchez Escobar. et Salmant. cum aliis, quoniam in *favorabilibus* regulariter sub Regularium nomine veniunt etiam novitii (ut diximus *n.* 110.).

120. Quæritur 3. utrum Ordines collati ab hujusmodi Abbatibus, sæcularibus, aut regularibus non subditis, sint validi? Negant Suarez La-Croix, etc.; sed affirmandum est cum Sanchez Salm. Tamb. Pelliz. etc., quia hæc facultas (ut diximus) olim fuit concessa Abbatibus: et a Concilio deinde et a Decreto Urbani vetitum illis fuit tantum facultatis exercitium: unde ipsi illicite, sed valide ordinant. Et quod ita se res habeat, apparet ex eodem Decreto Urbani, in quo ordinatis imponitur suspensio. Pro validis itaque habentur Ordines iis collati. Et ita decisum pluries per S. C. affert Bened. XIV. (2).

121. VIII. Quoad celebrandam Missam, et ministrandam Eucharistiam, olim ex privilegiis Sixti IV., Alex. VI., et Urbani VIII. poterant celebrare in altari portatili, tam in suis domibus quam in suis ruralibus domibus vulgo *Grancie*, etiam contradicente Episcopo. Sed Clemens XI. anno 1703 suo Decreto declaravit, quod omnia eorum privilegia celebrandi in altari portatili revocata sint per Tridentinum. Idemque declaravit Bened. XIV. in Bulla *Magno*, edita 2. jun. 1751. § 29.; nec possum assentiri p. Mazzotta dicenti hujusmodi prohibitiones intelligi factas quoad domus privatas, sed non quoad proprias Religiosorum; nam in Decreto Clementis agitur de privilegio celebrandi *in locis, in quibus degunt*; loca autem, in quibus degitur, sunt domus propriæ, non alienæ. Innocentius insuper XIII. anno 1723. in Bulla *Apostolici ministerii*, prohibuit, *ne in privatis Regularium cellis seu cubiculis erigatur altare, remota quacumque in contrarium consuetudine* (3). Sciatur tamen, quod Greg. XIII. concessit Provincialibus Jesuitarum facultatem deputandi publica oratoria in suis ecclesiis, in quibus omnes possint celebrare, etc. (4).

122. Ex privilegio Greg. XIII. possunt Regulares celebrare una hora ante auroram; quare valent celebrare Missam tribus horis ante solis ortum; ita Lugo Suarez Rodriq. Salm. etc. (5). Immo cum adest aliqua justa causa, possunt celebrare immediate post duas horas post mediam noctem ex privilegiis Alexandri VI. et Clementis VIII. Et hujusmodi privilegia dicunt Lugo Rodriquez Diana Narbona et Salm. cum aliis non esse revocata per Tridentinum *sess. 22. de observand. et evitand. etc.* Monent tamen prædicti dd. id valere tantum pro ecclesiis propriis, in quibus tamen (subdunt) possunt hujusmodi privilegio uti etiam sacerdotes sæculares (6). Insuper Eugenius IV. concessit Regularibus licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, justa tamen ex causa; attamen Azorius Fag., aliique dicunt, hujusmodi privilegium fuisse revocatum per S. Pium Bulla, *Amantissimus*, anno 1566. cujus rei Lezana affert Declarationem S. C. Sed his non obstantibus, dicunt Lugo (7) Salmanticenses cum Aversa Dicastillo Narbona Diana, etc. authentice non

(1) De Synod. l. 2. c. 11. n. 15. — (2) Vide opus l. 6. n. 766. et de synod. l. 2. c. 11. n. 13. — (3) Salm. tr. 15. c. 7. n. 97. — (4) Vide opus nostrum l. 6. n. 360. et ib. v. hanc. — (5) apud Merat. p. 1. tit. 15. ad lit. Y. — (6) Salm. tr. 15. c. 7. n. 94. — (7) de Lugo de Euch. d. 20. n. 27. et Salm. ib. n. 95.

constare de dicta Declaratione, nec de revocatione S. Pii, qui loquutus fuit de Missis tantum, quæ celebrantur *de sero, etiam forsan, circa solis occasum* ; unde dicunt, vigere privilegium Eug. IV., et ut quis illo utatur sufficere quamcumque mediocrem causam, ut convalescentiæ, studii, et similium.

123. Quo vero ad ministrandam Eucharistiam Paulus III., aliique Pontifices concesserunt Regularibus facultatem ministrandi in suis ecclesiis omnibus fidelibus. Excipitur tamen 1. Si Episcopus rationabiliter prohiberet alicui, ne Eucharistiam sumeret. Excipitur 2. Communio in mortis articulo, aut periculo, dummodo non adsit extrema aut gravis necessitas, et parochus nequeat, aut nolit ministrare ; Lugo Ronc. etc (1). Excipitur tertio Communio paschalis, id est illa, qua præcepto satisfit, ut communiter aiunt Filliuc. Sa Busemb. etc. Videantur hac de re, quæ dicta sunt *Tr.* 12. *n.* 41.

124. Quoad facultatem concionandi, olim Regulares ex Clementina *Dudum de sepult.* poterant libere prædicare in suis ecclesiis, et in plateis, sed *Trid. sess.* 5 *c.* 2. *de Reform.* statuit, ne in alienis ecclesiis prædicare possent sine licentia Ordinarii, et in ecclesiis propriis sui Ordinis, antequam benedictionem petant ab Episcopo. Quare Religiosis, ut in suis concionentur ecclesiis sufficit, ut petant benedictionem, et si illa denegetur, ut dicunt Lez. Pelliz. Bord. et Salm. cum aliis, adducto Decreto S. C. (2). Sed hujusmodi benedictio, ut dicunt Salm. non requiritur, ut prædicent per plateas ; nam Concilium loquitur solum de ecclesiis. Semper tamen debent Regulares habere approbationem suorum Superiorum, qui peccarent, si nullo eorum præhabito examine, iis prædicare permitterent (3). Possunt autem Superiores committere, etiam simplicibus clericis tonsuratis ut prædicent, ex privilegio Greg. XIII. Licet S. C. generaliter declaraverit, prædicationem posse committi cuicumque tonsurato (4).

125. Quo vero ad ecclesias alienas, ut dictum est, Regulares ibi prædicare non possunt sine venia Ordinarii, nisi id esset pro duabus aut tribus vicibus, ut dicunt Nav. Barb. Diana Salm., alique ; aut dummodo Ordinarius non maneret inibi, et Religiosus aliquis transeunter ibi esset : quia tunc potest illi parochus licentiam concedere prædicandi, uti concessit Greg. XIII. (5). Quando tamen Ordinarius veniam concederet, Religiosus valet concionari in parochiis, etiam contradicente parocho, et quia Ordinarius est parochi Superior, et quia id fuit expresse concessum per Alex. IV. (6).

126. Quæritur 1. utrum liceat Regularibus concionari, contradicente Episcopo ? Quando sunt alienæ ecclesiæ, et Episcopus ab initio veniam denegat, proculdubio non licet. Sed si Episcopus jam concessisset licentiam et deinde vellet eam revocare, aut si ecclesiæ esse nt propriæ, dicunt Peyr. Vega Pelliz. et Salm. cum Diana, etc. (7) posse prædicare. Sed huic obstat quod in Tridentino statuitur (*sess.* 24. *c.* 4. *de Reform.*) ; *Nullus autem sæcularis, sive Regularis,... contradicente Episcopo, prædicare præsumat*. Obstat insuper Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, in qua statuitur, Episcopum, ut delegatum apostolicæ Sedis; posse punire Religiosos, *qui in alienis ecclesiis suorum Ordinum non petita benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint*. Sed respondent Salm. quod tam prædicta Bulla, quam Concilium accipienda sint juxta id, quod statuitur in Clementina *Dudum* supracitata, in qua prohibe-

(1) Vide opus nostrum l. 6. n. 209. et 240. — (2) Salm. tr. 18. c. 4. n. 178 — (3) Ib. n. 176. et 177.

(4) Ib. n. 174. — (5) Ib. n. 184. — (6) Salm. tr. 18. c. 4. n. 189. — (7) Ib n. 181.

tur prædicare, quando prædicat Episcopus, aut quando solemniter coram ipso prædicatur. Et ita decisum referunt per S. C. Episcoporum et Regularium die 30. jan. 1629. apud Barb. (1). Cum ego tamen observassem Barbosam loc. cit., inveni, quod S. C. declaratio fuerit solummodo quoad conciones in ecclesiis propriis Regularium. Unde quoad ecclesias alienas mihi non videtur probabilis supradicta responsio.

127. Quæritur 2. utrum Episcopus valeat examinare Religiosos petentes veniam concionandi in ecclesiis non propriis ? S. C. apud Barb. (2) die 12. januar. anno 1628. statuit affirmative; sed negant Salm. (3) cum Pelliz. Bord. Diana Peyr. etc. ex Bulla Leonis X. *Superna*, in qua statutum fuit, ut nemo ad concionandum admitteretur, *nisi prius per Superiores suos respective examinatus* ; et deinde declaratum fuit ibidem, quod Religiosus approbationem sui Superioris ostendere deberet. Respondent deinde Salm. cum Pelliz. et Granado supradictam contrariam S.C. Declarationem non amplius quam probabilem præ se ferre sententiam; unde non esse præferendam Bullæ Leonis. At, inquam, saltem probabile est ex dicta Declaratione, quod Episcopus valeat examinare, et aliter negare possit licentiam. E contrario Bulla Leonis prohibet Episcopis, ne admittant Religiosum, non afferentem approbationem sui Superioris, sed non vetat illum examinare, si velit, et negare veniam, si ipse renuat examinari.

128. Animadvertendum tandem est, Ordinarium ex Concil. Lateranensi V. posse suspendere et punire concionatores regulares in tribus casibus in quibus immo ipsi *ipso facto* suspenduntur a concionando : 1. Si prædicent miranda, falsa, aut incerta. 2. Si prædicent prophetias non fundatas in sacra Scriptura, aut non approbatas a Sede apostolica. 3. Si prædicando detrahunt Episcopis, et suis Superioribus. Insuper ex Trid. *sess.* 5. *c.* 2. Episcopus potest suspendere et punire Regulares illos, qui prædicant propositiones hæreticas, erroneas, aut scandalosas (4). Demum adnotandum quod Urbanus VIII. in Constit. *alias felicis rec.*, etc. data 11. april. 1635. (in extensum relata apud p. Ferrar. *Bibl. tom.* 5. *verb. Oracula, pag.* 342. *n.* 9.) revocavit omnia privilegia ab antecessoribus regularibus concessa *vivæ vocis oraculo*, exceptis iis quæ testificata fuerint per ministros quibus vi sui officii fides adhiberi solet.

(1) In Trid. ses. 5. c. 2. — (2) Loc. cit. — (3) Salm. tr. 18. c. 4. n. 186.

(4) Salm. lb. n. 188.

TRACTATUS XXI.

DE CHARITATE ET PRUDENTIA CONFESSARII.

PUNCTUM UNICUM.

1. *De confessarii charitate in excipiendo pœnitente.*
2. *In eo audiendo.*
3. *In eo corrigendo.*
4. *De prudentia in interrogando, admonendo, et disponendo.*
5. *Remedia generalia.*
6. *Remedia particularia.*

1. Quatuor sunt officia quæ bonus confessarius exercere debet, patris nempe, medici, doctoris et judicis. Quod autem attinet ad doctoris et judicis officium, sat de eo actum est in opere in omnibus tractatibus hucusque expositis. Restat nunc agendum de officio patris ad quod pertinet charitas, et de officio medici ad quod spectat prudentia. Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet charitate esse plenus. Et primo charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

constare de dicta Declaratione, nec de revocatione S. Pii, qui loquutus fuit de Missis tantum, quæ celebrantur *de sero, etiam forsan, circa solis occasum* ; unde dicunt, vigere privilegium Eug. IV., et ut quis illo utatur sufficere quamcumque mediocrem causam, ut convalescentiæ, studii, et similium.

123. Quo vero ad ministrandam Eucharistiam Paulus III., aliique Pontifices concesserunt Regularibus facultatem ministrandi in suis ecclesiis omnibus fidelibus. Excipitur tamen 1. Si Episcopus rationabiliter prohiberet alicui, ne Eucharistiam sumeret. Excipitur 2. Communio in mortis articulo, aut periculo, dummodo non adsit extrema aut gravis necessitas, et parochus nequeat, aut nolit ministrare ; Lugo Ronc. etc (1). Excipitur tertio Communio paschalis, id est illa, qua præcepto satisfit, ut communiter aiunt Filliuc. Sa Busemb. etc. Videantur hac de re, quæ dicta sunt *Tr.* 12. *n.* 41.

124. Quoad facultatem concionandi, olim Regulares ex Clementina *Dudum de sepult.* poterant libere prædicare in suis ecclesiis, et in plateis, sed *Trid. sess.* 5 *c.* 2. *de Reform.* statuit, ne in alienis ecclesiis prædicare possent sine licentia Ordinarii, et in ecclesiis propriis sui Ordinis, antequam benedictionem petant ab Episcopo. Quare Religiosis, ut in suis concionentur ecclesiis sufficit, ut petant benedictionem, et si illa denegetur, ut dicunt Lez. Pelliz. Bord. et Salm. cum aliis, adducto Decreto S. C. (2). Sed hujusmodi benedictio, ut dicunt Salm. non requiritur, ut prædicent per plateas ; nam Concilium loquitur solum de ecclesiis. Semper tamen debent Regulares habere approbationem suorum Superiorum, qui peccarent, si nullo eorum præhabito examine, iis prædicare permitterent (3). Possunt autem Superiores committere, etiam simplicibus clericis tonsuratis ut prædicent, ex privilegio Greg. XIII. Licet S. C. generaliter declaraverit, prædicationem posse committi cuicumque tonsurato (4).

125. Quo vero ad ecclesias alienas, ut dictum est, Regulares ibi prædicare non possunt sine venia Ordinarii, nisi id esset pro duabus aut tribus vicibus, ut dicunt Nav. Barb. Diana Salm., alique ; aut dummodo Ordinarius non maneret inibi, et Religiosus aliquis transeunter ibi esset : quia tunc potest illi parochus licentiam concedere prædicandi, uti concessit Greg. XIII. (5). Quando tamen Ordinarius veniam concederet, Religiosus valet concionari in parochiis, etiam contradicente parocho, et quia Ordinarius est parochi Superior, et quia id fuit expresse concessum per Alex. IV. (6).

126. Quæritur 1. utrum liceat Regularibus concionari, contradicente Episcopo ? Quando sunt alienæ ecclesiæ, et Episcopus ab initio veniam denegat, proculdubio non licet. Sed si Episcopus jam concessisset licentiam et deinde vellet eam revocare, aut si ecclesiæ esse nt propriæ, dicunt Peyr. Vega Pelliz. et Salm. cum Diana, etc. (7) posse prædicare. Sed huic obstat quod in Tridentino statuitur (*sess.* 24. *c.* 4. *de Reform.*) ; *Nullus autem sæcularis, sive Regularis,... contradicente Episcopo, prædicare præsumat*. Obstat insuper Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, in qua statuitur, Episcopum, ut delegatum apostolicæ Sedis; posse punire Religiosos, *qui in alienis ecclesiis suorum Ordinum non petita benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint*. Sed respondent Salm. quod tam prædicta Bulla, quam Concilium accipienda sint juxta id, quod statuitur in Clementina *Dudum* supracitata, in qua prohibe-

(1) Vide opus nostrum l. 6. n. 209. et 240. — (2) Salm. tr. 18. c. 4. n. 178 — (3) Ib. n. 176. et 177.

(4) Ib. n. 174. — (5) Ib. n. 184. — (6) Salm. tr. 18. c. 4. n. 189. — (7) Ib n. 181.

tur prædicare, quando prædicat Episcopus, aut quando solemniter coram ipso prædicatur. Et ita decisum referunt per S. C. Episcoporum et Regularium die 30. jan. 1629. apud Barb. (1). Cum ego tamen observassem Barbosam loc. cit., inveni, quod S. C. declaratio fuerit solummodo quoad conciones in ecclesiis propriis Regularium. Unde quoad ecclesias alienas mihi non videtur probabilis supradicta responsio.

127. Quæritur 2. utrum Episcopus valeat examinare Religiosos petentes veniam concionandi in ecclesiis non propriis ? S. C. apud Barb. (2) die 12. januar. anno 1628. statuit affirmative; sed negant Salm. (3) cum Pelliz. Bord. Diana Peyr. etc. ex Bulla Leonis X. *Superna*, in qua statutum fuit, ut nemo ad concionandum admitteretur, *nisi prius per Superiores suos respective examinatus* ; et deinde declaratum fuit ibidem, quod Religiosus approbationem sui Superioris ostendere deberet. Respondent deinde Salm. cum Pelliz. et Granado supradictam contrariam S.C. Declarationem non amplius quam probabilem præ se ferre sententiam; unde non esse præferendam Bullæ Leonis. At, inquam, saltem probabile est ex dicta Declaratione, quod Episcopus valeat examinare, et aliter negare possit licentiam. E contrario Bulla Leonis prohibet Episcopis, ne admittant Religiosum, non afferentem approbationem sui Superioris, sed non vetat illum examinare, si velit, et negare veniam, si ipse renuat examinari.

128. Animadvertendum tandem est, Ordinarium ex Concil. Lateranensi V. posse suspendere et punire concionatores regulares in tribus casibus in quibus immo ipsi *ipso facto* suspenduntur a concionando : 1. Si prædicent miranda, falsa, aut incerta. 2. Si prædicent prophetias non fundatas in sacra Scriptura, aut non approbatas a Sede apostolica. 3. Si prædicando detrahunt Episcopis, et suis Superioribus. Insuper ex Trid. *sess.* 5. *c.* 2. Episcopus potest suspendere et punire Regulares illos, qui prædicant propositiones hæreticas, erroneas, aut scandalosas (4). Demum adnotandum quod Urbanus VIII. in Constit. *alias felicis rec.*, etc. data 11. april. 1635. (in extensum relata apud p. Ferrar. *Bibl. tom.* 5. *verb. Oracula, pag.* 342. *n.* 9.) revocavit omnia privilegia ab antecessoribus regularibus concessa *vivæ vocis oraculo*, exceptis iis quæ testificata fuerint per ministros quibus vi sui officii fides adhiberi solet.

(1) In Trid. ses. 5. c. 2. — (2) Loc. cit. — (3) Salm. tr. 18. c. 4. n. 186.

(4) Salm. lb. n. 188.

TRACTATUS XXI.

DE CHARITATE ET PRUDENTIA CONFESSARII.

PUNCTUM UNICUM.

1. *De confessarii charitate in excipiendo pœnitente.*
2. *In eo audiendo.*
3. *In eo corrigendo.*
4. *De prudentia in interrogando, admonendo, et disponendo.*
5. *Remedia generalia.*
6. *Remedia particularia.*

1. Quatuor sunt officia quæ bonus confessarius exercere debet, patris nempe, medici, doctoris et judicis. Quod autem attinet ad doctoris et judicis officium, sat de eo actum est in opere in omnibus tractatibus hucusque expositis. Restat nunc agendum de officio patris ad quod pertinet charitas, et de officio medici ad quod spectat prudentia. Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet charitate esse plenus. Et primo charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium, quia, ut has a se repellant, non est eis tantus animus. Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, ægre auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit, ut ille miser qui postquam sibi maximam vim intulerit, ut ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in Pœnitentiæ Sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire, qui sibi opituletur, et se absolvat a peccatis, in perditæ vitæ lubricum laxis habenis præceps ruat, et in salutis desperationem incidat. Secus boni confessarii agunt; cum ad se hujusmodi peccatores confluunt, benigne hos accipiunt, et (quasi *victor capta præda*) exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, animam de manibus dæmonis eripere. Sciunt hoc Sacramentum proprie non pro justis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etenim veniales culpæ, ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione, cum multis aliis modis deleri possint; sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: *Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Marc.* 2. 17. Propterea confessarius charitatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine, et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore charitate eas amplectitur, eisque animum præbet his aut similibus verbis: *Eia frater! bono animo esto, noli timere: peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuæ conscientiæ sinus non introspexeris; sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad pœnitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Lætare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; ideoque te expectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*

2. Charitatem deinde longe majorem ostendere debet in confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem, aut tædio affectum exhibeat; nec ostendat admiratione percelli de peccatis quæ narrantur; modo pœnitens non sit ita animo durus, aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore, et sine ulla displicentia animique sensu exponeret; quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a pœnitente quanta sit illorum deformitas, et magnitudo percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali lethargo expergefiat. Verum quidem est, quod (ut dicunt doctores) in actu confessionis abstinere debent confessarii a correctione facienda: ne forte exterriti pœnitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo: cæterum multoties expedit ad ulteriora non procedere, et statim pœnitentem corripere, præcipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen, ne eum exasperet, nec perterreat. Quapropter, postquam eum, quantum opus fuerit, correxerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: *Eia Frater! vis te ab hoc vitio resipiscere? Num ita est? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quæso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus. Hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quæ hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti, vince teipsum; confitere omnia sincere; Deus enim paratus est tibi parcere.*

3. Deinde in fine confessionis oportet, ut confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut pœnitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo

reperitur; sed hoc semper maxima cum charitate fiat. Verumtamen congruentius est tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut pœnitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi! considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Jesu Christo nullus fuisset tibi inimicior, potuisses cum illo te gerere pejus? Sed quæso, animadverte quis sit hic Jesus. Hic est ille qui cum esset Deus, nullius egens, factus est homo propter te; voluit mori in Cruce, ut te de inferno redimeret. Ah fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in æterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quod nisi mores in melius mutes, jam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Nonne considerus, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriæ, alterum illic pœnarum? Age fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quæ ad te suscipiendum sunt extensa, committe; sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus, et tote corde te adjuvare volo; veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies patrem, qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et propterea tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas a malo, et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum etc.* (S. Franciscus Sales, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat, ut ipsi cognoscerent pacem, qua fruuntur illi qui Deo adhærent, et vitam infelicem, quam ducit qui a Deo alienus est). Postea adjuvabit eum ad doloris actus efformandum, et si dispositus est, eum absolvat, et remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei pœnitentiam imponat (sed de his in num. sequenti agetur). Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic: *Eia Frater! tali die te expecto, ne prætermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commenda te quotidie beatæ Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum confessiones excipientem, accede, te enim ante alios audiam. Si alibi ero, fac ut me arcessant, omnia deseram, ut tu confitearis.* Et sic dulcibus verbis a se dimittat. Hæc est via qua peccatores tales allici possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest charitate: alioquin, si ipsi in confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent, et effrænate in perditionem ibunt.

4. Ad medici officium spectat prudentia, quæ requirit, ut confessarius ad recte curandum pœnitentem suum, prius cognoscat causas et originem omnium infirmitatum spiritualium, interrogando de habitu, de occasionibus peccandi, de loco, tempore, et personis cum quibus peccavit. Et ex his se dirigere debet ad debitas correctiones faciendas, quas nunquam omittere debet cum quibuscumque personis, licet quacumque illustri qualitate fulgeant, nec cum principibus, magistratibus, prælatis, parochis, aut sacerdotibus, cum ipsi se accusant de culpis gravibus, et sine nimio animi sensu: cum hujusmodi licet adhiberi debeant correctiones verbis lenioribus et discretioribus; majori tamen animi fortitudine et calore fiat, cum ex istorum peccatis propter gravius damnum quod suo malo exemplo

aliis afferri potest, perniciosior flagitiorum consequens esse soleat licentia. Propterea cum istis, si suo desunt officio, admonitio non omittenda est, licet in bona fide existant. Cum aliis vero, qui aliqua laborant inculpabili ignorantia, an adhibenda sit admonitio cum profutura non est, vide dicta *Tr.* 16. (cum de confessione locuti sumus ex *n.* 108.) Deinde audita confessione debet confessarius procedere ad disponendum per actus doloris et propositi pœnitentem ad absolutionem. Iterum hic advertendum quod diximus *Tr.* 16. *n.* 105. *in fine*, quod si pœnitens esset indispositus, tenetur confessarius (quemadmodum dicunt Suarez Laym. et alii) pro viribus efficere, ut disponatur, nihil curans quod alii expectent, aut abeant. In eodem *Tr.* 16. *n.* 51. locuti fuimus de prudentia, quam adhibere debet confessarius in injungenda pœnitentia pro viribus spiritualibus pœnitentis, ne onere majore, quam pœnitentis vires patiuntur, illum gravet. Sed maxime confessario intendendum est, ut opportuniora applicentur remedia, quibus pœnitens in Dei gratia conservari valeat.

5. Sermonem autem facturus de remediis, quæ insinuari debent pœnitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda, sunt 1. Amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creavit. Et cnretur pariter, ut pœnitens cognoscat pacem interiorem qua donantur, qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Sæpe se commendare beatæ virgini, Rosarium recitando; se commendare Angelo Custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum æternarum consideratio, et præ cæteris consideratio mortis; et patribus familias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium una cum filiis. 5. Dei præsentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt*...6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari cum animi dolore et proposito. 7. Sæcularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, et sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam, et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

6. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate, v. gr. illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso Orationem dominicalem et Salutationem angelicam, et cum se turbari sentit memoria injuriæ sibi illatæ, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili ad resistendum factæ erunt proximæ. Huic præcipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter Salutationem angelicam in honorem puritatis beatissimæ Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram ejus imagine propositum non peccandi, et supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur *Vinum germinans virgines*. Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ut novies, vel quinquies lingua signet crucem super terra, et ut quotidie saltem semel dicat Orationem dominicalem et Salutationem angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit; et ut quolibet mane, dum e cubili surgit, renovet propositum

patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat beatæ Virgini quolibet mane : *Domina mea, dona patientiam*. Et id non solum inserviet, ut sanctissima Maria sibi opituletur, sed etiam, ut in occasionibus reperiatur habitus factus dicendi eadem verba. Aut assuescat dicendo, *maledictum sit peccatum meum, maledictus sit dæmon, etc.* Alia remedia assignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, et munerum.

TRACTATUS ULTIMUS

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS CUM PŒNITENTIBUS DIVERSORUM GENERUM

CAPUT UNICUM.

1. *ad* 7. *Punct. I. De iis qui in occasione proxima versantur.*
8. *ad* 15. *Punct. II. De habituatis et recidivis.*
16. *et* 17. *De Ordinandis pravo habitu irretitis.*
18. *ad* 30. *Punct. III. De interrogationibus faciendis pœnitentibus neglectæ conscientiæ; et I. De interrogationibus faciendis rudibus juxta ordinem præceptorum.*
31. *II. De interrogationibus faciendis pœnitentibus diversorum statuum, et conditionum : et I. Sacerdotibus.*
32. *II. Monialibus.*
33. *III. Judicibus. IV. Scribis. V. Medicis.*
34. *VI. Chirurgis et pharmacopolis. VII. Negotiantibus. VIII. Sartoribus.*
35. *IX. Proxenetis, et venditricibus.*
36. *X. Barbitonsoribus, et capillorum fictitiorum (vulgo Perruche) artificibus; et hic fit sermo de juvenibus qui mulieribus aptant caput.*
37. *ad* 41. *Punct. IV. De pueris et puellis.*
42. *et* 43. *Punct. V. De personis pietati addictis.*
44. *et* 45. *Punct. VI. De mutis et surdis.*
46. *et* 47. *Punct. VII. De moribundis.*
48. *et* 49. *Punct. VIII. De capite damnatis.*
50. *ad* 53. *Punct. IX. De a dæmonibus vexatis.*
54. *et* 55. *Punct. X. De mulieribus.*

PUNCTUM I.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS CUM HIS QUI SUNT IN PROXIMA OCCASIONE PECCANDI.

1. Maxima confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt, aut recidivi. Hi sunt duo magni scopuli in quos major confessariorum pars impetunt, et deficiunt. In capitulo sequenti sermonem faciemus de habituatis et recidivis; hic de occasionariis. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, major peccatorum pars evitaretur. Satan, remotis occasionibus, parum lucratur, sed cum homo ultro in occasionem proximam se immittit, ut plurimum et fere semper hostis victoriam canit. Occasio, præsertim in materia turpium delectationum, est quasi rete, quod ad peccatum trahit, et simul mentem obcœcat : ita ut homo peccet, quin videat quod agat. Sed deveniamus ad praxim. Occasio primo dividitur in voluntariam et necessariam. *Voluntaria* est illa, quæ facile vitari potest. *Necessaria* quæ amoveri nequit sine gravi damno, aut scandalo. Secundo dividitur in proximam et remotam. *Remota* est illa in qua homo raro peccat, vel illa quæ ubique reperitur. *Proxima per se loquendo*, est illa in qua homines communiter ut plurimum deficiunt. *Proxima* autem *per accidens*, seu respectiva est ea quæ licet respectu aliorum non sit proxima, tamen respectu alicujus proxima est, vel quia hic in tali occasione frequenter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest ne labatur propter experientiam cognitam suæ fragili-

aliis afferri potest, perniciosior flagitiorum consequens esse soleat licentia. Propterea cum istis, si suo desunt officio, admonitio non omittenda est, licet in bona fide existant. Cum aliis vero, qui aliqua laborant inculpabili ignorantia, an adhibenda sit admonitio cum profutura non est, vide dicta *Tr.* 16. (cum de confessione locuti sumus ex *n.* 108.) Deinde audita confessione debet confessarius procedere ad disponendum per actus doloris et propositi pœnitentem ad absolutionem. Iterum hic advertendum quod diximus *Tr.* 16. *n.* 105. *in fine*, quod si pœnitens esset indispositus, tenetur confessarius (quemadmodum dicunt Suarez Laym. et alii) pro viribus efficere, ut disponatur, nihil curans quod alii expectent, aut abeant. In eodem *Tr.* 16. *n.* 51. locuti fuimus de prudentia, quam adhibere debet confessarius in injungenda pœnitentia pro viribus spiritualibus pœnitentis, ne onere majore, quam pœnitentis vires patiuntur, illum gravet. Sed maxime confessario intendendum est, ut opportuniora applicentur remedia, quibus pœnitens in Dei gratia conservari valeat.

5. Sermonem autem facturus de remediis, quæ insinuari debent pœnitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda, sunt 1. Amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creavit. Et cnretur pariter, ut pœnitens cognoscat pacem interiorem qua donantur, qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Sæpe se commendare beatæ virgini, Rosarium recitando; se commendare Angelo Custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum æternarum consideratio, et præ cæteris consideratio mortis; et patribus familias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium una cum filiis. 5. Dei præsentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt*...6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari cum animi dolore et proposito. 7. Sæcularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, et sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam, et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

6. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate, v. gr. illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso Orationem dominicalem et Salutationem angelicam, et cum se turbari sentit memoria injuriæ sibi illatæ, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili ad resistendum factæ erunt proximæ. Huic præcipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter Salutationem angelicam in honorem puritatis beatissimæ Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram ejus imagine propositum non peccandi, et supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur *Vinum germinans virgines*. Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ut novies, vel quinquies lingua signet crucem super terra, et ut quotidie saltem semel dicat Orationem dominicalem et Salutationem angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit; et ut quolibet mane, dum e cubili surgit, renovet propositum

patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat beatæ Virgini quolibet mane : *Domina mea, dona patientiam*. Et id non solum inserviet, ut sanctissima Maria sibi opituletur, sed etiam, ut in occasionibus reperiatur habitus factus dicendi eadem verba. Aut assuescat dicendo, *maledictum sit peccatum meum, maledictus sit dæmon, etc.* Alia remedia assignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, et munerum.

TRACTATUS ULTIMUS

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS CUM PŒNITENTIBUS DIVERSORUM GENERUM

CAPUT UNICUM.

1. *ad* 7. *Punct. I. De iis qui in occasione proxima versantur.*
8. *ad* 15. *Punct. II. De habituatis et recidivis.*
16. *et* 17. *De Ordinandis pravo habitu irretitis.*
18. *ad* 30. *Punct. III. De interrogationibus faciendis pœnitentibus neglectæ conscientiæ; et I. De interrogationibus faciendis rudibus juxta ordinem præceptorum.*
31. *II. De interrogationibus faciendis pœnitentibus diversorum statuum, et conditionum : et I. Sacerdotibus.*
32. *II. Monialibus.*
33. *III. Judicibus. IV. Scribis. V. Medicis.*
34. *VI. Chirurgis et pharmacopolis. VII. Negotiantibus. VIII. Sartoribus.*
35. *IX. Proxenetis, et venditricibus.*
36. *X. Barbitonsoribus, et capillorum fictitiorum (vulgo Perruche) artificibus; et hic fit sermo de juvenibus qui mulieribus aptant caput.*
37. *ad* 41. *Punct. IV. De pueris et puellis.*
42. *et* 43. *Punct. V. De personis pietati addictis.*
44. *et* 45. *Punct. VI. De mutis et surdis.*
46. *et* 47. *Punct. VII. De moribundis.*
48. *et* 49. *Punct. VIII. De capite damnatis.*
50. *ad* 53. *Punct. IX. De a dæmonibus vexatis.*
54. *et* 55. *Punct. X. De mulieribus.*

PUNCTUM I.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS CUM HIS QUI SUNT IN PROXIMA OCCASIONE PECCANDI.

1. Maxima confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt, aut recidivi. Hi sunt duo magni scopuli in quos major confessariorum pars impetunt, et deficiunt. In capitulo sequenti sermonem faciemus de habituatis et recidivis; hic de occasionariis. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, major peccatorum pars evitaretur. Satan, remotis occasionibus, parum lucratur, sed cum homo ultro in occasionem proximam se immittit, ut plurimum et fere semper hostis victoriam canit. Occasio, præsertim in materia turpium delectationum, est quasi rete, quod ad peccatum trahit, et simul mentem obcœcat : ita ut homo peccet, quin videat quod agat. Sed deveniamus ad praxim. Occasio primo dividitur in voluntariam et necessariam. *Voluntaria* est illa, quæ facile vitari potest. *Necessaria* quæ amoveri nequit sine gravi damno, aut scandalo. Secundo dividitur in proximam et remotam. *Remota* est illa in qua homo raro peccat, vel illa quæ ubique reperitur. *Proxima per se loquendo*, est illa in qua homines communiter ut plurimum deficiunt. *Proxima* autem *per accidens*, seu respectiva est ea quæ licet respectu aliorum non sit proxima, tamen respectu alicujus proxima est, vel quia hic in tali occasione frequenter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest ne labatur propter experientiam cognitam suæ fragili-

tatis. Quidam aa. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam, in qua homo fere semper, vel ut plurimum ceciderit; sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam in qua frequenter quis peccavit (1). Verumtamen advertendum, quod sicut aliquando occasio quæ respectu ad alios communiter est proxima, respectu vero ad aliquem valde pium et cautum potest esse remota (2): ita contra quædam occasiones quæ respectu ad alios communiter per se essent remotæ, forte erunt proximæ respectu ad aliquem qui propter experimentum relapsuum, et propter pravam inclinationem in quoddam vitium (præsertim si est turpe) factus est valde debilis et facilis ad labendum; et tunc iste tenebitur ad removendas, non tantum occasiones proximas, sed etiam illas remotas, quæ respectu sui proximæ evadunt.

2. Cæterum est quidem in occasione proxima 1. ille qui retinet in propria domo aliquam fœminam cum qua sæpe rem habuit. 2. Ille qui frequenter in ludo prorupit in blasphemias, aut fraudes. 3. Ille qui in aliqua caupona aut domo sæpe se inebriaverit, aut ceciderit in rixas, vel actus, verba, aut cogitationes obscœnas. Porro omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint, aut saltem nisi auferre promittant, juxta distinctionem quæ fiet in numero subsequenti. Et ita pariter non potest absolvi qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit; talis enim aditus jam ipsi proxima est occasio. Nec etiam absolvi possunt qui tamet si in occasione positi non labuntur, afferunt tamen aliis grave scandalum (3). Addunt aliqui dd. (4) negandam quoque absolutionem illi qui occasionem externam non removet, si cum occasione conjungitur habitus vitiosus, aut magna tentatio, seu vehemens passio, quamvis usque tunc in ea occasione nunquam peccaverit; nam facile deinde peccare poterit, si ab occasione se non amoverit. Hinc dicunt quod si unquam aliqua famula tentaretur ab hero, et ipsa se noverit facilem ad labendum, ab ea domo abscedere tenetur, si commode potest, alioquin temere præsumeret se securam habere.

3. Et hic caveant confessarii a permittendo sponsis domos sponsarum adire, et puellis earumque parentibus sponsos in domum admittere, quia raro evenit quod tales sponsi non labantur, saltem in verba, aut cogitationes turpes in hujusmodi occasione, dum omnes aspectus et colloquia inter sponsos sunt incentiva ad peccandum, estque moraliter impossibile ipsos invicem conversari, et non sentire stimulos ad eos turpes actus qui tempore matrimonii deinde succedere debent. Generaliter autem loquendo de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id minimum experientia patet, nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in ea occasione a mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandola, Episcopus Albanensis, in sua diœcesi per Edictum suos admonuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (cum facili periculo osculorum et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars

(1) Lib. 6. n. 452. — (2) Ibidem — (3) N. 452. v. ex præmissis. — (4) Ibid.

prorumpit in verba obscœna, aut cum scandalo (prout si in ecclesia), aut cum conjugatis, Claustralibus, aut clericis in Sacris. Et in hoc generaliter advertendum, quod ubi agitur de periculo peccati formalis, et præcise peccati turpis, confessarius quanto magis se rigorosum cum pœnitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit. Et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat aut se immittat. S. Thomas de Villanova confessarios in hoc condescendentes vocat *impie pios*. Hæc charitas est contra charitatem. Solent in his casibus pœnitentes conari, ut confessarii apprehendant, quod occasionem removendo magnum orietur scandalum. Fortis sit confessarius ad hujusmodi timores despiciendos: majus semper erit scandalum, videre quod pœnitens nec etiam post confessionem occasionem aufert. Aut alii ejus peccatum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur: aut sciunt, et tunc pœnitens famam potius recuperabit, quam amittet, removendo occasionem.

4. Plures dd. censent prima aut secunda vice bene absolvi posse, qui est in occasione proxima, licet voluntaria, etiam antequam occasio auferatur; modo firmum habeat propositum, et promittat illam statim removere. Sed hic oportet distinguere cum s. Carolo Barromæo (in instructione confessariis ab eo tradita) occasiones quæ *sunt in esse*, et occasiones quæ *non sunt in esse*. Occasio quæ *est in esse*, est exempli g. cum aliquis concubinam domi detinet, vel cum aliqua famula consentit quoties tentatur a domino et similia. Occasio autem quæ *non est in esse*, est ex. g. cum quis in ludo prorumpit in blasphemias, aut versando in cauponis prolabitur in rixas et ebrietates, aut accedendo ad convivia, incidit in verba et cogitationes turpes. His positis dicendum quod in occasionibus quæ *non sunt in esse*, recte docet s. Carolus quod pœnitenti firme promittenti ab eis abstinere, potest semel, bis, et etiam ter absolutio dari: quod si deinde ille occasionem non aufert, et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat. In occasionibus autem quæ *sunt in esse* cum eodem s. Carolo omnino neganda est absolutio, nisi occasio prorsus auferatur. Hancque sententiam ordinarie loquendo, omnino tenendam probavimus in libro (1). Ratio, quia talis pœnitens est indispositus ad absolutionem, si petat eam antequam occasionem removeat; etenim eam recipiendo se immittit in proximum periculum frangendi propositum, et sic remanendi in eadem occasione. Clarius rationem hanc explicemus. Porro moraliter peccat qui est in occasione proxima voluntaria, et eam non tollit; cum autem opus tollendi occasionem sit maxime arduum, et non impleatur, nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert qui jam est absolutus, dum ablato tumore sine absolutione remanendi, de facili sibi suadebit quod tentationi resistet, quin occasionem auferat, et ita in ea manendo, certe quidem recidet: prout quotidie experimento probatur in pluribus pœnitentibus, qui, capta absolutione ab aliquo confessario parum cauto, minime postea attendunt ad occasionem removendam, et statim deterius relabuntur. Hinc dicimus quod propter prædictum periculum frangendi propositum, mortaliter peccat pœnitens, qui ante remotionem occasionis absolutionem petit, et gravius peccat confessarius qui illum absolvit.

5. Diximus *ordinarie loquendo*, nam plures casus excipiuntur a dd. (2), in quibus pœnitens absolvi potest, antequam occasionem removerit. Et excipitur I. casus in quo

(1) Lib. 6. n. 454. — (2) Lib. 6. n. 454. v. dixi.

pœnitens talia afferret extraordinaria signa doloris, ut prudenter judicari possit ipse non esse amplius in proximo periculo frangendi propositum de tollenda occasione; tunc enim signa illa indiquant pœnitentem donatum fuisse uberiori gratia, qua merito speratur quod in removenda occasione constans erit. Verumtamen, semper ac absolutio commode differri posset, tunc illam etiam ei differrem, usque dum cum effectu occasionem auferat. Excipitur 2. casus, in quo pœnitens non possit redire, vel nonnisi post multum tempus; tunc bene potest absolvi, si censetur bene dispositus per propositum statim removendi occasionem; quoniam eo casu periculum frangendi propositum, remotum reputatur, causa magni oneris quod pœnitens deberet pati, abscedendo sine absolutione aut repetendi confessionem apud alium sacerdotem aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Quapropter, cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, habet jus ut statim absolvatur (1), dum enim hic non potest ante absolutionem occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Sed hoc nec etiam admittendum, si pœnitens jam ab alio confessario alias admonitus fuerit de occasione removenda, et non impleverit, quia tunc habetur ut recidivus, et ideo nequit absolvi, nisi afferret extraordinaria signa doloris, prout in sequenti puncto dicemus n. 12.

6. Hoc dicimus quoad occasionem proximam voluntariam; at si occasio est necessaria, aut *physice*, prout si quis detineretur in carcere, vel esset in periculo mortis, in quo non haberet tempus et modum ejiciendi concubinam: vel *moraliter*, id est, si occasio non posset auferri sine scandalo, aut gravi damno vitæ, famæ, aut bonorum, ut communiter docent dd.; eo casu pœnitens bene absolvi potest, quin occasionem auferat, quia tunc non tenetur eam removere, modo promittat exequi media necessaria ad efficiendum, ut occasio ex proxima evadat remota, prout sunt, præcise in occasione peccati turpis fugere familiaritatem complicis, et etiam aspectum quantum fieri potest; frequentare Sacramenta, et sæpe commendare se Deo, renovando quotidie (præsertim mane) ante imaginem Crucifixi propositum non amplius peccandi, et quantum est possibile vitandi occasionem. Ratio, quia occasio peccandi non est proprie peccatum in seipsa, neque inducit peccandi necessitatem; unde bene consistere potest cum occasione verus dolor et propositum non recidendi; et licet quisque teneatur auferre proximum periculum peccandi, id intelligitur cum ipse sponte vult tale periculum: sed cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit; et Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi, qui vere deliberavit ipsum non offendere. Nam non dicit Scriptura, quod peribit qui est in periculo, sed qui amat periculum; sed nequit dici amare periculum, qui illi invitus subjacet; unde inquit d. Basilius: *Qui urgenti aliqua causa, et necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus, subire; et ideo magis providedit Deus ne ille pereat.*

7. Hinc dicunt dd. bene capaces absolutionis esse, qui nolunt relinquere aliquod officium, negotium, aut domum, in qua soliti fuerunt peccare eo quod deserere eam nequeunt sine gravi detrimento; semper ac verum habeant propositum se emendandi, et media implendi ad emendationem; tales sunt ex gr. chirurgi qui in medendis fœminis, aut parochi qui in excipiendis earum confessionibus, prolapsi sunt, si, his muneribus re-

(1) Ibid. v. excipiendus 2.

lictis, non possent juxta suum statum vivere (1). Sed omnes conveniunt expedire in his et similibus casibus absolutionem differre, *ut* pœnitens sit saltem diligentior in præscriptis remediis exequendis. Verum tamen ego censeo, confessarium non tantum posse, sed etiam teneri ad differendam absolutionem, semper ac commode differre potest, præsertim cum agitur de materia turpi; tenetur enim ipse tamquam medicus animarum opportuniora applicare remedia; et puto remedium magis idoneum non inveniri pro eo qui manet in occasione proxima, quam differre ei absolutionem, dum experientia nimis patet quod plures post absolutionem acceptam negligunt media præscripta exequi; et sic facile recidunt. E converso, cum alicui differtur absolutio, ille vigilantior erit ad media implenda, et ad obsistendum tentationibus, ob metum ne iterum sine absolutione dimittatur, cum ad confessarium redibit. Forte in hoc quis me nimi m rigidum reputabit: sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria; et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multo magis prodesse pœnitentium saluti. Utinam et omnes confessarii sic etiam se gererent, oh quot peccata evitarentur, et quot aliæ salvarentur animæ! Repeto quod supra dixi. Ubi agitur de liberando pœnitente a peccato formali, uti debet confessarius opinionibus benignioribus, in quantum christiana prudentia concedit; sed ubi opiniones benignæ periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire, et quandoque oportere, quod confessarius sententiis rigidioribus utatur; tunc enim hæ valde magi[illegible] animarum saluti. Quod si autem quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relaberetur, etiam remediis adhibitis, et modica superesset spes emendationis, tunc dico omnino huic negandam absolutionem priusquam occasionem tollat (2). Et hic reor instare Evangelii præceptum: *Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum* (3). Excepto casu quo pœnitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, ut posset concipi prudens spes emendationis (4).

PUNCTUM II.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum habituatis et recidivis.

8. Distinguendi sunt habituati a recidivis. *Habituati* sunt qui habitum contraxerunt in aliquo peccato, de quo non adhuc sunt confessi. Isti, ut dicunt dd. (5), bene absolvi possunt, prima vice qua confitentur de pravo habitu, vel si de eo confitentur postquam retractaverunt, dummodo dispositi sint per verum dolorem, et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem; verum si habitus esset valde radicatus, potest etiam confessarius ei differre absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans pœnitens, in praxim deducendo media præscripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. Advertatur hic, quod quinque vices in mense jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum, et bestialitatum multo minor numerus habitum potest constituere: qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dici potest.

9. *Recidivi* autem sunt qui post confessionem eodem, vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione; isti, ut communiter docetur

(2) N. 457. — (3) Marci 9. v. 46 — (4) L. 6. n. 457. v. secus vero. — (5) Lib. 6. n. 459.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur (1), nequeunt absolvi, si sola signa ordinaria afferrant, nempe si tantum confiteantur, asserendo se pœnitere, et propenere, prout habetur ex propos. 60. damnata ab Innocentio XI. Nam habitus contractus, et relapsus præteriti sine ulla emendatione magnam præstant suscipionem, quod dolor et propositum, quæ pœnitens asserit habere, nequaquam sint vera. Unde istis differenda est absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. Et in hoc puncto lugenda est animarum ruina, cujus causa sunt tot mali confessarii, indistincte absolvendo tot recidivos, qui cum repererint confessarios qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in cœno vitiorum usque ad mortem. Quidam dd. (2) admittunt, recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem; sed huic opinioni nunquam potui acquiescere, dum habituatus, qui post unam confessionem recidit sine emendatione, jam est verus recidivus, et fundatum præbet suspicionem suæ indispositionis. Et notetur hic quod hæc regula procedit, etiam respectu culparum venialium, quamvis enim communiter admittitur facilius absolvi posse eos qui prolabuntur in peccata levia, eo quod occasiones eorum frequentiores sint; attamen, cum sit communis sententia (3) grave esse peccatum, et sacrilegium absolutionem recipere super levibus confessis sine vero dolore et proposito; nec sufficere dolere de multitudine, seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari, prout tenuimus *Tr.* 16. *n.* 23., contra quorumdam opinionem; facile metuendum est hujusmodi confessiones sacrilegas esse, aut saltem invalidas. Hinc diligenter satagat confessarius ad non absolvendos indistincte tales pœnitentes; tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, ipse tamen non poterit a sacrilegio excusari, absolutionem impertiendo eis qui ad absolutionem non satis dispositi judicari possunt. Propterea curet, si pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero) ut habeat materiam certam super qua inniti possit absolutio; alioquin etiam huic pœnitenti per aliquod tempus differri oportet absolutio.

10. Dico *per aliquod tempus*, eo quod recidivis tam levium, quam gravium culparum non est necessarium differre absolutionem per annos, aut menses, ut nimis rigide vult Juvenimus (4); sed regulariter satis erit, si peccatum procedit ex fragilitate intrinseca, dilatio octo vel decem dierum, prout ait doctus auctor libri Romæ editi, cui titulus, *Istruzione per li Novelli Confessori* (5); idemque dicit auctor libelli ubique in Italia accepti, cui titulus, *Istruz. per li Confessori di Terre e Villuggi* (6), ubi pro hac doctrina citat Ludovicum Habert (7). Addunt que esse excessivam et periculosam dilationem mensis, quia post tantum tempus difficilis redditur reditus hujusmodi pœnitentium. Et huic judicio favet Papa Benedictus XIV, in Bulla *Apostolica Constitutio*, edita 26. julii 1749. §. 22. (8) ubi loquens de confessariis qui rite pœnitentibus absolutionem differunt, sic deinde eos monet: *Illos quantocius ut revertantur invitent, ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur*. Nota verba, *quantocius* et *donentur*. Ad summum (dico) his

(1) Ib. v. recidivis. — (2) Ib. v. Dicunt vero. — (3) Lib. 6. n. 449. Sed dubitatur. 1.

(4) Vide l. 6. n. 463. — (5) Part. 1. c. 9. n. 225. — (6) Cap. 1. §. 4. — (7) In praxi pœnit. tr. 4. p. 417. — (8) Bull. t. 3. Edit. Mech. t. 1. p. 301.

differri potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. Sed excipere oportet illos qui tempore præcepti paschalis confitentur; pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum justa suspicio haberi possit, quod hi abstineant a relapsu, potius ut censuram effugiant, quam ex vero proposito mutandi vitam. Oportet etiam excipere eos qui la; si sunt in occasione proxima extrinseca: isti enim majori egent experientia, cum occasio (ut dictum est in puncto præcedendi) sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen confessarius, ne dicat pœnitenti, ut non redeat nisi post mensem, nam hic ob tantam dilationem nimis terrebitur: potius imponat ei, ut redeat post octo, vel quindecim dies, et sic blando modo ipsum transferet ad recipiendam absolutionem in fine mensis.

11. Ad absolvendos igitur recidivos non sufficiunt ordinaria signa doloris et propositi, sed requiruntur extraordinaria: quæ alias juxta communem sententiam (1) certe sufficiunt ad absolutionem impertiendam; illud enim extraordinarium signum (modo solidum sit et fundatum) aufert indispositionis suspicionem, quæ urget ratione relapsuum. Recte dixerunt Episcopi Belgii, in anno 1697. congregati, in quodam Decreto edito pro directione confessariorum suarum diœcesum, de hoc puncto loquentes: *Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis, quam doloris* (2). Hinc prohibuerunt, ne confessarii stabili lege exigerent a pœnitentibus adhuc recidivis experientiam notabilis temporis, antequam eos absolverent. Et jure merito, sola enim probatio temporis non est unicum signum mutatæ voluntatis, dum voluntas peccatoris mutatur virtute divinæ gratiæ, quæ tempus non requirit, sed aliquando illico operatur; quapropter mutatio voluntatis bene per alia signa cognosci valet, sine experientia temporis. Quinimo alia signa dispositionis actualis pœnitentium, quandoque voluntatis mutationem manifestant multo melius, quam probatio temporis: nam talia signa directe dispositionem ostendunt, dum e converso experientia illam ostendit tantum indirecte; cum non raro accidat, quod aliquis diu abstinuerit a peccando, et adhuc sit etiam indispositus. Unde auctor libri citati (*Istruz. per li Nov. Confes.*) sic ait (3): *Se la ricaduta nasce dalla propria fragilità, senz'altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto*. Et alibi (4) dicit quod recidivus propter vim mali habitus absolvi debet, semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, sic subdendo: *E giudichiamo che 'l fare altrimenti, sia troppo rigore, e che 'l Confessore facendolo s'allontanerebbe dallo Spirito della Chiesa è del Signore, e della natura del Sacramento, il quale non solamente è giudizio ma è medicina salutare*.

12. Plura autem sunt hæc signa, prout docent dd. (5). 1. Major dolor manifestatus per lacrymas (modo sint veræ compunctionis), aut per verba ex corde procedentia, quæ aliquando certiora signa quam lacrymæ esse possunt. 2. Minor numerus peccatorum; intellige cum pœnitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi; aut si pœnitens post ultimam confessionem perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20. aut 25. dies, ipse qui prius pluries in hebdomada prolabi solebat: aut vero si relapsus fuerit post magnam resistentiam; aut etiam si, antequam ad confessionem accederet, diu se abstinuerit a culpis mortalibus, in quas prolabi assuetus erat. 3. Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset si pœnitens diligenter oc-

(1) L. 6. n. 459. v. recidivus. in fine — (2) Ap. Croix l. 6. p. 2. n. 1823.

(3) P. 1. c. 15. n. 356. — (4) C. 9. n. 213. — (5) L. 6. n. 460.

casionem vitaverit, media præscripta a confessario executioni mandaverit; aut si adhibuerit jejunia, preces, eleemosynas, etc. ad vitium extirpandum. 4. Si ipse petit a confessario remedia, aut nova media ad emendationem; item, si promittit implere media quæ tunc ei suggerit confessarius; maxime si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus censeo non omnino fidendum, si alia signa desint; cum pœnitentes, ut absolutionem capiant, facile promittunt, sed postea difficulter attendunt. 5. Spontanea confessio, nempe si pœnitens accedit non jam ad implendum præceptum paschale, neque ex quodam usu pro se confitendo in aliquibus temporibus, prout die Nativitatis Domini in festivitatibus Deiparæ, et similibus: neque accedit impulsus a parentibus, a domino, aut magistro; sed venit omnino sponte, et vere inspiratus a divino lumine, ad solum finem, ut divinam gratiam recipiat. Præsertim si ad se confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili, grave sustinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit. 6. Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, obve metum alicujus imminentis flagelli, prout terræmotus, pestis, etc. 7. Si pœnitens confiteatur peccata anterius per verecundiam tacita. 8. Si pœnitens, antequam accedat, restituerit rem, vel famam ablatam. 9. Si propter monitionem confessarii ostendit apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati, periculique suæ damnationis. Alii alia signa addunt, prout si pœnitens magnam libenter acceptat pœnitentiam: si asserit pœnituisse peccati statim ac illud patravit: si protestatur velle mori potius quam peccare. Sed hæc signa nescio an sola satis esse possint; potius dicerem quod possent deservire ad alia adjuvanda signa, quæ sola non sufficerent.

13. Denique semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari pœnitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest; quamvis enim confessarius, ut pœnitentem absolvere possit, moraliter certus esse debet ejus dispositionis, attamen advertendum quod in aliis Sacramentis, in quibus materia est physica, physica etiam debet esse certitudo; sed in hoc Sacramento Pœnitentiæ, cum materia sit moralis, prout sunt actus pœnitentis, sufficit moralis certitudo, sive respectiva, ut probatum est (1); nimirum satis est quod confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione pœnitentis, sine aliqua prudenti suspicione in oppositum: alioquin difficulter unquam posset ullus peccator absolvi, nam omnia signa pœnitentium aliud non fundant quam probabilitatem quamdam de ipsorum dispositione. Auctor (*dell'Istruz. per li Nov. Confess.*) sic loquitur: *Non ricercasi altro per amministrare la penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del penitente; onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non si a sufficientemente disposto, non deve il confessore inquietare se stesso, nè il penitente, per averne l' evidenza che non è possibile* (2); vide *Tr.* 16 *n.* 117. *in fin.* Et hic notandum circa malum habitum, quod facilius absolvi possunt recidivi in blasphemiis, quam in aliis peccatis odii, furti aut libidinis, quibus habitus fortius inhæret causa majoris concupiscentiæ sive inclinationis, quæ in illis invenitur.

14. Dictum est, confessarium posse absolutionem impertiri consuetudinario, et recidivo, quando ille per signum extraordinarium dispositus apparet; sed non dicitur teneri, quia potest etiam absolutionem ei differre, si hoc censeat expedire, ut communiter dd. docent (3). Etenim, licet pœnitens post confessionem suorum

(1) L. 6. n. 57. in fine et n. 461. — (2) P. 1. c. 15. n. 368. — (3) L. 6. n. 462.

peccatorum jus habeat ad absolutionem, tamen, non habet jus ut statim absolvatur; nam confessarius tanquam medicus bene potest, imo quandoque tenetur absolutionem differre, cum judicat tale remedium necessario prodesse saluti sui pœnitentis. An autem expediat ordinarie uti hoc remedio, aut non sine consensu pœnitentis? Certum est non expedire, quando dilatio afferre potest magis detrimentum, quam profectum; et idem dicunt dd. quando ob dilationem pœnitens subire deberet aliquam infamiæ notam aut periculum (1). Extra autem hos casus quidam volunt melius esse, quod hujusmodi recidivis differatur absolutio. Alii tamen communius censent id raro expedire, et hoc etiam sentit celeber nostrorum temporum Missionarius R. P. Leonardus de Portu Mauritio in suo docto sermone Romæ edito, cui titulus, *Discorso Mistico e Morale*. Melius nihilominus dicendum, quod in hoc puncto nequit certa statui regula, sed confessarius juxta occurrentes circumstantias gerere se debet: Deo se commendet, et secundum quod se sentit inspiratum, sic faciat. Ego ita censeo: si pœnitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis iræ, odii, blasphemiarum, mollitierum, aut delectationum morosarum, dico cum sententia communissima doctorum (2) quod raro expedit differe absolutionem recidivo cum ille est dispositus: nam sperari debet magis gratiam Sacramenti, quam dilationem absolutionis illi prodesse posse.

15. Dico *ex fragilitate intrinseca*; aliter enim agendum cum eo qui relapsus est ob occasionem extrinsecam, quamvis necessariam; nam occasio vivaciorem excitat concupiscentiam, et complicis præsentia vehementius sensus commovet, et intensiorem reddit affectum ad peccandum, quam faciat pravus habitus intrinsecus; et ideo pœnitens in occasione extrinseca magnam sibi vim inferre debet, non tantum ad superandam tentationem, sed etiam ad se removendum a familiaritate et præsentia complicis, ut periculum ex proximo reddatur remotum. Et tanto magis hoc procedit, si occasio est voluntaria, et omnino auferri debet; quia tunc recipiens absolutionem, antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum factum de illa removenda, prout ostendimus in punct. præcedenti n. 4. E converso in consuetudinario ob causam intrinsecam remotius est periculum violandi propositum, dum ex una parte non adest objectum extrinsecum quod tam violenter eum impellat ad peccandum: et ex altera illi non est voluntaria retentio mali habitus, prout est voluntarium non amovere occasionem cum possit; unde in tali necessitate Deus male habituato magis succurrit, et ideo plus quam a dilatione absolutionis, sperari potest emendatio a gratia Sacramenti, quæ illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media quæ ipse adhibebit ad habitum extirpandum. Cur enim, recte dicunt Salm. (3), magis sperari debet quod peccatori gratia carenti prosit dilatio absolutionis, quam prosit amico Dei absolutio qua gratiam recipit? Et cardinalis Toletus (4), loquendo præcise de peccato pollutionis, censet ad tale vitium vitandum non esse remedium efficacius quam sæpe se munire Sacramento Pœnitentiæ; subditque, hoc Sacramentum maximum esse frænum hujusmodi peccatum committentibus; et qui eo non utuntur, inquit, non sibi promittant emendationem nisi per miraculum: et in facto s. Philippus Nerius (ut legitur in ejus vita) (5) maxime hoc medio frequentis confessionis utebatur pro recidivis in tali vitio. Huic quoque confert id quod ait

(1) N. 463. — (2) Ib. v. ut autem.

(3) De pœn. c. 5. in fine. — (4) Tol. c. 6. n. 2. — (5) C. 6. n. 2.

Rituale romanum, agendo de pœnitentia : *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur, et si expediat, communicent.* Et dicendo *facile recidentibus*, certe intelligit loqui de eis qui nondum pravum habitum extirpavere. Aliqui auctores qui per solam rigoris viam videntur velle animas salvas facere, dicunt recidivos pejores fieri, cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his magistris meis, an omnes recidivi, cum sine absolutione dimittuntur, carentes gratia Sacramenti, evadant fortiores, et omnes emendentur ? Quot ego miseros novi in exercitio Missionum, qui dimissi sine absolutione, vitiis et desperationi se abjecerunt, et per plurimos annos omiserunt confiteri ! Cæterum repeto : quisque se dirigere debet, juxta lumen quo donatur a Deo. Hoc certum est, quod in hac materia tam errant ii qui plus justo sunt faciles, quam ii qui sunt difficiles ad absolvendum. Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt causa quod tot animæ perdantur (et negari non potest quod isti in majori sint numero, et majus damnum afferant, dum istis in majori numero accedunt peccatores habituali) ; sed alii ob nimium rigorem etiam magno sunt damno animarum saluti. Et nescio, an confessarius debeat tantum sibi scrupulum injicere quando absolvit indispositos, et non etiam quando dispositos sine absolutione dimittit. Concludo hic, et dico : Non nego quod aliquando bene prodesse potest recidivo disposito dilatio absolutionis. Dico secundo : Semper proderit quod confessarius hujusmodi recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere. Dico tertio : Ordinarie loquendo, recidivis ex fragilitate intrinseca, et per signum extraordinarium jam dispositis, magis absolutionis beneficium proderit, quam dilatio. Utinam et confessarii recidivos absolvcrent tum solum, cum signa extraordinaria afferunt ! Id quod lugendum est, quod major, ne dicam maxima, confessariorum pars universaliter recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione, et sine aliquo saltem remedio præstito ad emendationem ; et hinc vere procedit, non jam ab absolvendis dispositis, tot animarum universalis pernicies.

16. Hoc tamen quod dictum est communiter loquendo de habituatis et recidivis, non procedit jam circa initiandos in sacris Ordinibus habituatos in aliqno vitio (præsertim in peccato turpi); circa hos enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, sed ordinandus habituatus, si vult ipse ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit, quod sit dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed oportet quod etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis, alioquin ad neutrum dispositus erit ; cum enim sit indignus ascendendi ad altare qui vix egreditur e statu peccati, nec habet prohibitatem positivam, necessariam respectu ad sublimitatem status in quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere. etiamsi ponatur in statu gratiæ. Quapropter tunc confessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non poterit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium, probationem. Id plene probatum est in dissertatione Operi inserta (1), cum communi sententia doctorum (2) ibi relatorum, qui docent quod ad sacrum Ordinem suscipiendum non satis est bonitas communis, id est simplex immunitas a peccato mortali, sed requiritur bonitas specialis virtute cujus initiandus sit a pravis habitibus depuratus ut docuit d. Tho-

(1) Lib. 6. ex n. 63. — (2) Ib. n. 68 v. si igitur.

mas (1); *Ordines sacri præexigunt sanctitatem, unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis, id est ab humore vitiorum.* Et ratio est, quia si ordinandus hanc non habet specialem sanctitatem, indignus est super plebem constitui, ad altissima altaris ministeria exercenda : *Sicut illi* (loquitur idem s. Doctor) *qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis* (2). Et alibi (3) expressius præfatam rationem confirmat, dicens : *Quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirit etiam religionis status.*

17. Verumtamen excipitur casus quo a Deo donaretur quis tam extraordinaria compunctione, quæ ipsum liberaret ab antiqua fragilitate ; nam ut ait idem Angelicus (4) : *Quandoque tanta commotione convertit* (Deus) *cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem.* Raræ quidem sunt hujusmodi conversiones, et præsertim in ordinandis, licet aliquam petant domum religiosam, ut spiritualia agant exercitia; isti enim ut plurimum non ultro, sed coacti accedunt; sed quando vere quis tantam reciperet gratiam a Deo (cujus admirabiles sunt misericordiæ), quæ ipsum taliter mutatum redderet, quod licet adhuc aliquod pravum motum sentiret, magnum tamen concepisset horrorem adversus peccatum, et simul notabiliter diminutum in se cognosceret ardorem concupiscentiæ, ita ut a gratia munitus facile jam inciperet tentationibus obsistere; et insuper firme statuisset in posterum, non tantum vitare peccata et occasiones, sed etiam media opportuniora suscipere ad vivendum ut sacerdotem decet, et jam simul incœpisset ad suam conversionem confirmandam instanter preces effundere pro sua perseverantia, cum magna et tali in Deum fiducia, quæ eum redderet moraliter securum de quadam magna mutatione vitæ; eo casu bene posset confessarius eum absolvere, etsi ipse vellet statim post confessionem Ordinem sanctum suscipere. Attamen adhuc in hujusmodi casu quo pœnitens magnam habuerit compunctionem, confessarius quantum potest adhibere se debet, ut illum inducat ad differendam susceptionem Ordinis, ad hoc ut melius a pravo habitu se purget, et melius concepta proposita exequatur. Imo ad hunc effectum, si ille nolit differre susceptionem, potest etiam confessarius tanquam medicus, ad majorem ejus profectum, differre ipsi absolutionem, ut initiandus Ordinis susceptionem differat. Hoc tamen intelligendum, modo ex tali dilatione non subeat ille periculum alicujus infamiæ, aut notæ ; tunc enim (prout notatum est *n.* 14.) pœnitens habet jus, ut statim absolvatur. Cæterum confessarii debent esse difficiles, quantum fieri potest, in absolvendis hujusmodi ordinandis qui postmodum ordinarie pessimi evadunt, et sic populis et Ecclesiæ perniciem magnam afferunt (5). Hanc meam rationationem integre commendatum reperio a Benedicto XIV. in celebri suo Opere *De Synodo (Lib. 11. c. 2. et 3).*

(1) 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3. — (2) Suppl. q. 35. a. 1. ad 3. — (3) 2. 2. q. 184. a. 8. — (4) 3. p. q. 86. a. 5. ad 1.

(5) Lib. 6. ex n. 69.

PUNCTUM III.

DE NONNULLIS PECULIARIBUS INTERROGATIONIBUS FACIENDIS A CONFESSARIIS PARUM METICULOSÆ CONSCIENTIÆ PŒNITENTIBUS.

I. *De interrogationibus faciendis rudibus.*

18. Jam dictum est *Tr. 16. num.* 102. quod licet debitum conscientiæ examinandæ sit proprium pœnitentis, nihilominus cum confessarius

motivum habet credendi pœnitentem sufficienter non se examinasse, tenetur eum interrogare. Et loquendo de rudibus, ibi similiter dictum fuit *n.* 103. errorem esse eos dimittere, ut diligentius se examinent, sed teneri confessarium eos examinare, interrogando juxta ordinem præceptorum Decalogi, non autem de omnibus peccatis quæ ipsi committere potuerint, sed tantum de magis usualibus, quæ ab hujusmodi hominibus committi solent; præsertim si sunt vectuarii, rhedarii, milites, satellites, famuli, caupones, et hujusmodi. Quoad 1. *præceptum* interrogabit pœnitentem 1. an circa Fidei res sit instructus, juxta ea quæ diximus *Tr.* 4. *n.* 3. Sed hic sapienter animadvertit celeber ille et doctus Missionarius p. Leonardus a Portu Mauritio in suo *Discursu mystico et morali, n.* 26., teneri confessarium instruere pœnitentes rudes in mysteriis Fidei, saltem in quatuor principalibus; quapropter sic subjungit: *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis hæc doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expedit est breviter eos docere prædicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum efformentactus Fidei, Spei, Charitatis, et contritionis, obligando tamen eos, ut imposterum perfecte instrui se faciant circa cætera mysteria scitu necessaria de necessitate præcepti.* Et idem auctor loquens de personis urbanis salutis propriæ negligentibus, quæ sibi magno rubori et contumeliæ habent se de iis interrogari, ait decere confessarium, ut ipsis sic dicat: *Eia eliciamus una simul actus christianos, dic mecum. Deus meus, quia est veritas infallibilis, et quia sanctæ Ecclesiæ tu revelasti, credo quidquid sancta Ecclesia me docet credere; credo præcipue, te esse unum Deum, et tres Personas; credo Filium, cum Deus esset, se fecisse hominem, mortuum esse in cruce, resurrexisse, et ad cœlos ascendisse; et illinc venturum esse omnes judicaturum, ut boni paradisi gloria fruantur, et mali in æterno igne crucientur.* Notandum hic insuper Bened. XIV. in Const. 42. (*de Doctr. Christi* § 12. *Vid. Bullarium tom.* 1. *Edit. Mechl. p.* 225.) dicere, quod est neganda absolutio ei, qui neglexit culpabiliter addiscere scitu necessaria tum necessitate *medii*, cum *præcepti*. Sed quoad ea de præcepto dicit, absolvi posse pœnitentem si ex animo promittit conari addiscere, hisce verbis: *Eo quandoque casu pœnitens absolvi potest, quase vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscit....et promittit operam se impense daturum addiscere necessaria necessitate præcepti.* 2. An superstitiones exercuerit, aut alios docuerit, et si in ipsis aliorum ministerio usus fuerit, quos ad suo peccato cooperandum induxerit. Quo circa debet rudes admonere superstitiones nunquam esse licitas, quamvis ex charitate, aut in necessitate fiant. Quæ autem actiones sint nec superstitiones, vide ne in Opere (1) 3. An unquam olim rubore suffectus in confessione aliquod peccatum reticuerit. Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes, et mulierculas, qui raro frequentant Sacramenta, dicendo eis: *Forsan aliquis vitæ anteactæ scrupulus te mordet? cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tua depone, etc.* Hac interrogatione, aiebat quidam diligens Operarius, a se multas animas a confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat jam hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus a quo peccare cessavit, confessus sit et communicaverit? et si quotiescumque confitebatur, vel communicabat, ad sacrilegium advertebat? Contingit enim aliquibus interdum sacrilege

(1) Lib 3, ex n. 17.

confiteri, præcipue in pueritia, et postea horum oblivisci. Hi enim non tenentur ad repetendas confessiones oblivionis tempore factas. Item interroget, utrum sciebant se talibus confessionibus, et Communionibus etiam præceptum paschale transgressos fuisse? Expedit autem ut hæc interrogatio de sacrilegiis fiat in principio confessionis, ne si postea fiat, et reperiatur jam commissum sacrilegium, tempus teratur inutiliter in repetenda confessione, quæ forsan nihil habet dissimile a præteritis. Oportet autem operam dare, ut qui peccata reticuerunt, cognoscant quam maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus Sanguinem Jesu Christi. 4. Interroget, si pœnitentiæ satisfecerit? Et si omiserit, an hoc accidit propter oblivionem, aut quia noluit eam adimplere, aut quia distulit in posterum faciendam, aut ut sibi commutare faceret? et si in ea dilatione putabat peccare? 5. Circa scandala; si induxerit alios ad peccandum, aut si ut peccatum exequeretur abusus fuerit ministerio aliorum? Si cooperatus sit peccatis alienis? Tabernarios interroget, si ministraverint vinum illis qui soliti fuerunt ebriari (1)? Mulieres interroget, si verbis parum honestis jocis saltibus, risu, aut si fixis oculis aliquem inspiciendo, tunica nimis elevata, aut pectore aperto procaverint viros ad malas cogitationes? si munera ab illis ad malum finem data acceptaverint? 19. Circa 2. *præceptum*. Interroget 1. an trangressus sit aliquod votum? 2. An cum mendacio juraverit? Et an juraverit per Sanctos, aut per aliquas res sacras, aut per animam, per conscientiam, aut per Fidem? 3. An blasphemaverit: et quid protulerit, an dixerit *Male habeat* (vulgo *Managgia*) sive *Atta, Potta*? Et in quem blasphemaverit, an in Sanctos, an in dies sanctos, an in res sanctas? Et si subjunxerit, *Si ego feci?* Item si blasphemaverit, coram filiis, famulis etc. quia tunc accedit etiam peccatum scandali; vide circa blasphemiam quod dictum fuit *Tr.* 5. c. 1. *et seq.* Sed hic advertendum est cum *Instruct. Confess.* etc. non excusari blasphemos a peccato gravi, ex eo quia pravus habitus aut aliquis vehemens iræ motus effecerint, ut ipsi non adverterent aut non perciperent quod dicebant, quia hi prave habituati, licet cognitionem minus expeditam quam alii habeant; attamen semper habent cognitionem actualem sufficientem ad efficiendum ut actus sit deliberatus et mortalis. Cum enim parvi peccatum faciant, ideo in eorum animis non sentitur ille sensibilis stimulus, quem sentiret qui esset conscientiæ non adeo depravatæ; et hinc evenit quod in eorum memoria ne vestigium quidem relinquitur actualis cognitionis, quam habuerunt quidem de peccato; aut vestigium est adeo leve, ut interrogati libenter respondeant quod non animadverterunt. Sed confessarius cautus non debet eis fidem præstare; nec ab hujusmodi sciscitandum est, utrum nec ne animadverterint, sed omnes pro veris blasphemiis actualibus accipiendæ sunt, semper ac illi sciebant esse tales (2).

20. Circa 3. *præceptum*. Quoad obligationem audiendi Sacrum diebus festis, interroget pœnitentem 1. si aliquoties Sacrum omiserit? et si adverterit ad omissionem? aut dubitaverit tempore quo Sacrum audire poterat; etenim multoties pœnitens ad horam ardam Sacrum audire differens, licet casu repererit Sacrum, et illi interfuerit, nihilominus sine justa causa in periculum illud omittendi se injecit, et de hoc rudes non se accusant. 2. Interroget, an laboraverit die festo? et si ille affir-

(1) Prax. confess. t. 8. c. 2. n. 21 et seq.

(2) Vide prax. confess. t. 8. capit. 2. n. 27. et seq. et l. 3. n. 427. v. hic advertend.

met, interrogetur 1. quantum temporis laboraviit ? et quodnam laboris genus exercuit ? Nam secundum communiorem sententiam doctores excusant a gravi laborantem duas horas ; imo alii admittunt quid amplius, saltem si labor est de se levis, aut adest aliqua causa notabilior. Si autem pœnitens confiteatur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit judicans laborare in materia gravi ? sed opus est ut eum doceat laborare per longum tempus etiam occulte, et animi solatio, ac gratis, etiam esse peccatum. 3. Interrogetur, quare laboravit, an per regionis consuetudinem ? an ob necessitatem ? aut jussu patris, aut viri, aut domini ?

21. Circa 4. *præceptum*. Si confitentur filii, interrogentur 1. si oderint parentes ? quia tunc duplex peccatum patraverunt, contra charitatem nempe, et contra pietatem. 2. Si aliquid grave fecerint contra eorum præceptum expressum, et in re justa, sicuti esset ne e domo de nocte egrederentur, ne ludis dammosis luderent, ne cum malis sociis, aut cum personis diversi sexus, et similibus versarentur ? Dixi *in re justa*, quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire. Imo parentes graviter peccarent, si sine justa causa filios ad statum matrimonialem, aut ad statum ecclesiasticum, aut religiosum cogerent : aut modis injustis retraherent eos a statu religioso, quem illi eligere velint. 3. Interroget, si reverentiam adversus parentes non adhibuerint, factis, aut imprecationibus, aut injuriis gravibus coram irrogatis : ut esset eos appellando *ebrios, bestias, fatuos, latrones, beneficos, scelestos :* aut gestus eorum contumeliose exprimendo, aut aliis verbis proferendo, quibus gravem molestiam eis exhibuissent. Vocare autem eos *senes, ignaros, stupidos*, etc. non debet absolute condemnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter offenderentur. Notetur quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint pedes parentum deosculentur, et absolutos dimittunt, sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare, ut ante absolutionem hanc veniam poscant, quin eis imponatur ut pedes, aut manus deosculentur ; quia illi filii quibus hoc faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione, sed potius ut consilium insinuetur, dum certe præsumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant.

22. Si contra confitentur parentes, interrogetur ab eis, 1. si negligentes fuerint in filiis educandis, non curando ut doctrinam christianam illi docerentur, ut Sacro interessent, Sacramenta frequentarent, pravos socios, et personas alterius sexus vitarent. Item eos interroget, si scandalo fuerunt illis, in eorum præsentia blasphemando, etc. ? Si de excessibus eos non corripuerint, et præcipue si aliquid furati sint ? Si permiserint, ut sponsi suarum filiarum domum accederent ? Et potissimum si filios secum in eodem lecto retinuerint ; aut permiserint pueros, et puellas simul dormire ? Item si omiserint alimenta necessaria filiis ministrare ? Si modis injustis coegerint filios ad statum matrimonialem suscipiendum, vel ut Sacris initiarentur, aut aliquam religionem invili ingrederentur ; nam hoc agentes graviter peccant. Sed de hoc parentes plures

nullum sibi scrupulum faciunt, et hinc filiis pernicies, et Ecclesiæ maximum detrimentum evenire solet. Interroget etiam dominos, si famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, aut præcepto paschali non satisfaciebant, aut Sacro non intererant, aut inhoneste loquebantur, præcipue messis et vindemiæ temporibus ? Domini enim, cum possunt, tenentur impedire scandala, quæ tunc committuntur. Interroget etiam viros, si familiæ alimenta ministraverint ? Uxores, si viros ad blasphemias provocaverint ? et si eos debito matrimoniali defraudaverint ? Plerumque de hoc interrogentur uxores, quia multoties propter hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observent sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrænati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utetur, v. gr. *Et obedis tuo viro etiam in rebus ad matrimonium spectantibus ? aut habes forsan aliquem scrupulum, qui te mordet circa matrimonium ?* sed hæc interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus quæ vitam spritualem profitentur

23. Circa 5. *præceptum*. Interroget pœnitentem, si aliquod grave damnum proximo, mala ei precando, appetiverit ? aut de illius damno se oblectaverit ? Et hic notetur, quod si aliquis suo inimico diversa mala exoptaverit, ex. gr. mortem, infamiam, paupertatem, etc. tenetur omnia declarare, et sunt diversa peccata numero distincta, cum ea voluit efficaciter illi inferre ; aut si speciatim et in particulari optavit, ut hæc illi occideret. Aliter autem, ut dicunt probabiliter multi dd., si optaverit mala illa sub uno genere mali, nempe ut media ad ruinam appetitam inimico. Et hic est confusio confessariorum, in discernendo, an imprecationes, quæ rudibus esse solent usuales, fuerint peccata mortalia, an venialia. In hoc oportet interrogare inprimis pœnitentem an in illo actu desideraverit deliberate, ut illæ succederent ? Sed hoc non sufficit ad certum judicium faciendum ; qua de re opus est, ut postea interroget, imprecatusne fuerit in extraneos, an in proquinquos, quia in hos (præcipue in filios, conjuges, aut parentes) raro animus pravus adest. Postremo oportet interrogare de causa, cur eas imprecationes protulerit.) dum si causa gravis, aut fervens ira intercesserint, facile est tunc etiam pravum desiderium intervisse. Cæterum non sufficit pœnitenti ad excusandas imprecationes (prout advertit Cajetanus) dicere quod tantum in illo actu, ut evenirent, cupiebat ; quia hoc jam sufficit ut in illo actu commissa sit culpa gravis ; unde confessarius tunc perquirat de numero, et judicet de eis saltem ut coram Deo sunt ; et quem recidivum in eo vitio repererit, non absolvat, nisi prius resipuerit, aut extraordinarium doloris signum dederit. Interroget 2. si in proximum intulerit injurias graves, et an coram aliis : quia tunc tenetur coram ipsismet restituere illi honorem ablatum, veniam ab eo petendo, aut aliis reverentiæ signis ; dummodo prudenter non præsumatur injuriis affectus totum remisisse : aut quod ab illa publica satisfactione recuset, ne apud se rubor, et apud alios memoria injuriæ acceptæ renovarentur ; aut nisi timeretur, ne illo satisfactionis actu iterum odium excitaretur. Si autem injuria illata fuisset secreta, etiam secreto tenetur veniam postulare, secundum veram sententiam : attamen advertendum est injurias, quibus ad invicem se onerant rudes, licet in se essent graves, nihilominus non esse sempergraves inter hujus generis personas, ut cum se appellant latrones, veneficas, meretrices ; quia ipsæmet non multi hæc faciunt, nec qui eas audit, fidem præstat ; excipe si nominarent res particulares, et complices. Interroget

3. si discordias excitasset, zizania disseminando, et referendo uni quæ ab alio audivit. Insuper si confessarius noverit pœnitentem aliqua injuria fuisse affectum, interroget an requisitus ab offensore injuriam remiserit? Vide dicta *tr.* 4. *n.* 17. Advertendum hic quod dicit Tourn. (*tom.* 3. *pag.* 269.) — nempe quod offensus recte potest velle injuriæ satisfactionem, si secus familia infamia notata remaneret. Item advertit s. Thomas (1) quod juste potest postulare offensoris animadversionem, aut ad cohibendam ejus petulantiam; aut ad consulendum communi tranquillitati. *Si vero* (ait Sanctus) *intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum per pœnam peccantis (puta ad emendationem, vel ad cohibitionem ejus, et quietem aliorum, et ad justitiæ conservationem) potest esse vindicatio licita.* Sed circa punctum de conservanda justitia (quod plerumque innuunt offensi) magna vigilantia utendum est confessario, quia in praxi, ut loco cit. diximus, faciliter in eo desiderio justitiæ latet propria vindicta. Demum circa hoc 5. præceptum interrogentur rudes, an se inebriaverint usque ad rationis usus amissionem? Vide dicta *tr.* 8. *n.* 4.

24. Circa 6. et 9. *præceptum*. 1. Interrogentur de cogitationibus; num desideraverint, aut morose delectati fuerint de rebus inhonestis; et an plene ad eas adverterint et consenserint? Deinde, num concupierint puellas, aut viduas, aut nuptas; et quid mali cum illis se facturos intenderint? In quo advertendum, quod rustici, communiter loquendo, existimant majus peccatum stuprum, quam simplicem fornicationem: e contrario nesciunt malitiam adulterii. Ideo cum iis qui hujus vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cum prævidetur monitio parum profutura, sed tantum effectura, ut pœnitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. De his autem cogitationibus, quibus assentiti sunt pœnitentes, sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem, exquiratur quoties in die, vel hebdomada, vel in mense cogitationibus consenserint. Sed si nec etiam id explicari possint, interrogentur, num concupierint singulas mulieres quæ sibi occurrerunt, vel in mentem venerunt; aut num habitualiter turpiter de aliqua in particulari cogitarint, nunquam pravis consensibus resistendo? Et an semper illam concupierint, vel an tantum quando ipsam aspiciebant? Demum interrogentur etiam, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas? nam (ut diximus *tr.* 3. *n.* 48. *in fine*) tunc illa media, etsi indifferentia, a malitia interna informantur, et ideo explicanda ut peccata externa, sive opera incœpta.

25. 2. Circa verba obscœna interrogentur 1. Coram quibus, et quoties ita locuti sunt, ratione scandali? an coram viris, aut fœminis, uxoratis, aut non? pueris, vel adultis? Facilius enim scandalizantur puellæ, et pueri, quam adulti, præsertim, qui in hoc vitio sunt habituati. 2. Quæ dixerint verba? an v. gr. nominarint pudenda sexus a suo diversi? hoc enim difficulter excusatur a mortali. Num verba protulerint ex ira, vel joco? nam ex ira difficilius aderit complacentia, et scandalum. Caveat confessarius ab absolvendis hujusmodi recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant ea protulisse ex joco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. 4. Num jactaverint se de aliquo peccato? tunc enim tria peccata frequenter concurrunt, scilicet magnum scandalum audientium, jactantia de malo commisso, et complacentia de peccato narrato: ideoque interrogandi sunt, de quo peccato in specie se jactarint. Interrogentur etiam, an delectati sint

(1) 2. 2. q. 108. a. 1

audire alios inhoneste loquentes, et an tunc adverterint ad correctionis præceptum, putantes eam profuturam?

26. Circa opera interrogentur, cum qua rem habuerint? Num alias cum eadem peccarint? Ubi peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas)? Quoties peccatum consummatum, et quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato? Num peccato multum ante consenserint? nam tunc actus interni interrumpuntur, juxta dicta cit. *tr.* 3. *n.* 58. et tunc expedit formare judicium, toties multiplicata fuisse peccata, quot morulæ somni, distractiones, etc. adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus si malum propositum fuerit conceptum per duos vel tres dies ante consummationem peccati, et intra illud tempus non fuerit retractatum, quia tunc sumitur pro uno numero peccatum, vide dicta *ibid.*

27. Se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutionibus, et moneantur eos esse mortalia. Item interrogentur, an concupierint, vel an delectati fuerint de copula cogitata cum aliqua, vel pluribus mulieribus, aut puellis; tunc enim tot peccata distincta committunt. Item adverte, quod si quis coiret inter crura aut brachia mulieris, præter peccatum contra naturam, committeret fornicationem inchoatam, sive affectivam, ut dicunt communiter Fill. Tamb. Holzm. Spor. etc.; unde hic duo patrat et peccata diversæ speciei, unum contra naturam in effectu, alterum fornicationis in affectu. Circa autem peccata conjugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, puta, *an fuerint obedientes viris in omnibus*; de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Quæ autem liceant, et quæ vetentur inter conjuges circa idem debitum; vide quæ fuse dicta sunt *tract.* 18. *ex n.* 38.

28. Circa 7. *præceptum* interroget, si aliquid ab alio surripuerint? et a quo, et an ab uno, aut pluribus? et an semel, an pluries? an soli, an cum aliis? et an domini erant divites vel pauperes? ut dignosci possit, utrum materia fuerit gravis vel levis; vide *tr.* 10. *ex n.* 22. *ad* 73.

29. Circa 8. *præceptum* 1. interrogetur pœnitens, si aliquem infamaverit? et si id effecerit, falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? et cum delictum est verum, utrum illud erat occultum, an publicum in aliquo loco, fama aut judicis sententia? Item si erat occultum, an patefecerit illi cui erat ignotum? et coram quot illud narraverit? item an tanquam certum narraverit, an ut auditum ab aliis obtrectatoribus? et an coram aliis? aut si saltem oblectatus sit in audiendis obtrectationibus? insuper interroget, an aliquod malum infamiam inducens alicui exprobraverit coram ipsomet? quia tunc adest etiam contumelia, quæ distinguitur a detractione. Quomodo autem se gerere debeat confessarius circa famæ et honoris compensationem, vide dicta *tr.* 11. *n.* 3. 4. 18. *et seq.* Circa hoc octavum præceptum non est necesse, ut interrogetur pœnitens, an temere judicaverit? quia hujusmodi judicia, quæ communiter fiunt, difficulter pertingunt ad culpam gravem; dum plerumque non sunt judicia, sed suspiciones; et cum fit aliquod judicium, id evenit, aut quia habetur sufficiens fundamentum ad sic judicandum, aut saltem creditur quod motivum sit sufficiens ad tale formandum judicium. Imo aliquando oportet ab errore nonnullos rudes removere, qui sibi scrupulum faciunt in suspicando ubi suspicari tenentur, ut malo, quod impedire possunt, occurrant: v. gr. nonnullæ matres, cum filiæ cum sponsis, aut etiam cum conjunctis clanculum, aut nimis fa-

miliariter versantur : ita etiam nonnulli viri cum uxores nimis familiariter utuntur cum aliis hominibus, si aliquando confitentur se temere judicasse, aut suspicatos fuisse. Confessarii admonitos hos faciant, ne deinceps sibi de hoc scrupulum faciant ; imo dicant quod ipsi tenentur suspicari in talibus casibus de aliquo malo quod inde subsequi potest, ideoque tenentur removere occasiones, et tales familiaritates prohibere.

30. Circa præcepta Ecclesiæ nihil aliud interrogare occurrit, nisi utrum jejunaverint in quadragesima, et in vigiliis ? si sunt qui supponuntur ad id teneri. Et an præfatis temporibus, aut diebus veneris et sabbati cibis vetitis usi sint.

II. *De interrogationibus adhibendis cum personis diversi status, aut conditionis, quæ sunt conscientiæ parum meticulosæ.*

31. Hic advertitur, quod circa obligationes proprii status, aut officii, non semper sufficit confessario pœnitentem interrogare tantum, an suam obligationem impleverit. Cum pœnitens videtur esse conscientiæ parum meticulosæ, aut confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quod ille suis obligationibus desit, tunc oportet ut ipsum interroget in particulari, saltem circa ejus obligationes principaliores. Et 1. si est sacerdos qui ad confitendum accedit interrogetur 1. an satisfecerit Horis canonicis, et oneribus Missarum, vel an has per multum tempus distulerit celebrare ? 2. An negotiationem exercuerit ? 3. An nimis festinanter missam absolvat ? (circa quod observa quod dictum est *tr.* 15. *n.* 84. 85. *et* 86.). Si est beneficiatus, eum interroget de fructibus beneficii, quomodo eos insumpserit ? Si est confessarius, præsertim interroget, an absolverit eos qui sunt in occasione proxima antequam illam removerint ? aut recidivos sine signis extraordinariis. Si est parochus, de sui officii peculiaribus muneribus interrogetur, uti dictum est *tr.* 7. *ex n.* 14. Sed præsertim 1. an attendat ad debitas correptiones erga subditos ? præcise erga eos qui aliquo tenentur odio, aut cum aliqua turpiter conversantur, aut domus sponsarum frequentant ? 2. An invigilet, ut sui subditi absque exceptione personarum paschale impleverint præceptum, ab eis schedulas, aut aliam certam notitiam, sine delectu personarum, exquirendo ? 3. Quam dederit operam concionando diebus Dominicis, aut docendo doctrinam christianam, et ministrandis Sacramentis, præcipue moribundis ? 4. Eum interroget an Ordinandis fidem de bonis moribus aut de Sacramentorum frequentia exhibuerit, quin de hoc certus factus sit. Denique si accederet Episcopus, qui scire tur neglectæ esse conscientiæ, confessarius omittere nequit eum interrogare de illius peculiaribus muneribus, de quibus locuti fuimus in eodem *tr.* 7. *ex n.* 47 ; et præcipue eum interroget, an debitam adhibeat diligentiam, ut se certum faciat de sufficienti scientia, et de positiva probitate Ordinandorum (prout diximus *tr.* 7. *ex n.* 47. *et* 52.), non acquiescendo solis fidibus parochorum, quæ ut plurimum sunt falsæ, aut suspectæ de falsitate, quia ob humanos respectus solent illæ exhiberi. Item si concedit facultatem confessiones excipiendi sacerdotibus, quorum doctrinam et morum probitatem plane exploratam non habeat ? Secus ipsi damno potius, quam utilitati erunt. Item an exploret scandala quæ in diœcesi adsunt ? Item quomodo invigilet ad visitationem ?

32. II. Si confitetur Monialis, interrogetur : 1. An aliquem defectum commiserit circa vota, præsertim paupertatis, accipiendo vel largiendo sine licentia ? 2. An satisfecerit Horis canonicis ? Opinio enim quod Moniales in privato non teneantur officium recitare, non est satis probabilis, ut ostendimus (1). 3. An erga aliquem mutuam nutrierit benevolentiam periculosam, puta si adfuerint saltem verba, aut litteræ amatoriæ ? Et eo casu, si Monialis familiaritatem illam nollet relinquere, constans sit confessarius in neganda ei absolutione ; in hujusmodi enim familiaritatibus, licet finis positive pravus absit, semper tamen periculum urget : saltem adest scandalum et malum exemplum respectu aliarum. 4. An aliquo teneatur odio in suas sorores. 5. Si Monialis aliquod exercet officium, interroget de illo in particulari, puta *rotariæ*, an afferat litteras aut nuntia de malo suspecta ? *Portinariæ*, an oscitanter januam reseratam teneat, cum periculo scandali Monialium, aut aliorum ? *Abbatissis*, an debitam adhibeant diligentiam, cum viri in monasterium ingrediuntur, aut morantur ? aut an novis abusibus conniveant ? Advertendo quod licet particulares Moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, Superiores tamen, quæ non curant impedire cum possint observantiæ relaxationem, peccant in re gravi.

33. III. Si accedit quis judicis officio fungens, interrogetur 1. An fuerit personarum acceptor ? 2. An causas expediverit ? 3. An in judicando conveniens studium præmiserit, omiserit, vel ex aliqua animi affectione motus erga alterutram ex partibus sententias dixerit ? IV. Si autem accedit tabellio, interrogetur 1. Quomodo se gerat in capiendis informationibus ? 2. An intermiscuerit interrogationes suggestivas ? 3. An testium depositiones diminuerit, vel auxerit ? V. Si accedit medicus, interrogetur 1. An satis fuerit versatus in studio medicinæ, et in praxi medendi ? necnon an studium adhibeat (ut tenetur) in casibus difficilioribus qui occurrunt ? 2. An alicui impertierit licentiam edendi carnes ob merum humanum respectum, sine justa causa ? 3. An aliquod

(1) Lib. 4. n. 141. et 142. et prax. confess. c. 3. n. 54.

periculosum remedium applicaverit infirmo, non adhuc de vita desperato. 4. An fuerit causa, ut remedia acciperentur ab aliquo pharmacopola suo amico, quem tamen noverit parum esse fidelem, vel peritum, aut ineptas vendere medicinas ? 5. An attenderit ad curandos pauperes, si ad hoc stipendium exegit ; vel sine stipendio, si pauperes fuerint in gravi necessitate. 6. An curaverit suos monere infirmos, ut tempore debito confiterentur, juxta præcepta pontificia ? De hoc puncto in pluribus Operis locis sermonem fecimus (2), ubi dictum est quod Innocentius III. medicis præcepit, ne alicujus infirmi curam susciperent, nisi prius ille confessus fuerit ; et s. Pius V. confirmans tale præceptum, insuper jussit, ut medicus post tertium diem relinquat infirmum, nisi sciat ipsum fuisse confessum, item mandavit quod omnes medici, antequam gradum doctoratus assumant, dent juramentum observandi hoc præceptum ; idque mandatum est omnibus collegiis. Sed dubium fit, quomodo hujusmodi præceptum et juramentum intelligantur. Plures dd. tenuerunt ea procedere, cum infirmitas est periculosa ; vel saltem cum dubitatur, an sit periculosa ; et in hoc sensu dixerunt Bullum s. Pii receptum fuisse. Sed communior sententia vult, quod præfatum præceptum, quamvis non obliget in quocumque morbo levi, tamen non intelligendum tantum urgere in morbis actualiter periculosis, sed etiam in illis qui prudenter judicantur posse in posterum fieri periculosi. Et ratio est, quia Innocentius præcipit, ut medicus imponat infirmo confessionem, antequam ejus curationis onus suscipiat, ad hoc, ne infirmus (sic loquitur Pontifex) de confessione monitus in mortali morbo, de salute desperans facilius in mortis periculum incurrat : igitur intendit effici, ut infirmus confiteatur antequam mor-

(2) Lib. 3. n. 482. et melius 1. 6. n. 664. et prax. confess. c. 3. n. 57.

bus fiat mortalis. Hæc sententia mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum etiam timoratæ conscientiæ, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam s. Pii, innixi doctrinæ plurium auctorum Nav. Laym. Vega Graf. Rodr. Ciera etc. (1) sententium quod præfatum juramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine receptum est. Cæterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi qui omittunt monere infirmos de confessione, cum infirmitas est jam periculosa. Oh! quam miserum est videre tot infirmos (et præsertim eos qui spectatæ sunt dignitatis) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitæ Deo mox reddendas parent, tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriæ conscientiæ, suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui, ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imo eis blandiri pergunt usquedum omnino ipsi de vita desperantur. Cum igitur accedit medicus negligentis conscientiæ, curet confessarius præcipue eum interrogare et monere, non oliter, sed cum calore, de hac obligatione intimandi confessionem infirmis, saltem quando advertit morbum jam esse gravem, aut dubitat quod sit jam gravis, ut communiter dicunt dd. qui in hoc non discrepant. Dico *cum calore*, nam ex hoc puncto pendet salus spiritualis, non tantum medici pœnitentis, sed omnium etiam infirmorum qui sub ejus cura erunt.

31. VI. Si autem accedit pharmacopola, interrogetur 1. An præstiterit remedia prægnantibus ad abortum procurandum? 2. An vendiderit unum pharmacum pro alio, et carius quam res valebat? Hic adde Gregor. XIII. in Const. 29. *Officii nostri* omnem vetuisse societatem pharmacopolas inter et medicos, aut chirurgos.

VII. Si accedit mercator, interrogetur 1. An deceperit in pondere et mensura? 2. An res vendiderit ultra pretium supremum, præsertim dando merces ad creditum, cum emptores essent securi, et nihil damni ipse esset passurus? An autem pretium augeri possit, vendendo ad creditum, eo quod tale est pretium currens in venditionibus ad creditum juxta communem æstimationem? Et an res, quæ venduntur minutatim, carius possint vendi? observa doctrinas adnotatas in *Tr.* 10. *n.* 174. *et* 178. cum Less. Lugo Salm. etc.

VIII. Si accedit sartor, interrogetur 1. An in diebus festivis per notabile tempus laboraverit sine extraordinaria causa, ut vestes compleret, et dominis afferret? 2. An jejunia impleverit ab Ecclesia præcepta? nam sartores ob sarciendi laborem minime a jejuniis excusantur. 3. An si alii commiserint ei pannos emendos, ipse pretium majus exegerit, sub colore quod mercator ob peculiarem amicitiam pretio minori pannos ei dederit? Si revera pars illa pretii fuisset ipsi donata, tunc poterit eam exigere, modo moralem præmiserit diligentiam apud alios mercatores, aut certo sciat quod alii communiter mercem illam minori non vendunt pretio: hoc tamen debet esse omnino certum, alioquin nihil amplius potest exigere quam solvit, vide *Tr.* 10. *n.* 189. 4. An sibi retinuerit frustula, sive resegmina vestium, quæ injuste retinet, nisi adsit consensus dominorum, aut nisi illi aliquid injuste detraherent ex pretio debito, adhuc infimo communiter æstimato? 5. An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgo ut dicitur, *in pigliar la misura*), aut est set ex aptandis vestibus fœminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attrectatione; idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes, aut desideria, prout non raro accidit improbæ conscientiæ viris?

35. IX. Si accedit aliqua venditrix sive proxeneta, (intellige de his quibus traduntur a dominis res ad vendendas licitantibus) interrogetur 1. An aliquid retinuerit pretii ab emptoribus exacti? Tenuimus enim quod venditrix nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo designatum; quia talis determinatio fit, ut res non vendatur minoris, non autem ut proxenata illud quod superest sibi retineat; idque procedit, etiamsi a Domino fuerit locus designatus, ubi res venderetur, et proxeneta, adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distanti pluris deinde vendidisset: etenim tunc etiam dicimus, quod ipsa nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem, nam res semper domino fructificat. Excipitur 1. si proxenata rem meliorem reddidit, et ideo pluris vendidisset quam res prius valebat. 2. Si proxeneta cum domino convenerit, amplius ei non tradere, nisi pretium ab eo determinatum: et hoc sive expresse sive tacite, prout esset si dominus nullum pro ejus labore stipendium assignasset. 3. Si quod superest esset parvi momenti, ita ut præsumeretur dominus condonare. 4. Si proxeneta, facta ordinaria diligentia, ipsa sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, et postea eam pluris venderet. Idem licendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emendam pretio designato, et tu minoris emisses; tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses ut impensæ parceres, aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo; hoc tamen intelligitur, si jam præmisisses moralem diligentiam, nec invenisses a quo rem minoris emere potuisses.

36. X. Si accedit barbitonsor, interrogetur an alios tondeat in diebus festivis, et ubi hujusmodi consuetudo non adsit? Dum contra id ei non est vetitum, ubi consuetudo jam introducta est: aut si ibi nequeunt viri tonderi nisi in festis, eo quod in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint. Præterea interrogetur, an comam mulieribus componat juxta improbum usum hoc tempore a Satan inventum. Ordinarie loquendo, puto id esse viris proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delectationibus, aut saltem desideriis; unde dico minime permittendum id alicui, qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset, in hujusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali; sed hoc non obstante, non omittat confessarius eum removere quantum potest ab hujusmodi officio, quod certe in se periculum continet. Hic discutiendum non aggredior, an fœminæ nec ne possint tuta conscientia viros arcessere, ut sibi componant illi comas? Audio quod pluribus in locis ipsæ hoc factitant, et confitentur et communicant; videant ipsæ, et ipsarum confessarii. Saltem confessarius eis imponat, ne alicujus viri junioris opera utantur, ex cujus actionibus perceperunt secum malitiose illum se gerere. Cæterum censeo, quod mulieres purioris conscientiæ non quidem virorum utantur opera, sed contentæ erunt sibi a fœminis inserviri, a quibus coma, quo meliori potest modo, componatur.

PUNCTUM IV.

QUOMODO CUM PUERIS, ADOLESCENTIBUS ET PUELLIS.

37. Cum pueris adhibere debet omnem charitatem, et modos suavio-

(3) L. 6. n. 664 v. circa autem, et prax. confess. c. 3. n. 57. circa med.

res quantum fieri potest. Primo eos interrogare debet, an sciant res Fidei? et si nesciant, oporteteos patienter instruere pro tunc, si tempus adest, vel eos mittere ad alium, ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem. Cum autem agat de confessione, in principio curare debet, ut pueri ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt; et postea fieri illis poterunt sequentes interrogationes: 1. An tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam? 2. An blasphemaverint in Sanctos, aut dies sanctos? vel an juraverint cum mendacio? 3. An omiserint in festis audire Missam, aut in audienda illa, sermones habuerint? Et an in festis laboraverint? 4. An parentibus fuerint inobedientes, aut irreverentiam irrogaverint eos subsannando, manus in eos extollendo, vel convicia aut imprecationes coram ipsis proferendo. Et hic advertendum quod dictum est *n.* 21. de modo imponendi pueris petitionem veniæ a parentibus. 5. An aliquod turpe peccatum patraverint? Sed in hac materia confessarius sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longe, et verbis generalibus: et prius, an dixerint mala verba? an jocati fuerint cum aliis pueris, aut puellis? Et si jocos illos etiam exercuerint? Deinde interroget: an commiserint res turpes? Multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, v. g: *Et nunc dic mihi, quoties hæc fecisti? Quinquies, decies?* Interroget, cum quo dormiant, et si in lecto manibus jocati fuerint? Puellas interroget si aliquem juvenem amore fuerint prosecutæ, et an adfuerint pravæ cogitationes, verba, aut tactus? Et a responsis procedat ad ulteriores interrogationes, sed caveat abexquirendo a puellis, vel a pueris, an adfuerit seminis effusio: cum his enim melius est deesse in integritate materiali confessionis, quam esse causam, ut apprehendant quæ nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. Interroget etiam a pueris, an attulerint nuntia vel dona virorum mulieribus? Et puellis, an acceperint dona a personis suspectis, nempe conjugatis, Ecclesiasticis, aut Religiosis? 6. Interroget, an commiserint furtum, vel an damnum attulerint prædiis alienis, bestiis, aut alio modo? 7. An alicui detraxerint? 8. Circa præcepta Ecclesiæ interroget, an impleverint confessionem et Communionem paschalem? Et an carnes aut lacticinia comederint diebus vetitis?

38. Quod autem pertinet ad absolutionem his pueris impertiendam, magna requiritur attentio. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis jam habeant, prout si distincte confitentur, vel adæquate interrogationibus respondent, et appareat quod ipsi jam comprehendant cum peccato offendisse Deum, et meruisse infernum, tunc si satis videantur dispositi, absolvantur. At si in peccatis lethalibus sunt recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti; unde si non præbeant extraordinaria signa doloris, absolutio eis differri debet. Si autem dubium sit, an puer perfectum usum rationis habeat, prout si ille in actu confessionis non maneret compositus, sed oculos in girum ageret, manibus jocaretur, impertinentia interponeret; tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi præceptum paschale, absolvendus est sub conditione; et tanto magis si confessus fuerit aliquod dubium mortale; bene enim potest administrari Sacramentum sub conditione, quando justa adest causa, ut esse thæc liberandi hunc puerum a statu damnationis, si unquam in illum est lapsus. Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus; dum ideo differri debet absolutio iis qui perfectam discretionem habent, quia spes est quod ex tali dilatione ipsi redeant dispositi; sed spes hæc difficulter haberi potest a pueris qui perfecto usu rationis carent. Et probabiliter plures dd. dicunt quod pueri

isti dubie dispositi absolvi possunt (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, licet sola venialia afferrent, ne careant diu gratia sacramentali, et forte etiam sanctificante, si forte aliquam gravem culpam haberent ipsis occultam. Oportet autem curare, ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium ad suscipiendam absolutionem, modo respectu ipsorum magis proprio, exempli gratia: *Amasne Deum qui est Dominus tuus tam magnus, et tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera quod propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet te pœnitere. Quid dicis? pœnitet te nunc eum offendisse, etc. Istis injuriis quas Deo irrogasti, scis quod infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti? Deus meus, nunquam amplius volo te offendere, etc.* Pœnitentia autem his pueris injungenda levis sit quantum fieri potest, et curandum quod illa ab ipsis quantocius impleatur, alioquin aut eam obliviscentur, aut omittent. Curet etiam confessarius magnopere pueris insinuare devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie Rosarium, et ter *Ave* mane et sero, semper hanc precem adjungendo: *Mater mea, libera me a peccato mortali.*

39. Circa vero statum ab aliquo adolescente eligendum, non audeat confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari. Præsertim, loquendo de iis qui religionem ingredi volunt, ante omnia curet confessarius bene ponderare, in qualem religionem ingredi cupiant; nam si unquam Institutum illud relaxatum est, melius erit alicui (ordinarie loquendo) quod in sæculo remaneat; nam illi se aggregando ipse se geret sicut se gerunt alii, et parum illud boni quod prius exequebatur de facili in tali religione negliget, ut misere pluribus accidit. Et præcipue magnum scrupulum sibi faciat confessarius, si ad insinuationem propinquorum suadeat juveni illi, ut intret in aliquam hujusmodi inobservantium communitatum. Si tamen religio observantia floret, confessarius vocationem sui pœnitentis bene probet, inquirendo ad illam habeat ne pœnitens impedimentum aliquod inhabilitatis, infirmæ valetudinis, inopiæ parentum? et maxime expendat finem, an sit rectus, nempe magis se conjungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactæ vitæ, aut sæculi pericula vitandi? Quod si principalis finis esset mundanus, vitam agendi commodiorem, aut se liberandi a propinquis duræ conditionis, aut complacendi parentibus, qui ad hoc eum impellunt, caveat ne permittat religionem ingredi; nam eo casu illa non est vera vocatio, sine qua hujusmodi ingressus malum habebit eventum. Si autem finis est bonus, et abest impedimentum, nec debet, nec potest confessarius, neque alius, ut docet d. Thomas, sine culpa gravi illi impedire, aut dissuadere vocationem; quamvis prudenter aget aliquando, si executionem illi differat ad melius experiendum, an resolutio sit firma et perseverans; præsertim si noverit adolescentem esse volubilem, aut si deliberatio illa facta fuerit tempore Missionis, vel exercitiorum spiritualium: dum in hujusmodi ocasionibus quædam concipiuntur proposita quæ postmodum, primo fervore transacto, deficiunt.

40. Si aliquis adolescens vellet suscipere statum præsbyteri sæcularis, non sit facilis confessarius ad annuendum, sine longa et probata experientia recti finis, et scientiæ, vel sufficientis capacitatis. Sacerdotes quidem sæculares habent eamdem, imo majorem obligationem, quam Religiosi; et contra remanent in iisdem sæculi periculis; unde ut quis bonus evadat sacerdos in seculo (in quo raro, ne dicam rarissime, boni inve-

niuntur) oportet quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, et deditam orationi et Sacramentorum frequentiæ (sed quis est hic, et laudabimus eum?); alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis ; præsertim si hoc faciat, ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere. Jam autem dictum est supra *n.* 21. et 22. quam gravissimum sit peccatum, quod patrant parentes illi qui filios cogunt, ut statum ecclesiasticum aut religiosum inviti suscipiant. Quoad puellas vero quæ virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitæ spiritualis regulis, et præcipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius.

41. Demum quoad adolescentes illos qui volunt aut debent ducere uxorem (dico debent prout probatum est in libro, loquendo de iis qui essent incontinentes et nollent adhibere alia media opportuna ad se continendos) advertendum, quod sicut peccarent parentes, qui sine juxta causa eis honestum matrimonium impedirent, ita contra peccarent filii (et ideo confessarius tenetur illis hoc prohibere), qui vellent cum dedecore familiæ matrimonium inire, aut quamvis conjugium non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, et cum eorum scandalo, quin ipsi filii justam causam habeant ob quam excusentur; observa quomodo in libro id elucidatum est. Vide dicta *Tr.* 18. *n.* 16.

PUNCTUM V.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CUM PERSONIS DEVOTIS?

42. Personis devotioni deditis, quæ frequenter accedunt ad communionem, ordinarie loquendo, insinuandum, ut saltem in qualibet hebdomada sacramentalem absolutionem suscipiant. Hujusmodi pœnitentes, si tantum de imperfectionibus confitentur quæ non pertingunt ad culpas certe veniales, dicit Bonac., eos absolvi posse sub conditione; sed hoc non admittendum censeo, nisi perraro, et cum ipsi non possent materiam certam præteritæ vitæ assignare, vel non sine magna molestia. Ceterum dico, quod si pœnitens certam non exhibet materiam, non debet confessarius angi in eam perquirendo, ut illum absolvat : et casu quo perquisisset, nec invenisset, non tenetur ei conditionatam absolutionem impertire. Hoc procedit, cum pœnitens confitetur (ut dixi) de defectibus, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia ; at si de certis venialibus confitetur, sed usualibus, sive quotidianis, puta de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in officio, in oratione, et similibus, ut absolutio illi præberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi, quantum potuit, vim intulerit, ac passionem superaverit : quia tunc judicari poterit ejus culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. E converso, si ille frequenter et sine resistentia in hujusmodi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo, juxta dicta ex *n.* 9. hujus tract.

43. Plura insuper hic notanda : Et 1. caveat confessarius, ne his suis pœnitentibus spiritualibus, præsertim fœminis, prohibeat accedere ad alium confessarium ; et cum advertat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse ; imo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur ; præterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat, ne si ad alium accedat, qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter confessarius, ne sollicitum se ostendat, se

velle alicujus animæ directionem suscipere. 2. Numquam absque necessitate de aliorum confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quærat eos ab aliquo errore commisso excusare. 3. Directionem non suscipiat alicujus qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docent s. Philippus Nerius, s. Franciscus Salesius, s. Carolus Borromæus, et alii ; ex hoc enim sæpe dissipationes, perturbationes et quandoque etiam scandala oriuntur. Advertatque, ad mutandum confessarium non satis esse, quod pœnitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbisipsius fidem non amplius habere, ut enim ait s. Theresia, sæpe hæc est dæmonis tentatio. Unde s. Franciscus Salesius sic docet : *Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra neque expedit in hoc esse invariabile, si legitimæ causæ mutationis superveniant.* Cæterum dicit s. Theresia justam esse posse causam mutandi confessarium defectum bonitatis ; ita inquiens : *Si confessarius proclivis alicui vanitati apparet, mutetur ; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet.* Propterea poterit esse justa causa mutandi confessarium defectus doctrinæ; de hoc tamen certam oportet habere præsumptionem. De cætero, ait s. Theresia, quod de dubiis bene potest pœnitens alios doctos directores consulere, imo aliquando hoc omnino expedit. 4. Evitet confessarius partialem se ostendere cum aliquo pœnitente. Quidam ad aliquam animi benevolentiam nimis adjiciunt ; cum illa omnem curam, tempus et laborem insumunt. Non negandum quod aliqua anima quandoque majori indigebit assistentia, quam alia ; sed alia est assistentia, alia est adhæsio, quæ efficit, ut parcior cura de aliis pœnitentibus habeatur. Ideo expediet, quod confessarius personæ illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant. Notandum 5. quod in excipiendis confessionibus harum personarum spiritualium confessarius cavere debet, ne nimis attollat vocem quamvis de peccatis non loquatur ; quia ex hoc accidere potest, quod alii expavescant suas culpas confiteri, ob hunc timorem quod confessarius alta voce loquatur. 6. Non sit facilis permittere devotis puellis, ut capillos præcidant, et aliquem induant habitum religiosum ; sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in vita spirituali, et in virtutibus fixius radices immiserint. Propter istam nimiam facilitatem confessariorum, quot puellæ postea habitum dimittunt, et nuptias ineunt cum scandalo loci, et malo exemplo aliarum ! 7. Neque his puellis indulgeat confessarius, ut a viris doceantur legere, et tanto minus scribere. Quot puellæ simplices, quia didicerunt legere, animæ jacturam luxere ! Hæc si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa. Si cupiunt talia addiscere, curent doceri ab aliqua alia muliere, aut ab aliquo fratre parvulo (adhuc cum cautela), alioquin eas non absolvat ; nec etiam absolvat matres quæ hoc permittunt. 8. Neque concedat fœminis juvenibus, ut vagent, ecclesias visitando, utque in ecclesia morentur, plus quam est necessarium, cum perturbatione parentum ; sed eas moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo. Quomodo autem, et quantum confessarius cavere debeat a familiaritate suarum pœnitentium, de hoc sermo fiet *puncto* 10. *n.* 54. De directione autem animarum spiritualium loquemur in *Append.* 1.

PUNCTUM VI.

QUOMODO DEBEAT SE GERERE CUM MUTIS ET SURDIS.

44. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad ejus confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suo-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum peccatorum et doloris, meliori modo quo potest. Sed priusquam eum audiat, curet confessarius instrui ab ejus familiaribus de ipsius vitiis, et de modo tenendo, ut eum percipiat et ab eo percipiatur ; et cum aliquod jam perceperit ejus particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere. Sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

45. Mutus si sciret scribere, juxta nostram sententiam (1), ipse tenetur ad confitendum per scripturam : qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria. Dico *ordinaria*, quia scriptum non esset muto ordinarium medium, si alioquin magnum ille deberet laborem subire ad suam confessionem explendam, aut si manifestationis periculum esse posset. Loquendo autem de surdis, si unquam accederet ad confessionarium aliqua mulier surda, aut surdastra, et confessarius in progressu confessionis interrogans de circumstantiis peccati confessi, adverteret eam esse surdam, vide dicta *Tr.* 16. *n.* 155.

PUNCTUM VII.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CUM MORIBUNDIS ?

46. Confessarius in excipiendis moribundorum confessionibus non debet tam exacte procedere circa numerum et circumstantias ; præsertim si jam accessisset sacerdos cum Viatico, aut si medicus instaret, ut cito Viaticum suscipiatur ; tunc enim melius est ad dispositionem pœnitentis, quam ad confessionis integritatem attendere. Sufficit tunc imponere infirmo, ut, cum convaluerit, confessionem repetat. Et satisfactio sit levissima, imponendo proportionatam pro tempore quo ille convalescet ; vel satis erit ei injungere ut redeat tempore sanitatis. Vulnerati, et puerperæ, quæ ordinarie nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, et in particulari de aliqua culpa levi, cum proposito integre confitendi si convalescant. Advertat confessarius, quod si moribundus tenetur ad aliquam restitutionem, quam valeat tunc implere, ei imponere debet ut statim faciat : et non sufficit, quod de illa onus hæredibus relinquat, alias eum non absolvat.

47. Si autem infirmus notabilissimam subiturus esset perturbationem animi, in audiendo quod debeat Viaticum accipere, probabile est posse parochum Eucharistiam ei præbere, reticendo solita verba : *Accipe, frater, Viaticum, etc.*, sed proferendo ordinaria verba Communionis : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat, etc.* Vide dicta *Tr.* 15., *n.* 50. Si deinde confessarius adverteret moribundum jam esse in statu, quo teneretur suscipere Extremam-Unctionem, et ille respueret, patefaciat ei magnos effectus hujus Sacramenti, quod grandem præstat animæ fortitudinem ad obsistendum in ultimo agone dæmonum tentationibus; eam solvit a culpis venialibus, et etiam mortalibus, si occultæ sint ; et insuper sanitatem adhuc corporis confert, cum animæ saluti expedit : sed hanc sanitatem non præbet, si moribundus eo devenit, ut nequeat amplius nisi per miraculum convalescere; quia Sacramentum per viam ordinariam tantum operatur, causas naturales coadjuvando. Si vero, hoc non obstante, infirmus non acquiesceret, et pergeret nolle ungi, valde probabiliter plures dd. docent eum lethaliter peccare, saltem adversus charitatem erga seipsum, cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate.

PUNCTUM VIII.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CUM CAPITE DAMNATIS.

48. Cum his maxima charitas et patientia adhibenda est. Prima vice qua confessarius reum visitat,

(1) Vide tract. 16. n. 35.

incipiat ei significare, mortem illam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat quod nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, et de brevi, ut ad æternitatem perveniamus, quæ non habet finem. Hinc ipsi loquatur de felici beatorum vita, et de miseria damnatorum. Deinde hortetur eum ut gratias agat Deo qui usque ad illud tempus ipsum expectavit, nec permisit ut moreretur tempore quo erat in peccato. Demum inducat, ut mortem hilari animo acceptet, eam conjungendo cum morte quam Christus Dominus pro suo amore perpessus est. Eumque confortet dicendo, quod ipse mortem propter sua peccata acceptando, certe salvus est, et cum magno merito salvus, unde in cœlo grandi remunerabitur præmio. Insinuet ei postea, ut confiteatur, et omnia peccata sua libere manifestet. Præcipue interroget, an odio adversus aliquem teneatur? et an servet secum particulas consecratas, aut oleum sanctum, aut superstitiosas scripturas ? Interroget etiam, an aliquot inierit cum dæmone pactum? postquam autem eum absolverit, curet ut ille pluries communicet ; monendo etiam ut frequenter Deiparæ se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat. Dum e carceribus reus ad patibulum pergit, dicat ei : *Eia fili mi sequere Jesum Christum, qui ante te profectus est ad calvarium, ad subeundam pro te mortem tua longe amariorem.* Cum ad locum supplicii perventum sit, iterum eum reconciliet, et absolvat, moneatque ut aliquam indulgentiam lucretur, et deinde sic dicat : *Eia N. hilari esto animo, jam nunc manes in gratia Dei : jam patent tibi paradisi januæ ; ibi te expectant Jesus et Maria. Conjunge mortem tuam cum morte Jesu, qui pro tuo amore exanguis inter ludibria et cruciatus mortuus est. Amasne illum ? dic mecum : Domine, super omnia te diligo ; mori volo, ut tuam faciam voluntatem. Mortem pro meis peccatis accepto. Spero jam mihi te pepercisse, iterum te offendisse me pœnitet. Cupio cito venire ad cœlum, ad tuos pedes osculandos, ac ad te amandum in æternum.* Cum vitta super oculos reo imponitur, et ipse scalam ascendit, ei dicat. *Fili mi, invoca Dei Matrem, ut tibi assistat. Offer mortem tuam pro culpis tuis. Protestare te nolle consentire ullæ dæmonis tentationi.* Postquam scalam ascenderit (dum sententia executionis demandanda est), dicat : *Ecce Jesus Christus qui expansis brachiis te expectat, ut amplectatur : Domine, te offendi, mihi displicet ; nunc te amo toto corde, Deus animæ meæ. Tu me vocas, ecce venio. Maria Virgo, adjuva me. Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Jesus et Maria, Jesus, Maria, Joseph.*

49. Si autem reus obstinate nollet confiteri, quid agendum ? 1. Confessarius quærat cum orationibus adjuvare, et curet, ut etiam ab aliis ille Deo commendetur, ac præcipue a communitatibus religiosis, ut Missis et precibus ipsum auxilientur. 2. Intimet damnato, quod sive ipse convertatur, sive non, sententia exequenda erit. 3. Interroget, an forte de sua salute desperet, eo quod animam dæmoni tradiderit ? Eo enim casu illi suadere studeat, quod hujusmodi pactum vim non habet ; quia solus Deus est animæ Dominus, et statim ac ipse pravam revocat voluntatem, Deus ipsi omnia peccata remittit. 4. Interroget, an aliquem odio insequatur, ex quo proveniat sua obstinatio ? Insuper advertat confessarius, primis vicibus, quibus talem obstinatum alloquitur, ne importune cogat ut statim confiteatur, quoniam obstinatior fiet. Melius erit sermonem secum facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de pœnis inferni, et de paradisi gaudiis. Enarret ei exemplum alicujus peccatoris, qui mortuus est impœnitens; aut nonnullius capite damnati, qui sanctam sortitus est mor-

tem, prout illius, qui, cum innocens damnatus fuisset, cumque interrogaretur, qua de re suam non defendisset innocentiam ? sic respondit : *Et cur? Ego tot annos Deum rogavi, ut mihi concederet mori morte opprobriosa, sicut Salvator meus obiit pro me; ego jam obtinui quod petebam, et nunc hac optata sorte me privare vellem ?* Et ita hilariter ad patibulum perrexit. Dictis his, confessarius relinquat reum, ut secum ista animo revolvat; et postea iterum scisciletur, an forte mutatus sit, eique dicat : *Fili mi, jam tua mors appropinquat, quid decernis ? In tua potestate est infernum, aut cœlum eligere. Animadverte, quod si obstinate decedis, per totam æternitatem te pœnitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium suppetet.* Cum adhuc ipsum videat durum, curet ut circumstantes orent pro eo, et præsertim litanias B. Virginis recitent; et deinde ante eum genuflectat, rogetque, ne velit perire. Si ne proficiat quidem eum alloquendo, se vertat ad alloquendum Crucifixum. Deinde, si reus jam advenerit ad supplicii locum, expostulet a populo, ut omnes genuflectentes pro illo obstinato preces effundant. Prodesse quoque poterit eum terrere dicendo : *Discede, maledicte, in infernum quandoquidem vis le perdere. Sed scito, quod tua pœna acrior in inferno erit memoria hujus temporis, quod Deus tibi largitur, et tu abuteris* ; at postmodum dulcem resumat sermonem. Si unquam damnatus jam scalam ascenderit, et petat confiteri, flagitet justitiæ ministros ut permittant ei descendere protestando quod tunc ipsi tenentur tempus illi concedere ut confiteatur. Hoc tamen currit pro eo qui nondum confessus est, nam si reus jam alias confessus fuerit, tunc confessarius moneat eum, ut actum contritionis eliciat, et inde sic interroget : *Eia, Fili mi nunc nonne intendis confiteri mihi omnia peccata quæ præsertim illa quæ mihi dixisti?* Et cum reus annuerit, levissimam ei satisfactionem imponat (v. g. ut invocet Jesum et Mariam) et absolvat.

PUNCTUM IX.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS CUM INFESTATIS A DÆMONE.

50. Aliqui obsessi a malis spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura ; insinuetur eis oratio, patientia, et super omnia divinæ voluntati uniformitas. Confessarius non sit ita incredulus, ut judicet omnes has invasiones, aut infestationes dæmonum esse phantasias, aut corporales infirmitates ; quia non negandum, veros obsessos etiam inter christianos reperiri ; Ecclesia enim adversus invasiones, ista tot instituit exorcismos, quorum exercitium testatur nobis Concilium Tridentinum semper in usu fuisse apud Ecclesiam. Præterquam quod, si obsessi non existerent, inutiliter Ordo exorcistatus institutus fuisset, quo super energumenos et catechumenos potestas confertur (quod certe non potest supponi); et quidem hic Ordo est unus ex septem, qui semper in Ecclesia Dei fuerunt, ut idem concilium declaravit. Cæterum concilium est semper de talibus invasionibus suspicionem habere ; non enim negandum, majorem earum partem esse aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, præsertim in mulieribus.

51. Qui tamen magis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus, motibus, ac etiam tactibus vexantur a dæmone, qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *succubus*, vel *incubus* appellatur. Quidam hos dæmones incubos, vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant auctores, ut Martinus Delrio in opere *Disquis. Magic.* p. Hieron. Menghi *l.* 2. *c.* 15. Cardinalis Petrucci *Ep. part.* 2.

lib. 2. *opusc.* 5. *c.* 15. *n.* 5. et Sixtus Senensis *l.* 5. *Bibl. Sacr. Annot.* 77. ex Cypr. s. Just. Tertull. etc. Et maxime hoc confirmat s. Augustinus *l.* 15. *de Civit. Dei, c.* 23. *in initio* ubi scribit : *Apparuisse hominibus Angelos in latibus corporibus, et non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima scriptura testatur, et multos (quos vulgo incubos vocant) improbos sæpe exstitisse mulieribus, et earum appetiisse ac peregisse concubitum. . quosdam dæmones hanc assidue immunditiam, et tentare, et efficere, plures talesque viri asseverant, ut hoc negare imprudentia videatur.* Equidem possunt dæmones ad hunc improbum usum defunctorum corpora assumere, vel de novo sibi assumere ex aëre, et aliis elementis ad carnis similitudinem, ac palpabilium et calidorum corporum humanorum species effingere, et sic ea corpora ad coitum aptare. Imo tenet præfatus Delrio, citans d. Thomam d. Bonav. Scotum Abulens. aliosque plures, quod dæmon potest etiam verum semen afferre aliunde acceptum, naturalemque ejus emissionem imitari, et quod ex hujusmodi concubitu vera proles possit nasci, cum valeat dæmon semen illud accipere, puta a viro in somno pollutionem patiente, et prolificum calorem conservando, illice in matricem infundere : quo casu proles illa non erit quidem filia dæmonis, sed illius cujus est semen, ut ait d. Thomas apud citatum auctorem. An autem, inspectis legibus a divina providentia constitutis pro propagatione generis humani, hæc aliquando evenisse, aut evenire posse credendum sit, sapientiorum judicio remittimus. Hic autem fit dubium, an possit dæmon, permittente Deo, absque hominis culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum ? Affirmat p. Gravina Dominicanus, et quidem probabiliter; si enim valet dæmon corpus alicujus totum movere, ut narratur de Simone Mago, ope dæmonis in aërem sublato ; cur non poterit et manum ? Præterea, si dæmon potest alicujus commovere linguam, ut invitus proferat obscœna verba, aut blasphemias contra Deum, quidni manus, ut turpia patrentur ? Idem sentit Cardin. Petrucci *l. c. n.* 8. ubi sic inquit : *Non semel compertum fuisse, quod dæmon aliquam partem in humano corpore cœperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam, vel etiam verenda. Hinc fit linguam obscœnissima verba proferre, licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus et effectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc factiora, quæ me conscribere pudet :* sed maxime prædicta confirmantur a s. Thoma I. 2, quæst. 80. art. 3. in corp. qui sic ait : *Respondeo dicendum quod diabolus propria virtute, nisi refrænetur a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi ; quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit ; nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest, movendo imaginationem et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis potest; sed tunc ratione sic illigata, ut quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum, sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte quæ est libera, potest resistere peccato, sicut supra dictum est. Unde manifestum est quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum.* Juxta igitur s. Thomam, bene potest dæmon (permittente Deo) omnem libertatem ad resistendum homini auferre, sicut aufert obsessis, eumque inducere ad faciendum actum de se peccaminosum sine hominis peccato formali. Insuper juvat hic adnotare id quod super hoc puncto sapienter scribit P. Scarameli (1) dicens : *Id potest peragi sine peccato formali creaturæ, si scilicet dæmon eo tem-*

(1) P. Scaramel. Direct. Mystic. tr. 5. cap. 11. n. 424.

pore quo exterius operatur, interius usum rationis totaliter impediat, ut omnem demat libertatem ad resistendum : quod per d. Thomam fieri potest, ita vehementer movendo imaginationem et appetitum sensitivum, ut per tales perturbationes omne rationis lumen extinguatur. Hinc confessarius examinet pœnitentem in his, quæ patitur, advertat quemadmodum nabitiam peccati, et an habeat aliquem stimulum retrahentem ab illa actione. Nam si dicat, durante illa tentatione, ita mentem sibi offundi, ut nihil cognoscat, nec ullum remorsum sentiat, tunc potuit censeri immunis a peccato. Sicut si eo tempore in ipso effulgeat aliquod lumen rationis, ita ut ratio non sit totaliter ligata, et possit resistere. Præterea advertit p æfatus auctor; monetque confessarios, ut curent quod talia patientes semper subjiciant clavibus Sacramenti hujusmodi actus, quia ipsi vix credi possunt immunes saltem a peccato veniali vel propter advertentiam imperfectam, vel propter aliquam deficientiam resistentiæ, quam adhibere debebant.

52. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste hujusmodi genere tentationis (dictæ *spiritus fornicationis*, a quo s. Ecclesia nobis præcipue injungit petere a Domino, ut nos liberet), debet confessarius multum satagere ad præmunendum pœnitentem in tam horrendo conflictu ; nam ait doctus Cardinalis Petruccius, has animas in magno periculo versari, si remedia non adhibeant multum efficacia, et aliquando, si oportet, etiam extraordinaria : cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, et magna violentia ex parte patientis, difficulter ab hujusmodi pugnis victor egredietur, qui perseveranter non adjiciet magnam mortificationem, et super omnia validam orationem, centies et millies se commendando, gemendo, et misericordiam petendo ad Crucifixi et Deiparæ pedes, lugendo, exclamando, et misericordiam petendo. Alioquin si anima tepescit, et deficit in orando, aut se mortificando, dicit Petruccius, quod ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirecte in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam. Itaque, ut deveniamus ad remedia, si confessarius judicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte pœnitentis, ipsum ante omnia moneat hæc adhibere : jugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. nomina Jesu et Mariæ : se diligenter avertat a sensuum voluptatibus : Communionem frequentet : protestetur sæpe nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi quam opera dæmonis sentiret : sæpe utatur signo crucis (illam ferendo quoque secum), et aqua benedicta ; cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo : afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, et Evangeliorum librum : secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo : *Spiritus nequam, in nomine Jesu Christi præcipio tibi, ut a me discedas, et ne me amplius vexes* : hortetur præterea quod vexatus ille sæpe humilietur, et in hujusmodi humilitatis actibus sæpe se exercitet ; cum Deus aliquando ad aliquam internam superbiam ab anima removendam hujusmodi tentationes permittat.

53. Si quis autem in his tentationibus misere cadit aut earum occasiones magis quærit quam effugit, hujus curatio est valde difficilis : nam hujusmodi peccatores, qui cum dæmone commercium habent, difficillime ex corde convertuntur. Ex una parte enim erga eos dæmon dominium quoddam acquirit super eorum voluntates, et ex altera ipsi remanent nimis debiles ad resistendum ; indigerent extraordinaria gratia Dei, sed difficillime solet hanc Deus hujusmodi impiis concedere. Verumtamen confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere charitatem, confortetque dicendo, quod ubi non est voluntas, non est peccatum ; hinc si ipse voluntate resistet, minime peccat. In his casibus ante omnia confessarius adversus dæmonem præmittat exorcismum, saltem privatum, qui certe licitus est hoc modo : *Ego ut Dei minister præcipio tibi, aut vobis, spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde pœnitentem interroget, an unquam hostem invocaverit, et cum eo aliquod inierit pactum ? an aliquando Fidem negaverit, aut contra ipsam actum aliquem exercuerit ? interroget, qua forma ipsi dæmon appareat, an hominis, mulieris, aut belluæ. Tunc enim, si cum illo coit, præter peccatum contra castitatem et religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomiæ, aut incestus (intellige affectivi), adulterii, aut sacrilegii. Item interroget, quo loco et tempore hoc commercium habuerit ? Ostendat ei postea hujusmodi criminis immanitatem, quæratque eum inducere ad veram conversionem, et confessionem integram faciendam ; isti enim perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata committunt. Eadem demum remedia supra adnotata illi præscribat, nempe quod sæpe ad Deum, et B. Virginem recurrat : frequenter nomina Jesu et Mariæ invocet : aquam lustralem, et crucis signum adhibeat ; aliquam reliquiam et Evangelium secum ferat : sæpe etiam privatum proferat exorcismum, prout dictum est supra. Differat deinde eum absolvere, sed hortetur ut sæpe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, et in remediis adhibendis ; nec eum absolvat, nisi post longum experimentum : tales enim conversiones, ut diximus, raro sunt veræ, et rarissime perseverantes.

PUNCTUM X

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS IN EXCIPIENDIS CONFESSIONIBUS MULIERUM.

54. Summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Et primo notandum quod in Decr. S. C. Episcoporum 24. Jan. 1610. dicitur : *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram.* Loquendo autem de prudentia confessarii, ipse regulariter in confessionario cum junioribus sit potius rigidus quam suavis, nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. In actu confessionis non ostendat eas agnoscere ; aliquæ enim, quæ religiosæ haberi volunt, aliquando advertentes se nosci a confessario, non faciunt integram confessionem. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum e confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis ; et præcipue ad illarum domos numquam accedat ; uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat, et tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus : unde januam apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis numquam defigat. Et hoc præsertim curet, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæsionis. Dicebat Ven. p. Sertorius Caputus, diabolum, ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio uti prætextu virtutis virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam : unde ait s. Augustinus apud s. Thomam (1) : *Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus est habendus, nec tamen quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendæ ; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt et sub prætextu blandi sermonis, immiscet se viscus impiissimæ libidinis.* Et idem angelicus Doctor

(1) S. Th. opusc. 64. tit. de peric. famil.

(loc. cit.) sic prius dixit : *Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, eis tamen perniciosa est magis, maxime quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur : nam quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, detectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum : quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur.* Et subjungit, quod tales personæ hoc non statim advertunt : quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo quæ aliquantulum feriunt, et augent affectum. Sed brevi hujusmodi personæ eo deveniunt, ut non amplius agant secum tamquam Angeli, quemadmodum cœperant, sed tanquam carne vestiti : vicissim se intuentur, mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quæ adhuc a prima devotione videntur procedere : hinc alter alterius præsentiam incipit appetere : *sicque* (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem.* Et quidem oh quot sacerdotes qui antea erant innocentes, ob similes adhæsiones quæ spiritu cœperant, Deum simul, et spiritum perdiderunt !

35 Deinde confessarius non adeo mulierum confessionibus sit addictus, ut, propter hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *bizocas* ; et cum postea vident ad se accedere homines aut fœminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis, et molestiis, et qui ægre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo : *Habeo aliud quod agam, ite ad alios :* unde fit, ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis, et sine Deo. Hoc non est audire confessiones ut Deo placeamus, sed potius ut genio serviamus : quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri confessarii illi qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, immo et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis ; ideoque de hoc fusius loquar capite ultimo ; sed assero quod probi confessarii qui tantum ut Deo placeant confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt s. Philippus Nerius, s. Joannes a Cruce, s. Petrus de Alcantara, aliique) quando cernunt aliquam animam indigentem, præferunt eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando confessarius vult, tempus non deerit.

APPENDIX I.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS IN DIRIGENDIS ANIMABUS SPIRITUALIBUS

4. *ad* 5. §. *I. De meditatione.*
6. §. *II. Circa orationem contemplationis.*
7. *Et hic agitur de collectione* (*proprie vocata raccoglimento*) *naturali, sive otio contemplativo.*
8 *ad* 11. *De ariditate supernaturali, distinguendo sensibilem a substantiali.*
12. *De contemplatione affirmativa et negativa.*
13. *De collectione supernaturali.*
14. *De quiete.*
15. *De caligine.*
16. *De unione activa et passiva.*
17. *De desponsatione spirituali, in quam ingrediuntur elevatio animæ* (*dicta extasis, raptus, et volatus spiritus*).
18. *De matrimonio spirituali.*
19. *et* 20. *De visionibus.*
21. *De locutionibus.*
22. *De revelationibus.*
23. *et* 24. *Directio circa omnia præfata dona supernaturalia.*
25. *ad* 27. §. *III. Circa mortificationem.*
28. *ad* 36. §. *IV. Circa frequentiam Sacramentorum, præsertim Communionis.*
37. *et* 38. *Methodus vitæ perfectæ pro persona religiosa.*

1. Quod olim dixit Dominus Jeremiæ : *Ecce constitui te super gentes ut evellas, et dissipes, ædifices et plantes* ; idem nunc repetit singulis confessariis, qui non solum debent evellere vitia ex suis pœnitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est addere hic in fine caput hoc, quod poterit inservire confessariis tyronibus ad dirigendas animas spirituales ad perfectionem. Non sunt quidem expellendi peccatores, ut superius diximus, sed contra opus est etiam multum Deo acceptum sponsas illi adornare, animas scilicet spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est ejus oculis anima sola perfecta, quam mille imperfectæ. Unde cum videt confessarius pœnitentem vivere immunem a culpis mortalibus omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis, et divini amoris introducat, illi repræsentando meritum, quod habet Deus ut ametur, et gratitudinem quam debemus Jesu Christo qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes animæ, quæ vocatæ a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt. In tribus igitur præcipue posita est directio confessarii quoad animas spirituales, scilicet in meditatione et contemplatione, in mortificatione, et in frequentia Sacramentorum, et de omnibus his sigillatim dicemus.

§. I. *De Oratione meditationis.*

2. Prudens ergo confessarius cum cernit animam aliquam abhorrentem peccata mortalia, et desiderantem progredi in amore divino, ante omnia debet illam disponere ad orationi mentali vacandum, scilicet ad meditationem veritatum æternarum, et bonitatis divinæ. Et quamvis necessaria non sit ad æternam salutem consequendam, sicuti est necessaria petitio, nihilominus videtur valde necessaria animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere ; sed non possunt cohabitare oratio, et peccatum. Anima aut relinquet orationem aut peccatum. Dicebat s. Theresia : *Anima quæ in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat diabolus, tandem pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum conducet.* Et ideo diabolus nullum aliud exercitium tam quærit impedire, quam illud orationis, quo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL

(loc. cit.) sic prius dixit : *Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, eis tamen perniciosa est magis, maxime quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur : nam quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, detectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum : quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur.* Et subjungit, quod tales personæ hoc non statim advertunt : quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo quæ aliquantulum feriunt, et augent affectum. Sed brevi hujusmodi personæ eo deveniunt, ut non amplius agant secum tamquam Angeli, quemadmodum cœperant, sed tanquam carne vestiti : vicissim se intuentur, mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quæ adhuc a prima devotione videntur procedere : hinc alter alterius præsentiam incipit appetere : *sicque* (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem.* Et quidem oh quot sacerdotes qui antea erant innocentes, ob similes adhæsiones quæ spiritu cœperant, Deum simul, et spiritum perdiderunt !

35 Deinde confessarius non adeo mulierum confessionibus sit addictus, ut, propter hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *bizocas* ; et cum postea vident ad se accedere homines aut fœminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis, et molestiis, et qui ægre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo : *Habeo aliud quod agam, ite ad alios :* unde fit, ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis, et sine Deo. Hoc non est audire confessiones ut Deo placeamus, sed potius ut genio serviamus : quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri confessarii illi qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, immo et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis ; ideoque de hoc fusius loquar capite ultimo ; sed assero quod probi confessarii qui tantum ut Deo placeant confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt s. Philippus Nerius, s. Joannes a Cruce, s. Petrus de Alcantara, aliique) quando cernunt aliquam animam indigentem, præferunt eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando confessarius vult, tempus non deerit.

APPENDIX I.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS IN DIRIGENDIS ANIMABUS SPIRITUALIBUS

4. *ad* 5. §. *I. De meditatione.*
6. §. *II. Circa orationem contemplationis.*
7. *Et hic agitur de collectione* (*proprie vocata raccoglimento*) *naturali, sive otio contemplativo.*
8 *ad* 11. *De ariditate supernaturali, distinguendo sensibilem a substantiali.*
12. *De contemplatione affirmativa et negativa.*
13. *De collectione supernaturali.*
14. *De quiete.*
15. *De caligine.*
16. *De unione activa et passiva.*
17. *De desponsatione spirituali, in quam ingrediuntur elevatio animæ* (*dicta extasis, raptus, et volatus spiritus*).
18. *De matrimonio spirituali.*
19. *et* 20. *De visionibus.*
21. *De locutionibus.*
22. *De revelationibus.*
23. *et* 24. *Directio circa omnia præfata dona supernaturalia.*
25. *ad* 27. §. *III. Circa mortificationem.*
28. *ad* 36. §. *IV. Circa frequentiam Sacramentorum, præsertim Communionis.*
37. *et* 38. *Methodus vitæ perfectæ pro persona religiosa.*

1. Quod olim dixit Dominus Jeremiæ : *Ecce constitui te super gentes ut evellas, et dissipes, ædifices et plantes* ; idem nunc repetit singulis confessariis, qui non solum debent evellere vitia ex suis pœnitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est addere hic in fine caput hoc, quod poterit inservire confessariis tyronibus ad dirigendas animas spirituales ad perfectionem. Non sunt quidem expellendi peccatores, ut superius diximus, sed contra opus est etiam multum Deo acceptum sponsas illi adornare, animas scilicet spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est ejus oculis anima sola perfecta, quam mille imperfectæ. Unde cum videt confessarius pœnitentem vivere immunem a culpis mortalibus omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis, et divini amoris introducat, illi repræsentando meritum, quod habet Deus ut ametur, et gratitudinem quam debemus Jesu Christo qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes animæ, quæ vocatæ a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt. In tribus igitur præcipue posita est directio confessarii quoad animas spirituales, scilicet in meditatione et contemplatione, in mortificatione, et in frequentia Sacramentorum, et de omnibus his sigillatim dicemus.

§. I. *De Oratione meditationis.*

2. Prudens ergo confessarius cum cernit animam aliquam abhorrentem peccata mortalia, et desiderantem progredi in amore divino, ante omnia debet illam disponere ad orationi mentali vacandum, scilicet ad meditationem veritatum æternarum, et bonitatis divinæ. Et quamvis necessaria non sit ad æternam salutem consequendam, sicuti est necessaria petitio, nihilominus videtur valde necessaria animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere ; sed non possunt cohabitare oratio, et peccatum. Anima aut relinquet orationem aut peccatum. Dicebat s. Theresia : *Anima quæ in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat diabolus, tandem pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum conducet.* Et ideo diabolus nullum aliud exercitium tam quærit impedire, quam illud orationis, quo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL

niam, inquit eadem Sancta : *Novit dæmon quod certe amittet animam quæ perseveranter incumbit orationi.* Præterea solus amor est qui animam Deo jungit, et stringit, seu fornax in qua accenditur flamma divini amoris est oratio, seu meditatio : *In meditatione mea exardescet ignis.* Ps. 38. 4.

3. Incipiat ergo confessarius introducere animam in orationem. Ab initio non plus quam mediæ horæ spatium assignet, quod deinde, crescente spiritu, plus minusve augebit. Neque desistat ex eo quod pœniteus difficultatem adducit, quod desit sibi tempus et locus ad se colligendum : immo imponat ei, ut saltem mane vel vespere quando in domo major est quies, vel etiam in ipsis occupationibus (quando aliud non posset efficere) elevet identidem mentem ad Deum et meditetur veritates Fidei, ut sunt Novissima, quorum cogitatio, (et præcipue mortis) est utilior pro incipientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quæ meditatio est omnibus fructuosa. Si vero pœnitens non sit litterarum rudis, expedient est, ut utatur aliquo libro spirituali, quo magis habeat ingressum in orationem, quemadmodum facere solebat s. Theresia. Moneat quoque, ut seligat materiam illam, in qua anima majorem experitur devotionem; et in iis locis in quibus anima se vehementius affici et commoveri sentit, moretur aliquantum, et relicta meditatione, totam se exerceat in actibus voluntatis ; vel incumbat petitioni, aut faciendis propositis. Dico 1. se exerceat in *faciendis actibus* scilicet humilitatis, actionis gratiarum, Fidei, Spei, et præsertim in repetendis actibus contritionis, et charitatis erga Deum offerendo se illi totam, totamque suæ sanctissimæ voluntati resignando, et repetendo, plus quam alios, actum illum cui anima se magis sentit inclinatam. Dico 2. exerceat se *in petendo* ; nam a petitione omne nostrum bonum dependet ; et s. Augustinus inquit Deum ordinarie nullam gratiam hominibus concedere, et præsertim gratiam perseverantiæ, nisi per canalem petitionis. Dominus dixit ; *Petite, et accipietis;* ergo, concludit s. Theresia, qui non petit, non accipit. Quapropter si volumus animam nostram salvare, necesse est semper orare, et ante omnia petere perseverantiam et amorem erga Deum ; et quidem nullum tempus oportunius est ad petendum, quam tempus orationis mentalis. Qui non orat, difficulter petit, quia difficulter se actuat ad considerandas gratias, quibus eget, et necessitatem ipsam petendi ; et ideo qui non facit orationem, difficulter in Dei gratia perseverat. Dico 3. in *statuendo*, ut oratio non remaneat infructuosa, et anima mandet exercitio ea lumina, quæ in oratione recepit. Unde, quemadmodum inquit s. Franciscus Salesius, nemo debet imponere finem orationi, nisi prius fecerit particularem aliquam determinationem, puta vitandi defectus quosdam magis usuales ; aut exercendi virtutem aliquam in qua se noscit debiliorem. Videatur circa hoc quod dicetur in Appendice IV. versus finem, cum loquemur de instructione pro oratione mentali §. 3.

4. Exigat igitur confessarius ab animabus istis rationem orationis, exquirendo ab illis quomodo in ea se gesserint, aut saltem si fecerint ; et imponat illis, ut in confessione ante omnia alia se accusent de oratione omissa, quando eam interniserint, quoniam relicta oratione anima salvari non poterit. *Anima quæ omittit orationem* (dicebat s. Theresia) *tamquam a semetipsa avellitur et in infernum sine opera dæmonum.* Oh Deus, et quantam confessarii afferrent animabus utilitatem adhibendo hanc minimam diligentiam ! Et oh quam Deo rationem sunt reddituri, nisi ita se gerant, quoniam ipsi tenentur procurare, quantum in se est, spiritualem progressum suorum pœnitentium ! Oh quot animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque a recidivis in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis ; et interregandi postea saltem sub initiis vitæ spiritualis utrum eam fecerint, vel non ! Quando anima aliqua se in oratione solidavit, difficillime plus Deum amittit ; et ideo oratio mentalis insinuanda est non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui sæpe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum.

5. Super omnia confessarii adhibere debent diligentiam hanc, cum pœnitentes patiuntur desolationem spiritus. Initio quo anima se tradit vitæ spirituali, solet Deus illam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrymis et sensibilibus aliis consolationibus ; sed elapso aliquo tempore solet intercidere hanc venam, ut probet earum fidelitatem, et ut eas ad majorem perfectionem extollat, subtrahens eis sensibilem omnem dulcedinem cui facile anima adhæret non sine impuritate quadam, et culpa ex amore suiipsius. Consolationes sensibiles (quin et attractiones supernaturales) sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus ; unde ipse, ut animas sibi dilectas avellat etiam a donis suis, ut Donatorem puriori amore diligere cogantur, efficit, ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum, et solitam consolationem, sed tædia, ariditates, tormenta, et quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere confessarius ad confortandas animas istas, ne orationem omittant, et præscriptas Communiones. Revocet illis in memoriam verba illa s. Francisci Salesii, scilicet: *Plus valere coram Deo unciam unam orationis in medio desolationum, quam libras centum in medio consolationum.* Quoniam ille qui Deum diligit ob consolationes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligit ; sed qui Deum amat, eique adhæret sine consolationibus istis, hic verum ostendit amorem. Hæc de meditatione sufficiunt, sed opportunum duco aliquam hic novis confessariis præbere notitiam contemplationis infusæ, ac suorum graduum, nec non aliorum donorum supernaturalium una cum regulis præscriptis a spiritualis vitæ magistris ad directionem animarum, quibus Deus hujusmodi gratias voluerit impertiri.

§. II. *De oratione contemplationis, et diversis suis gradibus.*

6. Quando anima aliqua a Deo contemplationis gratia donatur, oportet ut confessarius optime sciat modum quo eam dirigere debet, et ab omnibus illusionibus liberet ; alias maximum illi afferet damnum, et quemadmodum ait s. Joannes a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. Contemplatio multum differt a meditatione. In meditatione quæritur Deus labore discursus, in contemplatione sine hujusmodi labore contemplatur Deus jam inventus. Insuper in meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum, in contemplatione operatur Deus, et anima tantum patitur, et recipit in se dona quæ a divina gratia sibi infunduntur absque eo quod aliquid operetur, quoniam ipsa lux, et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

7. Advertere etiam oportet, quod Deus, antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dictam *di Raccoglimento*, vel *otii contemplativi* (sic illam vocant mystici), quæ non est adhuc contemplatio infusa, quoniam anima adhuc est in statu activo. Hæc recollectio (loquar hic de naturali, quoniam de supernaturali et infusa inferius loquemur *n.* 13.) est quando intellectui opus non est cum labore quasi extra animam exire ad considerandum mysterium aliquod, aut æternam veritatem, sed avulsus a

rebus externis, et collectus quasi intra animam ipsam, absque labore, immo cum magna suavitate attendit illi veritati, aut mysterio, quodcumque sit. *Otium contemplativum* est fere idem, nisi quod in collectione anima attendat alicui devotæ cogitationi particulari ; in otio vero cum generali quadam Dei notitia sentit se in seipsa collectam, et suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo, dicunt quidam mystici, quod etsi hæc oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum a meditatione sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis etc., et tantum manere debet in quadam amoris vigilantia, et attentione ad Deum, absque eo quod actum aliquem faciat. Verum tamen hujusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium, quod quando anima collectam se cernit, non debet se applicare meditationi, quia jam invenit sine ullo labore quidquid ipsa postulabat ; præterquam quod ipsa ordinaria meditatio, ut ait p. Segneri in suo aureo opusculo de *Concordia inter laborem et quietem* (1), producit post aliquod tempus contemplationem quæ dicitur *acquisita*, nempe illam quæ unico intuitu cognoscit veritates, quas ante nonnisi longo discursu et labore cognoverat. Sed his non obstantibus, nescio cur anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis ; et quodnam tempus opportunius his faciendis actibus esse poterit, quam tempus quo anima se collectam sentit ? Verum quidem est, quod s. Franciscus Salesius consilium dedit b. Joannæ de Chantal, ut in sua oratione, cum se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus, sed quare ? quia scilicet beata jam pervenerat ad contemplationem passivam. Unde quando anima adhuc est in statu activo, non est ratio cur actus boni impedire debeant gratiæ operationem. Idem s. Franciscus Salesius præfigebat animabus devotis a se directis determinatum quemdam numerum aspirationum amoris, faciendum intra certum temporis spatium. Quando anima pervenit ad statum passivum contemplationis, tunc anima etsi non mereatur, quia eo tempore non operatur, sed tantum *patitur*, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum majori perfectione. Sed quando anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo ; atque hæc sunt opera, quibus anima meretur gratiam divinam. Unde recte concludit idem p. Segneri, quod quando Deus loquitur et operatur, oportet ut anima taceat, et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex parte sua circa principium, quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes ; sed quando Deus non loquitur, necesse est, ut anima se adjuvet eo modo quo potest ad conjungendum se Deo, scil. meditationibus (quando hæ sunt necessariæ), affectibus, precibus, et determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti : unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se anima sentit suaviter inclinatam.

8. Insuper advertendum est, quod Deus, antequam introducat animam in orationem contemplationis, solet eam purgare ponendo in ariditate supernaturali, quæ appellatur *purgatio spiritualis*, ut eam purificet a suis imperfectionibus, quæ illi impediunt contemplationem. Atque hic distinguendum est inter ariditatem *sensibilem*, quæ pertinet ad sensum, et ariditatem *substantialem*, quæ pertinet ad spiritum. Ariditas *sensibilis* (de *substantiali* loquemur num. sequenti) quando est naturalis fert secum quoddam tædium rerum spiritualium, et obscuritatem quamdam leviorem, et minus durabilem ; sed quando est supernaturalis, de qua hic agimus, ponit animam in quadam obscuritate profundiori, quæ diutius durat, et quotidie majus accipit incrementum. Nihilominus anima in tali statu constituta, licet sentiat se magis a creaturis alienatam, et habeat cogitationem semper in Deum delixam una cum ingenti desiderio, et determinatione eum perfecte amandi, tamen sentit se redditam tamquam impotentem ad hoc exequendum ob suas imperfectiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis ; sed interea hoc non obstante, non cessat se recte gerere in virtutibus. Hæc molesta ariditas est quidam tractus gratiæ, est lux quædam supernaturalis, sed lux quæ affert pœnam et obscuritatem, quoniam volens se nudo spiritui communicare, et inveniens sensus, atque potentias animæ suæ non adhuc capaces, ex eo quia nondum prorsus a consolationibus sensibilibus sint disjunctæ, et consequenter materialibus, quæ plenæ sunt formis, imaginibus et figuris ; producit in anima hujusmodi tenebras tam molestas, sed valde utiles, quoniam per ipsas anima pervenit ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis, quam spiritualibus ; et insuper acquirit magnam suarum miseriarum cognitionem, atque impotentiæ ad quodvis opus bonum perficiendum, et simul magnam erga Deum venerationem, qui illi repræsentatur venerabilis et terribilis. In hoc statu director debet animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se exercere in meditatione, sed ut humiliet se, faciat actus oblationis, totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus suæ voluntatis, quæ tota tendit ad bonum nostrum.

9. Post hanc purgationem sensus solet Dominus concedere donum contemplationis, quæ dicitur gaudii ; scilicet recollectionis supernaturalis, quietis et unionis, de qua deinceps loquemur ; sed ante unionem, et post recollectionem et quietem, solet Deus purgare animam ariditate spiritus, quæ dicitur ariditas *substantialis*, qua Dominus vult, ut anima se totam in seipsa annihilet. Ariditas sensus est subtractio devotionis sensibilis, sed ariditas spiritus est quædam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihilum agnoscat. Atque hic est, ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia ; nam etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, et magis attenta ad Deo placendum, nihilominus quo magis agnoscit suas imperfectiones, eo sibi videtur a Deo expulsa atque derelicta, tanquam ingrata beneficiis acceptis, immo et ipsa spiritualia exercitia, quæ peragit, ut sunt orationes, communiones, mortificationes eam magis contristant ; nam cum ea omnia non sine magno tædio et pœna perficiat, credit omnia digna suppliciis, et se Deo odibiliorem. Quin multoties animæ istæ videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam Deus eas jam reprobaverit, tanquam sibi inimicas ; et adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum pœnas, et divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut hujusmodi desolationes comitentur mille aliæ tentationes, ut motus impuritatis, iracundiæ, blasphemiæ, incredulitatis, et præsertim desperationis : ita ut miseræ in magna illa obscuritate et confusione non valentes discernere resistentiam voluntatis (quæ revera tunc adhuc adest, sed ipsis est occulta, aut saltem dubia ratione præsentium tenebrarum), timeant jam consensisse, et ideo tanto magis existimant se derelictas a Deo.

10. Hic ergo confessarius, quando ei aliqua ex animabus istis occurrit, quæ jam per perfectionem progreditur, et opinatur se derelictam inprimis non terreatur videndo confusionem hanc, et audiendo tot expressiones timoris et desperationis : nec

(1) Segn. p. 1. c. 1. n. 1.

se ostendat timidum, aut ullo modo hæsitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timendum : et eo tempore plusquam alias animet ad confidendum in Deo, recitans illi ea verba, quæ Dominus dixit s. Theresiæ, quod scilicet nemo Deum amittit absque eo quod cognoscat amittere. Dicat ei omnes illas suggestiones blasphemiarum, incredulitatis, impuritatis, et desperationis non esse consensus, sed pœnas quæ si cum resignatione tolerentur, animam magis magisque Deo compungunt. Dicat, a Deo nunquam odio haberi animam, a qua amatur, et quæ bonæ est voluntatis. Addat, Deum ita se gerere cum animabus a se magis dilectis. *Ariditatibus, et tentationibus* (dicebat s. Theresia) *probat Deus suos amatores. Quamvis ariditas totet vita perduret, anima non omittat orationem, veniet tempus quo omnia ei persolventur.* O quam pulchram pro anima desolata sententiam ! Horteur ergo, ut forti animo sit, et viriliter expectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis, moneat etiam, ut primo humiliet se utpote dignam ita a Deo tractari ob anteactæ vitæ defectus : secundo, ut divinæ voluntati se totam resignet, paratissimam se præbendo ad ea omnia perferenda immo et majora pro omni tempore quo Deo placuerit ; tertio projiciat se tanquam mortuam in brachia divinæ misericordiæ, et committat protectioni Mariæ SS. quæ Mater misericordiæ et afflictorum consolatrix jure appellatur.

11. Ariditas sensus perdurat quousque, purificatis sensibus, anima apta ad contemplationem reddatur. Ariditas vero spiritus durat quousque reddatur capax divinæ unionis ; quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus, ut anima iterum redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa, ne anima seipsam negligat, et ut identidem suum nihilum agnoscat.

12. Completa ergo purgatione sensus, et ad finem perducta aridilate sensibili, ponit Deus animam in statu contemplationis. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. *Affirmativa* est quando anima beneficio lucis divinæ, sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem aut creatam, ut esset infelicitas inferni felicitas paradisi, etc., aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. *Negativa* est quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere cum confusa quadam notitia, sed quæ ingerit conceptum longe majorem magnitudinis divinæ : et ita etiam in confuso agnoscit aliquam veritatem creatam, ut horribilitatem inferni, etc. Sed transeamus ad primos contemplationis gradus : hi sunt : recollectio interior spiritus, et quies : de unione loquemur postea.

13. Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali jam diximus supra n. 7. quæ tunc habetur, quando animæ potentiæ colliguntur ad considerandum Deum intra se ; et dicitur *naturalis*, non quia anima ex se valeat illam operari ; omnis enim actus virtutis, ut possit æternum præmium promereri, indiget auxilio gratiæ ; unde generatim loquendo est etiam supernaturalis : sed *naturalis* dicitur, quia anima tunc est in statu activo, et beneficio gratiæ ordinariæ operatur. Recollectio vere *supernaturalis* est ista, quam operatur Deus ministerio cujusdam gratiæ extraordinariæ, et per quam Deus collocat animam in statu passivo : ita ut recollectio supernaturalis, seu infusa tunc proprie habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animæ, sed beneficio lucis quam Deus infundit, et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus. In hoc statu non est cogenda anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret :

quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus, quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio : sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit.

14. Secundus gradus est *quietis*. In recollectione vis amoris communicatur immediate sensibus externis ; quos Deus ipse intra animam facit colligere. Sed in quiete amor communicatur immediate spiritui in ipso animæ centro : et amor ipse est ardentior, qui deinde etiam ad sensus externos diffunditur : hoc vero non semper : unde multoties accidit quod anima habeat orationem quietis, sed sine ulla dulcedine sensibili. Dicit s. Theresia (1) quod in hac oratione non suspenduntur omnes potentiæ : suspenditur quidem voluntas, et remanet tanquam ligata, quia tunc nullum aliud objectum præter Deum valet amare, qui eam sibi trahit : sed intellectus et memoria, aut phantasia quandoque remanent liberæ, et huc illuc que excurrunt. Unde dicit Sancta (2) animam de hoc non debere tristari : *Rideat* (inquit) *de sua cogitatione, illamque deserat veluti stultam, et maneat in sua quiete : et cum voluntas sit domina, ipsa cogitationem ad se reducet, absque ullo vestro labore.* Quod si anima velit se applicare ad colligendam cogitationem, nihil omnino aget, et suam quietem amittet. In hoc statu multo minus quam in recollectione anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex seipsa emendicatos ; eos tantummodo faciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli.

15. Dicamus nunc aliqua de oratione puræ contemplationis, scilicet de contemplatione negativa superius enuntiata, quæ est longe perfectior quam affirmativa. Hæc contemplatio *negativa*, dicitur *clara caligo*, quia ob nimiam lucis abundantiam intellectus obscuratur : quemadmodum qui intuetur solem, radiorum fulgore obcæcatus nihil cernit, sed tantum intelligit solem esse magnum quoddam lumen : sic Deus in ista caligine infundit animæ lucem magnam, quæ facit, ut illa intelligat non jam veritatem aliquam particularem, sed acquirat generalem quamdam et confusam notitiam suæ incomprehensibilis bonitatis, unde anima incipit efformare altissimam de Deo ideam, licet confusam. Quando anima aliquantulum noscit aliquam ex divinis perfectionibus, etiam quidem conceptum suæ bonitatis concipit, sed longe melior est conceptus quem format, quando cognoscit divinam perfectionem non posse comprehendi. Scribit Cardinalis Petruccius in doctissimis suis epistolis, hanc orationem propterea vocari orationem caliginis, quia in hac vita anima non est capax clare intelligendi Divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo ; sed intelligit longe melius omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia, cum Deus non sit res quæ formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare ; et ideo nihil aliud intelligit, quam quod illum non valet intellige re, qua propter hujusmodi intelligentia vocatur ab Areopagita, *sublimis cognitio Dei per ignorantiam*. In hac oratione caliginis suspenduntur omnes interiores potentiæ animi, et quandoque etiam sensus exteriores : ita ut anima aliquando ingrediatur in *ebrietatem spiritualem*, quæ facit eam prorumpere in quædam amoris deliria, ut cantus, clamores, fletus immodicos, saltus, et his similia, quemadmodum evenisset S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

16. Post gradus istos facit Dominus animam ad unionem transire. Unicus animæ scopus hic esse debet unio scilicet cum Deo ; sed ut anima

(1) In vita c. 14. — (2) Cammin. di Perfez. p. 209.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
CENTRAL DE BIBLIOTECAS

perfectionem attingat, non est necessaria unio *passiva* ; satis est illi pervenire ad unionem *activam*. Paucissimæ, inquit s. Theresia, sunt animæ illæ, quæ diriguntur a Deo per vias supernaturales ; et nos in cœlo permultas aspiciemus quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quæ gratias istas receperunt. Unio *activa* est perfecta uniformitas divinæ voluntati, in qua certe consistit tota perfectio divini amoris : *Perfectio*, inquit s. Theresia (1), *non consistit in extasi ; sed vera unio animæ cum Deo est unio voluntatis cum divina voluntate*. Hæc unio est necessaria, non vero unio *passiva* : et animæ illæ quæ solam habent activam, inquit eadem Sancta (2), *fieri poterit quod habeant meritum longe majus, quia majorem patiuntur laborem, et Dominus dirigit eas ut fortes, et consolationes quas in hac vita non habent, servat, ut postea det eis in alia*. Cardinalis Petruccius inquit, quod absque contemplatione infusa recte quidem potest anima beneficio gratiæ ordinariæ pervenire ad annihilationem propriæ voluntatis, et ad eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo quam voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus, tamen hi non impediunt illi præfatam transformationem ; unde subdit quod, cum in hoc posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare et petere a Deo, quam ut dirigatur ab ipso, et in ipso suam efficiat voluntatem. s. Theresia tractando de unione passiva, inquit (3) : quod anima posita in ea *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere* ; quoniam ex abundantia lucis et amoris efformatur illa beata caligo, in qua suspenduntur omnes potentiæ animæ ; memoria enim non recordatur nisi Dei : voluntas conjungitur Deo tali amore, ut nequeat amare aliud objectum, et intellectus tanta luce repletur, ut nullam rem aliam valeat cogitare, nec etiam gratiam quam actu tunc recipit : unde intelligit multum, sed nequit percipere quid intelligat. In summa, anima in hoc statu constituta habet claram et experimentalem cognitionem Dei præsentis qui in animæ centro eam sibi conjungit. Hæc unio, inquit s. Theresia (4), non multum perdurat, sed ad summum dimidiam horam non excedit. In aliis contemplationibus, de quibus antea locuti sumus, Deus præbet se videndum tanquam proximum animæ hic vero tanquam præsentem ; et anima experitur eum sibi conjunctum per suavem quemdam contactum. Unde, inquit Sancta (5), in aliis contemplationibus posse animam dubitare, utrum fuerit Deus, in hac vero non. Hoc tamen non obstante, debet eam confessarius monere non ideo evasisse impeccabilem, et propterea, quo magis se videt a Deo hujusmodi gratiis donatam, eo magis esse debet humilior, et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata , cum assiduo timore quod suæ infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob majorem qua committentur ingratitudinem. Inquit s. Theresia (6) sibi cognitas plures animas, quæ, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccata mortalia præcipites ceciderunt.

17. Tres dantur species unionis, et sunt : unio *simplex*, unio *desponsationis*, et unio *consummata*, quæ vocatur unio *matrimonii spiritualis*. Unio simplex est illa, de qua usque adhuc locuti sumus. Dicendum nunc est de unione *desponsationis*. Hanc unionem solet ordinarie præcedere ariditas substantialis, quæ est purgatio spiritus, de qua jam supra locuti sumus *n*. 8. In hac vero unione

(1) Concetti 3. dell'Amor di Dio Conc. —(2) Avvisi per l'oraz. avv. 22.—(3) Mans V. cap. 4.

(4) In vita c. 18. — (5) Mans V. c. 4.— (6) Mans. 5. et 6.

desponsationis tres sunt alii gradus diversi, scilicet *extasis*, *raptus*, et *elevationis spiritus*. In simplici unione suspenduntur potentiæ, sed non sensus corporei, quamvis hire maneant valde infirmi ad operandum. In unione autem extasis amittitur quoque usus sensuum, ita ut persona non videat, non audiat, et non percipiat neque incisiones, neque adustiones. Raptus vero nihil aliud est quam impressio quædam gratiæ validior, qua Dominus non solum elevat animam ad unionem, sed etiam rapit illam motu quodam subitaneo et violento; ita ut aliquando elevetur etiam corpus, et reddatur leve ad instar plumæ. *Elevatio spiritus* est, quando anima sentit se rapi quasi extra se, et extolli supra seipsam cum magna quadam violentia, unde anima ab initio magnum experitur timorem. In elevatione spiritus continetur tam extasis, quia intervenit amissio sensuum, quam raptus, id est motus violentus. Retulit mihi persona quædam similibus gratiis a Deo donata, quod in talibus elevationibus spiritus videbatur sibi tanquam si animale corpore fuisset avulsa et elevata cum tanta velocitate, ac si conficeret decies centena millia milliaria in quovis temporis momento non sine magno terrore, quoniam ignorabat quo esset ascensura ; sed cum postea subsedisset, tunc illustrabatur ad cognoscendum aliquod divinum arcanum. Sed hic oritur dubium : si in hac unione suspenduntur potentiæ, et intellectus obscuratus a lucis abysso nequit attendere rebus quas intelligit ; qua unquam ratione potest ibi anima intelligere et verba facere de illo divino arcano ? Respondent mystici, quod quando Deus vult, ut anima intelligat aliquod secretum, aut immittere illi aliquam visionem intellectualem, vel imaginariam, minuit nonnihil lucem ita ut anima remaneat habilis ad cognoscendum, et perpendendum quodcumque Deus voluerit.

18. Tandem perfectior unio quæ dicitur *consummata* et major quam in hac vita possit Deus concedere animæ viatrici, est illa quæ dicitur *matrimonii spiritualis*, per quam anima transformatur in Deum, et fit unum quid cum Deo : eodem modo quo vas aquæ infusum mari evadit unum cum aqua maris. Et advertendum hic est, quod in reliquis unionibus, ut loquuntur mystici, potentiæ remanent suspensæ ; in hac vero minime suspenduntur ; quoniam potentiæ purificatæ a sua sensibilitate, et materialitate, jam effectæ sunt capaces divinæ unionis ; ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat, et attendat huic intimæ divinæ unioni, quæ jam facta est in animæ centro, quod accidit eodem modo ac si quis intueretur solem, et sine ulla offensione oculorum solis splendorem cognosceret. Insuper est advertendum, quod hæc unio non est transitoria, ut duæ priores, sed permanens, ita ut anima fruatur habitualiter divina præsentia jam sibi conjuncta, et fruatur in pace stabili : nam passiones nihil amplius eam perturbant : illas quidem anima cernit dum faciem suam ostendunt, sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar ejus qui forte habitans super nubes cerneret tempestates inferius evenientes, et ipse non tangeretur ab illis.

19. Hic abs re non erit aliqua dicere de visionibus, locutionibus, et revelationibus ad discernendas falsas a veris. Visiones vel sunt *externæ*, vel *imaginariæ*, vel *intellectuales*. *Externæ* sunt quæ oculis cernuntur. *Imaginariæ* quæ spectantur in phantasia, seu imaginativa. *Intellectuales*, quæ neque oculis, neque in phantasia videntur, sed a solo intellectu divina luce adjuto, quæ species intelligibiles ingerit ; atque hæc visionum species teste s. Theresia, tota est spiritualis ; nullam enim in ea partem habent sensus neque externi

neque interni qui sunt imaginativa, et phantasia. Notandum quod neque oculis, neque phantasia potest anima cernere res sibi repræsentatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiæ spirituales. Contra beneficio intellectus rescernuntur tamquam spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel ut melius dicam, noscuntur, non videntur; sed noscuntur longe melius quam si oculis cernerentur.

20. Advertendum tamen hic est, quod visiones istas tam Deus, quam diabolus possit operari, quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere s. Joan. a Cruce (1) contra id quod sentit Cardinalis Petruccius; quamvis multo facilius corporales, quæ ut plurimum et præcipue in fœminis ab ipsa phantasia efformantur. Signa ad distinguendas veras a falsis sunt 1. Si veniant ex improviso sine ulla præcedenti animæ cogitatione. 2. Si ab initio afferant confusionem et terrorem, sed postea relinquant animam in pace. 3. Si sint raræ, quia frequentes sunt valde suspectæ. 4. Si parum durent, quoniam inquit s. Theresia (2), quando anima intuetur per longum tempus rem sibi repræsentatam, signum est quod sit potius actus phantasiæ. Visio divina, ut plurimum, transit ad instar fulguris, sed remanet inde immobiliter menti infixa 5. Vera visio relinquit animam in summa pace, et vivida cognitione miseriæ suæ, non sine ingenti desiderio perfectionis, ad differentiam visionum diabolicarum, quæ parum remanent impressæ, et relinquunt animum in quadam siccitate, perturbatione, motibus propriæ æstimationis, et cum fame sensibili harum gratiarum. Verum cum omnibus signis superius memoratis, inquit s. Theresia (3), nullam certam haberi posse securitatem, quoniam multoties dæmon scit simulare quietem, cogitationes humilitatis, desideria perfectionis; quæ omnia incertum est a quo procedant; quoniam sæpe ipse dæmon, ut ei fides præstetur, solet hæc insinuare, ut tandem illum percipiat fructum, et deceptiones, quas intendit. Unde director, regulariter loquendo, non prohibeat animæ enarrare sibi hujusmodi visiones, immo imponat illi ut manifestet quæcumque videt, sive vera ea sint, sive falsa, ut docet s. Theresia (4); sed e contrario nullam ostendat curiositatem sciendi hujusmodi visiones, neque de his minute animam interroget, nec præveniat dicendo: *Num fuit sic? Vidisti me hoc, vel illud?* quia tunc facile anima respondet affirmative aut ex sua malitia, aut simplicitate. Si aperte noverit hujusmodi visiones esse opus phantasiæ, aut diabolicum, quia forte alienant animam ab obedientia, humilitate, aut ab alia virtute, tunc aperte ei hoc dicat. Si vero id confessarius non discernat, omnino non expedit indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasias, quemadmodum solent quidam nimis increduli (ad differentiam aliorum, qui nimis credulí, omnes habent ut veras); sed dicat pœnitenti, ut oret Deum quod non amplius ducatur per vias adeo periculosas, se protestando quod quamdiu vivet in terris velit Deum cognoscere solum per viam Fidei. Cæterum insinuet ut ex visionibus habitis vel falsis, vel veris illum percipiat fructum, qui magis est necessarius, et præcipue se recte cum Deo gerendi; ita enim agendo, quanquam visiones fuerint a dæmone, dæmon remanebit clusus.

21. Quod vero ad *locutiones* attinet, *locutio* esse potest *successiva*, *formalis* et *substantialis*. *Successiva* est quando anima meditando aliquam veritatem Fidei, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea. Hæc, quando bonos parit effectus, ut essent amoris, aut humilitatis extraordinariæ, esse potest speciale Dei lumen:

(1) Salita l. 2. c. 23. — (2) Mans. 6. c. 9. — (3) Ibid.

(4) Mans. 5. c. 9.

sed quando non videt augeri consuetum amorem, indicium est eam esse intelligentiam proprii intellectus. *Formalis* est quando anima audit aliqua verba formata, sed extra se; et potest hæc percipi vel auribus, vel imaginativa, vel intellectu. Hæc ut discernatur utrum sit divina, vel diabolica, videndæ sunt res quas exprimit, aut faciendas imponit, et effectus quos relinquit. Præcipue, si est divina, imponitque opera patientiæ, propriæ abjectionis, aut quodvis aliud opus spirituale, relinquet facilitatem quandam ad omnia toleranda, ad operandum, et se humiliandum. *Substantialis* est eadem ac formalis, et solum differt in effectu; quoniam formalis aut instruit, aut imponit; substantialis vero cito operatur id quod exprimit: ut e. c. si diceret: *Consolare*; *Noli timere*; *Dilige me*: anima tunc in eodem temporis puncto remanet consolatione repleta, intrepida, aut amoris igne succensa. Hæc locutio præteris omnibus est securior; prima enim est valde incerta; secunda, id est formalis, est multum suspecta, præsertim quando jubet res exequendas: unde director si observat ea quæ jubentur esse christianæ prudentiæ opposita, debet ea omnino prohibere; si vero non sint prudentiæ contraria, expedit ut earum suspendat executionem, quousque deveniat in majorem securitatem, et multo magis si res sint extraordinariæ.

22. Denique quod attinet ad *revelationes* rerum occultarum, aut futurarum, ut scilicet mysteriorum Fidei, status conscientiarum, prædestinationis animarum, mortis, promotionis ad aliquam dignitatem, et his similia; hæ possunt tripliciter haberi, nempe per visiones, per locutiones, et per intelligentias nudarum veritatum. In hujusmodi revelationibus debet director magnam adhibere prudentiam, nec sit nimis facilis ad credendum, præcipue ad exequendum quando agitur de certiorando aliquem de notitiam in revelatione acceptam. Ante omnia jubeat animæ, ne revelationem aliis indicet, et ipse cautissime semper procedat, immo utatur sapientiorum consilio, quoniam ut plurimum tales revelationes dubiæ sunt et suspectæ. Minus vero suspectæ sunt intelligentiæ simplicium veritatum circa mysteria, attributa divina, malitiam peccati, damnatorum infelicitatem, et his similia; hæ quando sunt Fidei conformes, inquit s. Joannes a Cruce (1), quod anima non debet illas expetere; sed si ipsi concedantur, humiliter sunt ab ea accipiendæ, et non refutandæ.

23. Oritur hic dubium: Utrum omnes istæ species gratiarum et communicationum supernaturalium debeant rejici aut acceptari? Et distinguendum est, ut ait doctus quidam auctor (2) cum s. Joanne a Cruce, et aliis: gratiæ illæ quæ elongant a Fide, ex eo quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, has oportet omni conatu rejicere: sed illæ ex opposito, quæ sunt uniformes Fidei, ut sunt notitiæ confusæ et generales, et tactus divini qui uniunt animam Deo, non sunt rejiciendæ, immo possunt humiliter expeti et desiderari, ut magis magisque Deo uniatur, et in suo sancto amore solidetur. Hoc nihilominus intelligitur pro illis animabus quæ jam donantur similibus favoribus; quoniam pro aliis tutior via est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, quæ ut diximus, est unio voluntatis nostræ cum divina voluntate. Director igitur, quando ei occurrerit anima cum his communicationibus contemplationis, aut caliginis, aut unionis, non debet ei imponere ut eas rejiciat, sed ut humiliter et cum gratiarum actione recipiat. Semper vero utatur verbis quæ animam non omnino securam efficiant, sed relinquant quemdam timorem, qui eam

(1) Salita l. 11. c. 33. — (2) F. Bern. de Castelvere Dirett. Mist. l. 2. p. 2. c. 1.

etsi non conturbet, detineat vero in humilitate, et ab omnibus alienatione. Gratias autem quarumdam notitiarum distinctarum quæ habentur per viam visionum, et his similium, ut superius diximus, jubeat confessarius constantissime recusari, semper tamen in spiritu humilitatis (et sine ullo contemptu, ut expuendi in faciem, irridendi, etc. quod non licet, ut plures asserunt) ; et protestando coram Deo se velle ei in pura Fide servire. Cæterum, inquit s. Theresia, quod quotiescumque anima sentit se suaviter accendi ad amorem erga Deum, habere debet communicationem tanquam divinam, non ideo ut credat se aliis meliorem, sed ut animum faciat ad perfectius coram Deo ambulandum ; ita enim agendo Deus efficiet ut dæmon, etiamsi iste aliquam partem haberet, victus remaneat, et suis ipsis armis sibi damnificet.

24. Sed concludamus. Director ergo 1. imponat animæ, ut superius diximus, ut fideliter enarret omnes communicationes quas habet in oratione, nullum tamen eas sciendi desiderium demonstret ; nec unquam aliis manifestet gratias supernaturales suo pœnitenti concessas : fiet enim ut illi ejus precibus se commendent, eumque maximo superbiendi periculo exponant : vel si post hanc notitiam levissimum intueantur defectum multum scandalizabuntur, et in derisione habebunt. 2. Non ostendat huic animæ talibus favoribus distinctæ perticulare aliquod signum æstimationis, et multo minus mittat alias pœnitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem ; potius ostendat minoris eam facere, quam alias animas, quæ ambulant per viam Fidei : quoniam animæ his favoribus ornatæ, regulariter loquendo, semper, et multum sunt humiliandæ. 3. Si advertat animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adjuvare, immo et securam facere, quoties expedire cognoverit. Inquit s. Theresia, quod anima nunquam movebitur ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit magna accepisse a Deo. Et quidem eadem Sancta, quando a ss. Francisco Borgia, et Petro de Alcantara fuit facta securior, dona, quæ ipsa acceperat, esse vere divina, ex eo tempore ad perfectionem non amplius cucurrit, sed evolavit. Neque ex eo quod cernit director animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, aut commissi cum adhærentia et contemptu), reputare debet omnes hujusmodi communicationes pro mendaciis et illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantum animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ea scilicet ratione, ut liberet eas a suis imperfectionibus et ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur quod per hujusmodi communicationes anima magis magisque se liberet a passionibus, et prolicit in amore divino, atque in desiderio perfectionis, signum est quod illæ sint bonæ. De reliquo quando agitur de gratiis externis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, regulariter loquendo, ut diximus, tutius est, ut director ostendat parvi eas facere, dicendo id quod ait s. Theresia (1) e cœlo post obitum suum cuidam personæ religiosæ : *Ne fidant animæ visionibus et revelationibus particularibus ; ne collocent perfectionem in eis habendis : licet enim aliquæ ex eis sint veræ, plures nihilominus sunt falsæ et mendaces : et difficile est invenire unam veritatem inter plura mendacia* (quare plures sunt visiones falsæ quam veræ) ; *et quo avidius expetentur, et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide et humilitate, quæ est via tutior quam posuerit Deus.* Quare det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem a rebus terrenis, et a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem nunquam valebit pervenire. Quod si unquam director advertet animam non esse bene fundatam in suæ miseriæ cognitione, et vellet pro certo tenere quod suæ communicationes sint divinæ, et turbaretur audiendo quod director nollet eas credere uti tales, pessimum signum est : signum est quod illæ sint dæmonis ex effectibus qui observantur, scilicet adhæsionis superbiæ; aut indicium est quod anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare deberet, quoties dubitat confessarius et ideo in hoc casu omnibus modis est humilianda, et in timore detinenda quantum fieri potest; et tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communione, et severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur a dæmone. Denique director etsi judicaret reddere animam certiorem, quod suæ communicationes sint a Deo, tamen ei insinuet, ut in oratione semper præ oculis habeat (vel saltem in principio) punctum aliquod vitæ, vel passionis Jesu Christi. Dicebat s. Theresia, animam, quæ amittit directionem boni Jesu, nunquam perventuram ad perfectam cum Deo unionem. Animæ incipientes meditantur Domini passionem per modum discursus; contemplativæ vero non utuntur discursu, sed proposito sibi mysterio aliquo, admirantur bonitatem, misericordiam, amorem divinum; et hinc Deus facit eas transire, quando ei placuerit, ad contemplationem quæ Divinitatis.

(1) Vita c. et 15 Man. VI. c. 9.

§. III. *De mortificatione.*

25. Quoad mortificationem oportet advertere, quod quando animæ vitam spiritualem incipiunt, ex eo quod solet tunc Dominus, ut diximus, eas allicere consolationibus sensibilibus, in primis illis fervoribus vellent se interficere disciplinis, ciliciis, jejuniis et similibus exercitiis afflictivis. Interea oportet ut director sit parcissimus in hujusmodi mortificationibus concedendis : nam alias, superveniente inde tempore ariditatis, ut ordinarie solet accidere, facile anima destituta suo pristino fervore sensibili, amittet omnes suas mortificationes ; et incipiens inde diffidere, relinquet etiam orationem, et vitam ipsam spiritualem, utpote res minus sibi accommodatas, et consequenter omittet omnia. Aliquando etiam accidit, ut hæ animæ incipientes ratione primi illius fervoris se dent in res immoderatas, et incidant in morbos corporales, et tunc ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiritualia non sine ingenti periculo amplius ea non resumendi. Ideo director curare debet, ut prius ipsæ in vita spirituali solidentur, et postea consideratis circumstantiis sanitatis, occupationum, atque fervoris, concedat illis eas mortificationes externas, quas ipsis magis judicaverit convenire secundum christianam prudentiam. Dico *secundum christianam prudentiam* ; quoniam dantur aliqui directores adeo imprudentes, qui omnem animæ progressum collocare videntur in onerando eam jejuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus, et his similibus. Alii vero omnes omnino mortificationes externas videntur reprobare tanquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando. Sed hi etiam errant ut primi, quoniam mortificationes corporales adjuvant internas, et sunt quodammodo necessariæ (quando possunt exerceri) ad frænandos sensus, et ideo legimus ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas. Verum quidem est, quod mortificatio interior passionum est a pœnitentibus potissimum exigenda; ut ex. c. esset, non respondere injuriis, non quærere, neque manifestare aliis quæ tendunt ad propriam æstimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati condescendere (sed sine damno spirituali); unde expedit aliquando alicui animæ

prohibere omnes mortificationes externas, quousque se sentiat liberam ab aliqua passione magis dommante, ut vanitatis, rancoris, cupiditatis rerum hujus mundi, æstimationis propriæ, aut propriæ voluntatis. Sed absolute asserere, mortificationes externas nihil, aut parum prodesse, maximus error est. Dicebat s. Joannes a Cruce, ei qui reprobat pœnitentias, nullam præstandam esse fidem, etiamsi miracula perpetraret.

26. Ab initio ergo director ante omnia injungat pœnitenti, ut nihil unquam faciat contra, aut sine ejus obedientia. Qui contra obedientiam pœnitentias agunt, inquit s. Joannes a Cruce, *Hi magis progrediuntur in vitiis quam in virtutibus*. Sit quoque, ut dixi, valde retinens in concedendis hujusmodi mortificationibus, quamvis id importunius efflagitent pœnitentes ; satis erit ab initio eis concedere aliquam tenuem, sed raram mortificationem, ut disciplinam, catenulam ferream, abstinentiam, potius ad ingerendum in eorum animis mortificationis desiderium, quam ad eos, ut convenit, mortificandos, et postea processu temporis poterit liberalius agere juxta progressum quem anima faciet in virtutibus ; quando enim illa erit in spiritu solidata, non poterit ei sine scrupulo opportunas mortificationes denegare. Cæterum, ordinarie loquendo, generalem hanc regulam sibi proponat, numquam scilicet concedendi mortificationes externas nisi prius requisitus, quia hæ non multum prosunt, si absque magna appetentia recipiantur : et quoties concedit semper minus quam postulatur concedat, et potius, ut inquit Cassianus, excedat in denegando, quam in concedendo. Præcipue curet suadere mortificationem externam circa gulam, cujus quædam animæ spirituales non admodum sunt amantes : hæc revera est omnium durissima, sed utillissima spiritui, et sæpe etiam corpori : dicebat s. Philippus Nerius : *Qui non coercet gulam, nunquam perveniet ad perfectionem*. E contrario sit parcus in concedendis mortificationibus somni, quoniam hæ facile tum corporis, tum spiritus saluti sunt nocivæ ; sublato enim somno sufficienti, patitur caput, et languente capite, remanet persona inhabilis ad meditandum, et ad cœtera alia exercitia devotionis. Quamcumque vero mortificationem concesserit pœnitenti, ut omnem auferat superbiendi occasionem, persuadeat illi hoc nihil prorsus esse respectu ejus quod Sancti fecerunt, et respectu pœnarum quas pro nobis perpessus est Jesus Christus. Dicebat s. Theresia : *Totum est immunditia quicquid agere possumus in comparatione unius sanguinis guttæ, quam Dominus effudit pro nobis*. Meliores mortificationes, utiliones, et periculis minus obnoxiæ sunt negativæ, ad quas faciendas, regulariter loquendo, non est necessaria obedientia directoris, ut esset privare se visione, aut auditione rerum curiosarum ; loqui parce ; contentus esse cibis gustui minus acceptis, seu male conditis ; non accedere ad ignem tempore hyemis, eligere pro se res viliores ; exultare et lætari deficientibus quibusdam rebus etiam necessariis ; quoniam in hoc consistit virtus paupertatis, ut ait s. Bernardus : *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor paupertatis*. Insuper non queri de incommodis temporum : de contemptu sui ipsius ; de persecutionibus, molestiisque infirmitatum corporis. Scalpro cruciatuum et dolorum perficiuntur lapides Hierusalem cœlestis. Dicebat s. Theresia : *Credere quod Deus admittat in suam amicitiam gentem commoditatis amicam, dementia est. Animæ, quæ vere diligunt Deum, nesciunt quietem expetere*.

27. Hic oritur dubium : Evangelium in quodam loco ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. *Matth.* 5. 16 ; in alio loco dicit : *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*. *Matth.* 6. 3. Quæritur ergo, utrum actus virtutis sint manifestandi aliis, vel occultandi ? Et respondetur distinguendo : Opera communia ad virtutem christianam necessaria exerceri debent palam ; ut esset frequentia Sacramentorum ; oratio mentalis ; visitatio Venerabilis ; audire Missam genibus flexis, et cum interiori spiritus recollectione ; deferre oculos modestos ; silentium in ecclesia servare, dicere : *Volo sanctus evadere ;* fugere garrulitatem, conversationes periculosas, curiositates, et his similia. Opera vero quæ dicuntur supererogationis extraordinariæ, et quæ sapiunt singularitatem, ut supra enarratæ pœnitentiæ externæ ciliciorum, flagellorum, orationis cum brachiis in crucem expansis ; comestionis herbarum amariorum ; suspiriorum ; fletus tempore orationis, etc. occultari debent, quantum possibile est. Reliqua vero opera virtutis, ut ministrare infirmis ; erogare eleemosynam pauperibus ; humiliare se facienti injurias, et similia ; hæc melius erit occultare quantum fieri potest. Sed si forte exerceri nequeant nisi publice, non debent prætermitti, dummodo fiant tantum intuitu placendi Deo.

§. IV. *De frequentia Sacramentorum.*

28. Tandem dicenda sunt aliqua de modo quo confessarius dirigere debet animas spirituales circa frequentiam Sacramentorum, scilicet confessionis et communionis. Quod spectat ad confessionem expedit ipsi insinuare, ut generaliter de suis peccatis confiteantur, si adhuc non fecerint ; quia si forte jam fecerint, vel si anima esset scrupulis agitata, oportet omnino confessionem hanc prohibere. Quoad vero confessionem ordinariam, quædam animæ delicatioris conscientiæ consueverunt quotidie confiteri ; sed generaliter loquendo, sufficiet personis spiritualibus præsertim scrupulosis confiteri semel aut ad summum bis in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis gravaretur aliqua culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi dicit p. Barisonius in suo tractatu de Communione, innixus auctoritati s. Ambrosii, et complurium aliorum auctorum (quod etiam suadet s. Franciscus Salesius in quadam sua epistola), quod non ideo omittere debet Communionem ; ad remissionem enim venialium docet sacrum concilium Tridentinum esse quoque alia media, ut essent actus contritionis et amoris ; unde melius tunc est ad purificandam animam a culpa illa, uti istis mediis quam privari Communione propter absentiam confessarii. Et sapiens quidam director dicebat, quod aliquando longe fructuosius est pro quibusdam animabus timoratis disponere se ad Communionem actibus suis, quam cum ipsa confessione. Et multoties accidit quod tunc anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiæ et humilitatis.

29. Quoad vero Communionem, non loquimur hic de obligatione pastorum animarum non negandi Communionem cuicumque subdito qui non sit publice peccator, et quoties rationabiliter petat. Satis de hoc egimus in libro (1), in quo vidimus, Innocentium XI. quodam suo Decreto ordinasse usum Communionis frequentis totum remitti prudentiæ confessariorum ; unde sine evidenti causa, nescio quomodo parochi possint tuta conscientia denegare petentibus Communionem. Et notandum est quod in præfato Decreto prohibetur Episcopis præscribere in genere suis subditis dies ad faciendam Communionem ; sed loquimur hic dumtaxat de modo quo confessarii debent se gerere in concedenda Communione suis pœnitentibus. In hoc quidam errant ob nimiam in-

(1) Opus nost. moral. l. 6. n. 254.

dulgentiam, alii ob nimium rigorem. Non est dubium quin error sit, ut advertit s. p. Benedictus XIV. in aureo suo libro *de Synodo*, concedere Communionem frequentem iis qui sæpe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda pœnitentia, ac de sua emendatione; aut iis, qui accedunt ad Communionem cum affectu ad peccata venialia deliberata sine illo desiderio se ab eis liberandi (1). Expedit quidem aliquando concedere Communionem aliquibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, si ires recipiant ad resistendum : sed respectu earum personarum, quæ non existunt in tali periculo, et contra committunt ordinarie peccata venialia deliberata, et nulla in eis emendatio, neque desiderium emendationis effulget, optimum erit non permittere eis Communionem plus quam semel in hebdomada ; immo poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam Communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum hoc reverentiam. Tanto magis quod sententia communior tenet, recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali, aut cum affectu ad ipsum, novam esse culpam ratione irreverentiæ, quæ irrogatur Sacramento. Quidam afferunt Decretum s. Anacleti (2), in quo habetur: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere limitibus ; sic enim et apostoli statuerunt, et s. Romana tenet Ecclesia.* Sed imprimis negatur a p. Suarez et aliis, quod unquam fuerit tale apostolorum præceptum. Secundo Decretum istud, ut Glossa ibidem testatur, et Catechismus Romanus (3) non obligabat omnes fideles, sed tantum ministros assistentes altari. Et tandem posito quod Decretum obligaret omnes, certum est hodie in desuetudinem abiisse.

30. E contrario errant certe quidam alii directores, et multum se elongant a spiritu Ecclesiæ, dum sino ullo respectu ad exigentiam aut progressum animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem, non alia ratione ducti, quam quia frequens est. Ipse Catechismus Romanus (4) explicans desiderium s. Concilii Tridentini, ut omnes Sacrificio Missæ adstantes communicent, docet esse officium parochi sedulo hortari fideles ad Communionem non modo frequentem, sed etiam quotidianam, cum obligatione instruendi illos, quod sicut corpus, ita et anima eget quotidiano alimento. Prætermitto hic afferre sanctorum Patrum et magistrorum spiritus auctoritates omnino conformes, quoniam hæ reperiuntur adnotatæ in tot libris qui tractant de frequenti Communione. Sufficiat scire ex Catechismo Romano loco supra citato, et ex Decreto Innocentii XI. relato in nostro libro (5), quod frequens Communionis usus, immo quotidianus fuit semper ab Ecclesia, et ab omnibus Patribus approbatus, qui, ut demonstrat doctus quidam auctor, quoties adverterunt frigescere usum communionis quotidianæ, omnem diligentiam adhibuerunt ad illam redintegrandum. Et in 3. Synodo Mediolanensi habita sub s. Carolo Borromæo injunctum fuit parochis exhortari fideles in concionibus ad hanc frequentiam Communionis ; et insuper impositum fuit Episcopis provinciæ, ut prohiberent concionari, et severius punirent eos qui oppositum disseminarent tanquam scandalorum satores, et totius Ecclesiæ sensui contradicentes. Insuper in præfato Decreto Innocentii imponitur Episcopis, ut diligentissime caveant, ne alicui Communio denegetur etiam quotidiana, et quæraut, ut par est, in suis sub-

(1) Lib. 6. n. 270. et fusius in prax. confess. c. 9. §. 4. n. 149. — (2) Can. Peracta 2. dist. 2. de Cons. — (3) Cat rom. de Sacr. Euch. p. 2. n. 65.

(4) Ib. n. 64. — (5) L. 6. n. 254.

ditis hanc alere devotionem. Fatentur ultro quidam spiritus rigidiores licitam quidem esse Communionem quotidianam, sed dicunt requiri ad hoc debitam dispositionem : sed scire ab ipsis desideramus quidnam intelligant hoc nomine *debitæ dispositionis*? Si intelligunt dignam, ecquis unquam deberet amplius ad Eucharistiam accedere ? Solus Jesus Christus digne Eucharistiam sumpsit, quia solus Deus digne Deum potuit recipere. Si vero convenientem dispositionem intelligunt, jam superius dictum est, quod iis qui actualia habent peccata venialia, aut affectum ad illa, sine desiderio emendationis, æquum est frequentem Communionem denegare. Sed si postea loquamur de illis, qui sublato jam affectu etiam ad venialia, et superata majori parte pravarum suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, inquit s. Franciscus Salesius (1) quod hi prævio sui directoris consilio, recte possunt communicare quotidie. Et s. Thomas (2) docet quod quando anima aliqua experitur beneficio Communionis se crescere in amore divino, nec imminui reverentiam in Sacramentum, non debet abstinere a Communione etiam quotidiana. En ipsa s. Doctoris verba : *Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare.*

31. Et quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam virtus, tamen inquit p. Granata in suo tractatu de Communione, esse communem doctorum opinionem, quod melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Et hoc confirmat idem s. Thomas, (3) dicens : *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, et quod quotidie sumatur et quod aliquando abstineatur..... Amor tamen, et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori.* Immo recte ait p. Barisonius, quod ille, qui ad Eucharistiam accedit cum desiderio crescendi in amore divino, etiam reverentiæ actum exercet erga Jesum Christum ; immo hic facit actum positivum, quando ille qui abstinet, facit tantummodo negativum. Plures Sancti, qui magnam erga hoc Sacramentum reverentiam habuerunt non abstinuerunt a quotidiana Communione : ut consueverunt s. Gertrudis, s. Catharina Senensis, s. Theresia, s. Joanna de Chantal et alii. Et asserentibus hodie non amplius existere has sanctas Theresias, recte reponit idem p. Barisonius, temeritatem hanc esse supponere quod hodie manus Domini sit abbreviata. Ven. p. Magister de Avila non dubitat dicere, quod illi qui damnant eos, qui sæpius ad Eucharistiam accedunt, dæmonis officio funguntur.

32. Cæterum considerando relatas doctrinas, videtur non posse director sine scrupulo negare Communionem frequentem, et etiam quotidianam (excipe ordinarie loquendo unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui directores, et excipe tempus illud quo privare velint pœnitentes Communione, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam) quibusdam animabus eam desiderantibus, ut proficiant in divino amore : semper vero ac illa vivendo alienata ab affectu cujuscumque culpæ venialis, incumbit insuper multum orationi mentali, et conatur tendere ad perfectionem, et amplius non labitur in peccata, etiam venialia plene voluntaria. Hæc enim, ut ait s. Prosper, est perfectio quæ potest in hac vita haberi, attenta humana fragilitate. Et quando confessarius utile esse cognoverit concedere Communionem frequentem similibus personis, inquit Innocentius XI. in suo Decreto, nihil obstare

(1) Introd. alla vita divota c. 20. — (2) s. T. 4. Sent. d. 12. q. 3. a. 1. ad 3ol q. 2. — (3) p. q. 80. a. 10. ad 3.

quod sint etiam negotiatores et conjugati. En ejus verba : *Frequens* (ad sanctiss. Eucharistiam) *accessus confessariorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu laicis, negotiatoribus et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt.*

33. Et quamvis anima aliqua caderet aliquando in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito postea doleret, emendationemque proponeret ; si deinde Communionem desideraret ad robur accipiendum a Sacramento, ne cadat, et ad progrediendum in via perfectionis, quanam de causa ei esset deneganda Communio ? Damnata jam fuit ad Alex. VIII. propositio 22. Baii, quæ dicebat : *Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt antequam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Et propos. 23. *Similiter arcendi sunt a sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.* Sicrum Concilium Tridentinum vocat hoc Sacramentum, *Antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur.* Et quidem ad hunc finem præservandi animam a recidivis, apostoli Communionem quotidianam primævis Christianis concedebant, inter quos sine ullo dubio reperiebantur similiter imperfecti, et fortasse imperfectiores, ut arguitur ex epistolis ss. Pauli et Jacobi. s. ecclesia (in Postcommun. Dom. XXIII. post Pentecosten) orat. *ut quidquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti curetur.* Ergo communio fuit instituta etiam pro imperfectis, ut virtute hujus cibi sanentur. Notandum insuper est id quod s. Franciscus Salesius in sua Philotea (1) in hoc proposito dicit ; *Si quærunt a te cur tam frequenter communices, responde illis, quod duplex personarum genus debet sæpius communicare, perfecti scilicet et imperfecti : perfecti, ut se in perfectione conservent ; imperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire. Fortes, ne debiles fiant ; debiles, ut fortes evadant ; infirmi, ut curentur, benevalentes, ne infirmentur. Et quod ad te attinet utpote imperfectam, infirmam, ac debilem, eges frequenti Communione. Dic illis, quod ii, qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent sæpius communicare, quia habent opportunitatem ; qui vero hujusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione.* Denique Sanctus concludit, dicens : *Accede sæpius, o Philotea, ad Eucharistiam, immo quam sæpissime consilio tui directoris, et crede mihi, quod lepores in nostris montibus albi evadunt non alia ratione, nisi quia non edunt nisi nivem; et tu comedendo puritatem in hoc Sacramento tota pura evades.* Item p. Granata in suo tractatu de Communione ait : *Non debet homo recedere ab hoc Sacramento ob propriam indignitatem ; pro pauperibus enim relictus est hic thesaurus, et pro infirmis hæc medicina ; itaque nemo* (subdit) *quantum imperfectum se noscat debet se longe ab hoc remedio tenere, si vere curari desiderat.* Immo, ait idem auctor, quod quanto magis quis se debilem noscit, tanto magis ad hunc cibum fortium debet accedere. Quod valde consonat cum eo quod inquit s. Ambrosius (2): *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinum.* Idem alibi (3) : *Quotidie peccas, quotidie sume.*

34. Aude, quod s. Thomas docet (4), effectum Sacramenti, quantum ad augmentum gratiæ, non impediri a peccatis venialibus, dummodo non committantur in ipsa Communione: et quamvis hæc impediant in parte, non tamen in toto effectum Sacramenti impediunt. Hanc sententiam communiter tenent Sotus Suarez Valentia Vasquez Coninkius, et plures alii apud Salm. (1) Insuper tenent plures graviores auctores (2), hoc Sacramentum ex *opere operato* remittere peccata venialia, de quibus anima actualem complacentiam non habeat; atque hoc concordat cum eo, quod ait Catechismus Romanus (3) : *Remitti vero Eucharistia, et condonari leviora quæ venialia dici solent, non est quod dubitari debeat : quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, totum id Eucharistia, eas minores culpas abstergendo, restituit.* Saltem, ut ait Angelicus (4) cum communi, excitatur per Communionem actus charitatis, quo inde peccata remittuntur : *Qui* (actus charitatis) *excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur.*

35. Quod si postea dignoscatur, non obstante frequentia Communionis, animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhæreret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus Communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, et suæ spirituali perfectioni consulere. Cæterum advertendum est, quod licet juxta s. Thomam (5), ut possit quis ad Communionem accedere, *requiratur, ut cum magna devotione accedat* : nihilominus non est necessarium ut illa sit summa, vel aperte sensibilis. Sufficit directori delegere in intimo voluntatis sui pœnitentis quamdam alacritatem ad exequenda quæcumque Deo placuerint. Qui a Communione abstineret, quia non sentiret in se magnum quemdam fervorem, inquit doctus Gerson, esset comparandus illi qui nimis frigescens nollet ad ignem accedere, quia nullum in se experitur calorem. Unde docet p. Granada, cum Cajetano, personas pusillanimes, quæ ob immoderatum timorem suæ indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre præjudicium. Neque ad prosequendas Communiones, inquit s. Laurentius Justinianus, oportet, ut anima sentiat aut aperte in se discernat augmentum fervoris, quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, absque eo quod nos ipsi animadvertamus. Et s. Bonaventura inquit (6) : *Licet tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas, quia qui se indignum reputat, cogitet quod tanto magis egeat medico, quanto senserit se ægrotum ; neque ideo quæris te jungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctificeris ab illo.* Et postea subdit : *Neque prætermittenda est sancta Communio, si quandoque non sentit homo speciatem devotionem, cum se ad illam præparare studeat, vel in ipsa perceptione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet.* Ergo bene sentit Sanctus, quod etsi anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quam antea, nec etiam debet eam omittere. Quapropter, quemadmodum quando anima sentit se maximopere ad Communionem inclinatam, expedit identidem eam mortificare, Communionem differendo (præsertim si advertatur, quod per illam prohibitionem turbetur ; hujusmodi enim contristatio est argumentum superbiæ, quæ eam vere reddit indignam) ; ita ex opposito quando sentit in se ariditatem, et tædium ad Eucharistiam suscipiendam, expedit tunc illam sæpius ad Communionem impellere, ut a Sacramento vires acquirat.

36. O utinam ! concludo, o utinam et in mundo plures animæ hujusmodi invenirentur (quæ a nonnullis ultra, quam convenit, rigidita-

(1) Vita devota c. 21.

(2) L. 3. de Sacr. cap. 6. — (3) L. 5. de Sacr. c. 4. — (4) S. Thom. 3. p. q. 79. a. 8.

(1) Lib. 6. n. 270. quær. 2. — (2) N. 269 V. effectus 2. — 3) De Euch. p. 2. n. 54. — (4) 3. p. q. 79, a 4. — (5) 3. p. q. 80. a. 10.

(6) de profectu rel. c. 78.

ti addictis, irreverentes, et temerariæ vocantur), quæ odio habentes etiam culpas leviores, expeterent communicare non modo frequenter, sed etiam quotidie, cum vero desiderio se emendandi, et in divino amore proficiendi : si enim hoc esset, longe plus in mundo Jesus Christus diligeretur. Bene experientia demonstrat omnibus his qui dirigendarum animarum munus exercent, ut et ego expertus sum, valde quidem proficere personas illas, quæ recto cum desiderio ad Communionem accedunt ; et Dominum mirum in modum eas ad suum amorem pertrahere, quamvis sæpe hoc eis non manifestet pro majori earumdem bono ; quin et multoties eas relinquit in tenebris et desolatione, et sine ulla devotione sensibili. Animabus istis (ut docent s. Theresia, et s. Henricus Susonius) nullum efficacius est remedium, quam frequens Communio. Unde, ut concludamus, curet confessarius Communionem suadere, quoties verum desiderium demonstret, et quoties advertit animam in spiritu proficere beneficio Communionis. Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciunt; scilicet inculcare suis pœnitentibus, ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant; et ratio est, quia paucissimi sunt sacerdotes qui post Missæ Sacrificium cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant ; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet; fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et petendo se exerceat. Inquit s. Theresia, quod post Communionem Jesus existit in anima tanquam in throno misericordiæ, ut illi gratias elargiatur, dicens : *Quid vis, ut tibi faciam* ? Et alibi : Post Communionem non amittamus tam præclaram opportunitatem negotiandi. Non solet sua divina Majestas male rependere hospitium, si bene in anima excipiatur. Insinuet etiam, ut sæpius spiritualiter communicet, quæ res valde a Tridentino Concilio commendatur. *Spiritualiter communicare* (inquit s. Theresia) *est valde utile. Nolite id prælermittere ; hic enim experietur Dominus quantum eum amelis.*

§. V. *Methodus vitæ pro aliqua Moniali quæ exposceret dirigi per viam perfectionis.*

37. Ante omnia præmittere oportet, ea quæ inferius exponam, intelligenda esse, quoties non obstet pœnitenti aliquod impedimentum sanitatis, officii, aut obedientiæ ; quod etiam intelligendum est cum licentia patris spiritualis, et etiam Præsulis monasterii, pro eo quod spectat mortificationes externas quæ aliorum oculis sunt expositæ.

Et primum quoad orationem : 1. Tres saltem horas orationi mentali vacare, unam mane, aliam vespere, et aliam post communionem. 2. Visitare SS. Sacramentum, et Mariam SS. per semihoram, vel saltem quadrantem. In his orationibus incumbat renovandis votis pluries in die, si jam emiserit professionem, vel illis quibus forte se obligavit. 3. Recitare Rosarium saltem quinque decadum cum aliis orationibus vocalibus ; sed ha non sint plus justo, quia cum plures sunt, recitantur cum tenui fructu, caput aggravant, et inde orationem mentalem impediunt. 4. Uti sæpissime orationibus jaculatoriis, ut e. c. *Deus meus, et omnia, quam bonus es, Deus meus ! Diligam te, Jesu amor meus, pro me crucifixum. Domine, quare non amaris ab omnibus ? Oh utinam et nunquam offendissem te ! Volo, Domine, quæcumque tu vis. Quando te videbo, et amabo de facie ad faciem ! Ecce me, fiat de me quodcunque vis.* Insinuet magnopere director hujusmodi jacu-

lationes amoris, et anima magni eas faciat. 5. Orationi adjungere lectionem spiritualem per semihoram, legendo opera vel Rodriquez, vel Santjuræi, vel monita ad Religiosos, vel alium librum qui tractet de virtutibus, vel legere vitas Sanctorum, quarum lectio est fortassis cæteris omnibus utilior.

Secundo accedere quotidie ad Communionem, uno excepto die in quavis hebdomada. Sed in Novenis Spiritus Sancti, Nativitatis Domini, et Mariæ sanctissimæ, et sanctorum Patronorum communicet quotidie, et quotidie saltem ter communicet spiritualiter.

Tertio quoad mortificationes : 1. Quotidie flagellationem incruentam per horæ quadrantem circiter, et sanguineam bis, vel semel in mense adhibere. 2. Mane catenulam ferream usque ad prandium : post prandium vero aliquam parvam in brachio. Nunquam tamen catenam circa cincturam, neque cilicia equinis crinibus contexta, quoniam hæc valde officiunt sanitati. 3. Jejunium in pane et aqua in die sabbati, et vigiliis septem festivitatum Mariæ, si commode per valetudinem poterit, vel saltem unico tantum uti obsonio. In refectione vespertina ordinarie non excedere octo uncias cibi, nisi adfuerit aliqua extraordinaria urgentia : abstinere a fructibus diebus Mercurii, Veneris, et in Novenis superius enuntiatis, in quibus potest etiam abstinere ab aliqua alia portione cibi consueti ; et in edendo miscere cibis aliquam particulam herbæ amarioris, sed nunquam cinerem. Extra mensam nihil comedere, quoniam melius est, comparative loquendo, quotidie præfatam abstinentiam exercere quam bis vel ter in hebdomada jejunare. Somnus non extendatur ultra sex horas ; semper vero ad quinque ; quoniam excedens defectus somni nocet capiti, et impedit cætera exercitia spiritualia. 4. Servare silentium per tres horas diei, quod intelligi debet de non proferendis verbis non necessariis ; parum autem loqui semper proderit.

Monita in genere pro perfectione.

38. 1. Collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis. Mascula determinatio est se vincendi, et vim sibi in occasionibus inferendi. Ait s. Theresia : *Si defectus non procedit a nobis, ne timeamus quod Deus se abtineat ab impertiendo nobis auxilia ad nostram sanctificationem.*

2. Cavere a quocumque minimo defectu deliberato, sive apertis oculis admisso: *A peccato deliberato,* (inquit eadem Sancta) *quantumvis parvo, Deus vos liberet.* Subditque : *Dæmon enim per opera minimarum rerum aliqua fecit foramina, per quæ res magnæ ingrediantur.*

3. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare, et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis et proposito se in pace remittere ; et ita semper se gerere, etiamsi centies in die quis caderet. Et in hoc monet s. Theresia, ne communicentur propriæ tentationes animabus imperfectis, quia ita et sibi et aliis damnum affertur.

4. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus ; aliter, inquit s. Theresia, *Anima non recedendo a voluptatibus mundanis, non post multum denuo recedet a via Dei.* Effugere familiaritatem personarum diversi sexus quantumcumque fuerint religiosæ : sæpe enim diabolus introducit cum illis quasdam affectiunculas non puras, eas obtrudendo pro spiritualibus. Videantur notata *Tr. ult. n.* 54. Oportet ante omnia renuntiare propriæ æstimationi, et propriæ voluntati, immo et rebus spiritualibus, ut orationi, communioni, et mortificationibus, quando hæc obedientia non permittit. Uno verbo oportet expellere a corde omne quod non est Deus, et quod non est secundum majus Dei beneplacitum.

V. Lætari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissimum reputari. O quam pulchre orat anima illa quæ vilipendia libenter amplectitur! præcipue in communitatibus in quibus hæc virtus est omnium longe necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos et persecutores, illis inserviendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, et commendando specialiter Deo, quemadmodum Sancti facere consueverunt.

VI. Mere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait s. Theresia : *Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demandata.* Sine hoc desiderio anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem Sancta ait : *Ordinarie Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt ejus amorem.* Et desiderio oportet semper conjungere determinationem faciendi, quantum possumus, ut Deo placeamus. Præfata Sancta inquit : *Diabolus potissimum timet magnanima corda.* Et alibi: *Nihil aliud a nobis exigit Dominus, quam validam determinationem, ut reliquum ipse inde perficiat.* Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quæ est fornax in qua accenditur amor divinus. Omnes sancti, quoniam unice Deum diligebant, unice quoque dilexerunt orationem. Est etiam necessarium ut quis ardenter desideret paradisum : in cœlo enim animæ diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, et ideo vult Deus, ut ardentissime hoc regnum desideremus, quod Jesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

VII. Habere magnam uniformitatem divinæ voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre. S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat : *Non consistit progressus* (inquit Sancta) *in sibi procuranda majore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate.* Et alibi : *Vera unio est unire nostram cum divina voluntate.*

VIII. Præstare exactam obedientiam regulis, Superioribus, et patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa : *Obedientia est regina omnium virtutum ; omnes enim virtutes obediunt obedientiæ.* Et s. Theresia : *Deus ab anima, quæ sibi proposuit illum amare nihil aliud exigit, quam obedientiam.* Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter, et sine ullo judicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res jussa non sit certe peccatum, ut inquiunt ss. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius de Loyola, et omnes spiritualis vitæ magistri ; et in rebus dubiis eligere id quod præsumitur quod jussisset obedientia ; et quando hæc præsumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince teipsum* toties inculcatum a s. Francisco Xaverio, et s. Ignatio, qui solitus erat dicere longe plus proficere animam mortificationis amicam unico horæ quadrante, quam alias non mortificatas per plurimas horas.

IX. Attendere semper divinæ præsentiæ. Inquit sancta Theresia : *Omne malum provenit ex eo quod non consideremus Deum præsentem.* Qui vere amat, nunquam obliviscetur objecti amati. Ad conservandam vero memoriam hujus divinæ præsentiæ, juvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere, maxime vero oportet hanc præsentiam fovere sæpius in die repetendo actus amoris in Deum et petendo divinum amorem. E. c. *Deus meus et omnia, diligam te ex toto corde meo ; totum me tibi do : fac de me quod tibi placuerit ; nihil aliud volo nisi te, et tuam voluntatem ; da mihi amorem tuum, et dives sum satis, etc.* Advertendum tamen est quod actus isti faciendi

sunt sine ulla vi, et nullam desiderando consolationem sensibilem; sed cum suavitate quadam, et voluntate pura unice Deo placendi. Asserebat s. Theresia : *Ne vereamur relinqui innumeratam a Deo vel unicam elevationem oculorum ad ejus recordationem.*

X. Dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo : *Domine, hoc facio tantum ut placeam tibi.* Recta intentio appellatur alchimia spiritualis, quæ omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

XI. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo, vel decem dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, et officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devote celebrare Novenas Nativitatis Domini, Spiritus sancti septem festivitatum Mariæ, s. Josephi, Angeli sui custodis, et sancti tutelaris. In his Novenis poterit quotidie accedere ad Communionem, orando per horam, vel saltem dimidiam plus consueto. Recitare aliquas alias orationes vocales, sed non multas ; quoniam longe melius erit exercere determinatum quemdam numerum actuum amoris, vel similium.

XII. Habere debere devotionem specialem erga s. Josephum, Angelum suum custodem, Sanctum suum tutelarem, et præcipue erga s. Michaelem universalem cunctorum fidelium patronum : sed ante omnia erga beatissimam Virginem Mariam, quæ ab Ecclesia nostra vita, et nostra spes appellatur : est enim moraliter impossibile, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari, et tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei Genitricem.

APPENDIX II.

DE ASSISTENTIA ERGA MORIBUNDOS

§. *I. Monita ad Sacerdotem.*
§. *II. Remedia adversus tentationes.*
§. *III. Motiva, et affectus.*
§. *IV. Animadversiones circa novissima Sacramenta.*
§. *V. Monita circa agonem, et mortem*
§. *VI. Affectus qui suggeri possunt agonis et expirationis tempore.*
§. *VII Signa proximæ mortis.*
§. *VIII. et ult. Preces, actus christiani et benedictiones.*

Nullum charitatis opus adeo acceptum Deo extat, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare : nam tempore mortis (a quo uniuscujusque æterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quam gratam habet assistentiam moribundis præstitam, multoties s. Philippo Nerio ostendit Angelos Religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

Nec id parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam sacerdotum. De parochis tamen Rituale Romanum præsertim loquens, ait præcipuam sui muneris partem esse ægrotantium curam habere, quapropter vult, ut ipsi statim ac aliquem ex suis parochianis ægrotare intelligunt, non expectent, ut infirmus parochum accersat, sed ipse parochus ultro eum invisere curet ; idque non semel tantum, sed frequentius, si infirmum etiam spiritu ægrotare adverterit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem prestandum provideat per alium sacerdotem, modo hic sit pius et prudens ; quidam enim sacerdotes, hoc munus exercendo, magis quam utilitati, damno esse solent, tam infirmis, quam sibi et infirmorum domesticis, quorum profectum sacerdos assistens etiam

V. Lætari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissimum reputari. O quam pulchre orat anima illa quæ vilipendia libenter amplectitur! præcipue in communitatibus in quibus hæc virtus est omnium longe necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos et persecutores, illis inserviendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, et commendando specialiter Deo, quemadmodum Sancti facere consueverunt.

VI. Mere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait s. Theresia : *Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demandata.* Sine hoc desiderio anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem Sancta ait : *Ordinarie Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt ejus amorem.* Et desiderio oportet semper conjungere determinationem faciendi, quantum possumus, ut Deo placeamus. Præfata Sancta inquit : *Diabolus potissimum timet magnanima corda.* Et alibi: *Nihil aliud a nobis exigit Dominus, quam validam determinationem, ut reliquum ipse inde perficiat.* Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quæ est fornax in qua accenditur amor divinus. Omnes sancti, quoniam unice Deum diligebant, unice quoque dilexerunt orationem. Est etiam necessarium ut quis ardenter desideret paradisum : in cœlo enim animæ diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, et ideo vult Deus, ut ardentissime hoc regnum desideremus, quod Jesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

VII. Habere magnam uniformitatem divinæ voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre. S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat : *Non consistit progressus* (inquit Sancta) *in sibi procuranda majore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate.* Et alibi : *Vera unio est unire nostram cum divina voluntate.*

VIII. Præstare exactam obedientiam regulis, Superioribus, et patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa : *Obedientia est regina omnium virtutum ; omnes enim virtutes obediunt obedientiæ.* Et s. Theresia : *Deus ab anima, quæ sibi proposuit illum amare nihil aliud exigit, quam obedientiam.* Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter, et sine ullo judicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res jussa non sit certe peccatum, ut inquiunt ss. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius de Loyola, et omnes spiritualis vitæ magistri ; et in rebus dubiis eligere id quod præsumitur quod jussisset obedientia ; et quando hæc præsumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince teipsum* toties inculcatum a s. Francisco Xaverio, et s. Ignatio, qui solitus erat dicere longe plus proficere animam mortificationis amicam unico horæ quadrante, quam alias non mortificatas per plurimas horas.

IX. Attendere semper divinæ præsentiæ. Inquit sancta Theresia : *Omne malum provenit ex eo quod non consideremus Deum præsentem.* Qui vere amat, nunquam obliviscetur objecti amati. Ad conservandam vero memoriam hujus divinæ præsentiæ, juvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere, maxime vero oportet hanc præsentiam fovere sæpius in die repetendo actus amoris in Deum et petendo divinum amorem. E. c. *Deus meus et omnia, diligam te ex toto corde meo ; totum me tibi do : fac de me quod tibi placuerit ; nihil aliud volo nisi te, et tuam voluntatem ; da mihi amorem tuum, et dives sum satis, etc.* Advertendum tamen est quod actus isti faciendi

sunt sine ulla vi, et nullam desiderando consolationem sensibilem; sed cum suavitate quadam, et voluntate pura unice Deo placendi. Asserebat s. Theresia : *Ne vereamur relinqui innumeratam a Deo vel unicam elevationem oculorum ad ejus recordationem.*

X. Dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo : *Domine, hoc facio tantum ut placeam tibi.* Recta intentio appellatur alchimia spiritualis, quæ omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

XI. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo, vel decem dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, et officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devote celebrare Novenas Nativitatis Domini, Spiritus sancti septem festivitatum Mariæ, s. Josephi, Angeli sui custodis, et sancti tutelaris. In his Novenis poterit quotidie accedere ad Communionem, orando per horam, vel saltem dimidiam plus consueto. Recitare aliquas alias orationes vocales, sed non multas ; quoniam longe melius erit exercere determinatum quemdam numerum actuum amoris, vel similium.

XII. Habere debere devotionem specialem erga s. Josephum, Angelum suum custodem, Sanctum suum tutelarem, et præcipue erga s. Michaelem universalem cunctorum fidelium patronum : sed ante omnia erga beatissimam Virginem Mariam, quæ ab Ecclesia nostra vita, et nostra spes appellatur : est enim moraliter impossibile, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari, et tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei Genitricem.

APPENDIX II.

DE ASSISTENTIA ERGA MORIBUNDOS

§. *I. Monita ad Sacerdotem.*
§. *II. Remedia adversus tentationes.*
§. *III. Motiva, et affectus.*
§. *IV. Animadversiones circa novissima Sacramenta.*
§. *V. Monita circa agonem, et mortem*
§. *VI. Affectus qui suggeri possunt agonis et expirationis tempore.*
§. *VII Signa proximæ mortis.*
§. *VIII. et ult. Preces, actus christiani et benedictiones.*

Nullum charitatis opus adeo acceptum Deo extat, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare : nam tempore mortis (a quo uniuscujusque æterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quam gratam habet assistentiam moribundis præstitam, multoties s. Philippo Nerio ostendit Angelos Religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

Nec id parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam sacerdotum. De parochis tamen Rituale Romanum præsertim loquens, ait præcipuam sui muneris partem esse ægrotantium curam habere, quapropter vult, ut ipsi statim ac aliquem ex suis parochianis ægrotare intelligunt, non expectent, ut infirmus parochum accersat, sed ipse parochus ultro eum invisere curet ; idque non semel tantum, sed frequentius, si infirmum etiam spiritu ægrotare adverterit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem prestandum provideat per alium sacerdotem, modo hic sit pius et prudens ; quidam enim sacerdotes, hoc munus exercendo, magis quam utilitati, damno esse solent, tam infirmis, quam sibi et infirmorum domesticis, quorum profectum sacerdos assistens etiam

respicere debet. Monet insuper Rituale, quod si sacerdos forte deesset, id parochus præstandum curabit saltem per aliquem laicum pium et christiana charitate præditum, qui sanctis verbis infirmo præsto sit.

§. I. *Monita ad sacerdotem assistentem*

I. Sacerdos clam procuret a medico scire, an infirmitas sit mortalis. Dico *clam*, quia detestabilis usus medicorum est, ægrotos decipere, ne eos et propinquos contristent, pene ac si infirmis obligationem intimare confessionis (quam, cognito periculo, illis imponere debet), idem sit ac mortem denuntiare.

II. A conjunctis, amicis, necnon ab ipsomet ægroto, ejus naturam, indolem et defectus perquirat: item quibus indulserit passionibus, et præsertim si ad aliquam bonorum aut famæ restitutionem teneatur: si odium aut pravam habuerit amicitiam, ut omnibus opportunum præbere possit remedium. Caveat memorare infirmo personas odio habitas, aut impure dilectas, si ad hoc ex necessitate non obstringatur. Vulneratos, postquam quidquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget quis illos, qua de causa, vel quomodo læserit; et si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat nec de litibus, filiis, bonis, aliisque rebus impertinentibus ne verbum quidem faciat.

III. Post igitur quam morbum periculosum esse deprehenderit, imprimis non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat, benigne interroget. Hortetur inde, ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti pœnas conjungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat; et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moneat ut omnem suam spem in Deo ponat, qui potens est ipsum in pristinam, si velit, reducere sanitatem. At eodem tempore sensim efficiat, ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat. Præsertim advertat, ne ille omnino fidem præbeat medicis et propinquis, qui forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum mœrore afficiant. Dicat, sapientis esse prævidere futura. Hortetur, quod, dum mens valet, confessionem suscipiat, quæ corporis saluti (si animæ expedierit) etiam proderit. Refert Belluacensis de quodam moribundo, quod statim ac ipse sua confessus fuit peccata, e strato incolumis surrexit. Pariter Cantipratensis enarrat, quod quidam eques, ubi multa non profuerunt medicamina, confessionis virtute statim convaluit.

Si tamen ægrotus dilationem quærit, et periculum mortis, lethargi, vel delirii imminens non est, poterit ei indulgere. Curet tamen, ut ille determinet tempus, puta vesperarum, vel diem crastinum, confessioni explendæ. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum d. Augustino moneat, quod Deus non promisit peccatores expectare, sed tantum parcere eis si pœniteant: *Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit*. Quod si adhuc infirmus nec etiam per hæc monita ad confessionem adduci possit, sacerdos nunquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciæ argumentis curet ipsum expergiscere, et provideat, ut tam privatæ, quam publicæ pro hujus miseri salute preces ad Deum adhibeantur.

IV. Si morbus increbuerit, infirmum hortetur, ut de suis domesticis rebus opportune disponat; id enim expedit pro familiæ pace, et eo magis, si opus sit, pro suæ conscientiæ levamine. In hoc tamen sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam incidat. Si autem ægrotus fratres vel sorores indigentes habeat, moneat ipsum sub gravi obligatione

teneri illis bona relinquere, saltem, quod ad eorum necessitatem sublevandam sufficit. Hæc tamen gravis obligatio non videtur urgere pro remotioribus propinqnis. Observa quod dictum est in opere *lib.* 3. *n.* 946. Si vero ægrotus vult pro sua anima aliquid testari, ipsum moneat, ne onus illud hæredibus imponat: quia experientia docet, legatos pios pene nullos satisfieri; sed potius hortetur ut aliquod corpus relinquat, aut pecuniæ summam, ad Sacrificia, aut aliam piam operam persolvendam. Caveat sacerdos, ne consulat infirmis quidquid aliis præjudicio esse potest, cum Christi ministros non deceat aliorum odium sibi commovere.

V. Cum rudibus, dum actus christianos eis suggerit, italico, imo vernaculo semper loquatur sermone. Cum litteratis contra comitioribus verbis, et aliquoties etiam latinis ex Scriptura excerptis, sed brevibus sententiolis utatur. Monet tamen Rituale, ne sacerdos nimis loquendo, et crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundat, quam adjuvet. Pater Recupitus e Societate Jesu de seipso refert, morti proximum quidquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur; ita ut, ne magis caput læderent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent.

VI. Præter parvas Christi Domini crucifixi, beatæque Virginis imagines, quas juxta infirmum apponi curaverit, si fieri potest, etiam ob oculos ejus collocare faciat imagines Deiparæ et Redemptoris majoris molis, ut sic ægrotus, quocumque se vertat, eas cernere possit et illis se commendare.

VII. Curæ ei etiam sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, veluti arma, imagines parum honestæ, et præsertim personæ quæ aliquo modo occasionem peccati præbere possunt; et istæ non solum a cubiculo, sed a tota domo expelli debent. Et dum infirmus agoniæ proximus videtur esse, sacerdos omnes ab ejus cubiculo depellat, præter unum aut duos tantum, qui ipsi dum oportet præsto sint. Cæterum, omnino prohibeat in ægroti cubile propinquos ingredi, ne alicui passioni causam præbeant.

§. II. *Remedia adversus tentationes.*

Præcipua contra tentationes remedia sunt Jesu ac Mariæ SS. nomina sæpius invocare, et crucis signaculo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus dæmonis insidiis quædam hic adnotare expedit.

Et I. *Adversus fidei tentationes.* Ab hac terribili tentatione præsertim agitantur, qui cum perditam egerint vitam, sibi suoque judicio nimis adhæserunt; præcipue si viri eruditi fuerint. Hic sedulo advertendum, quod si dæmon aliquod eis circa Fidem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantum generatim respondeant: *Ego credo quod S. Mater Ecclesia credit, quæ veritatem credit et confitetur.* Hortetur que sacerdos infirmum, ut maximas Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiæ sinum ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa Fide usque ad extremum vitæ perseverare velle profiteatur. Præcipuus tamen modus, et utilior ad hujusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum, et similia. De quodam Doctore Bellarminus refert, quod hic, dum in morte cum dæmone disserere de quodam Fidei articulo voluerit, deceptus succubuit, et mortuus est.

Si tentatio tamen pergit vexare, ostendat infirmo quod nostræ Fidei (per se sanctæ et intemeratæ, a pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusæ, tot miraculis, ac tot millium martyrum sanguine, qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatæ) argumenta luce clariora sunt, et manifeste illam veram esse patefaciunt,

licet res, quas ipsa docet, nunc per speculum in ænigmate videamus, nam si mysteria, de quibus nos instruit, essent evidentia, ubi esset meritum Fidei? quæ ideo Fides dicitur, quia res, quas docet, obscuræ sunt et non apparentes. Hic dictum fuit : *Beati qui non viderunt, et crediderunt*. Joan. 20. 29.

2. Adversus tentationem *desperationis*. Hæc est præcipua tentatio, qua infernus vehementius ægrotos impetit; unde illis de divina justitia, damnatorum pœnis loqui, eorumque patrata scelera exagerare, sacerdos cavent; sed potius ipsis fiduciæ in misericordia Dei, Salvatoris passione, divinis promissis, et Dei Matris intercessione argumenta insinuentur.

Primum igitur nostræ spei motivum est divina misericordia, dum Deus vocatur, et vere est Pater misericordiarum (2. *Cor*. 1. 3.). Ipse occurrit etiam non quærentibus se : *Inventi sunt qui non quæsierunt me. Isaiæ* 65. 1. Magis Deus cupit nos salvos facere, quam nos salutem optamus : quare ipse merito de illis queritur, quos etiam fugientes amplexari desiderat, ut ait d. Bernardus : *Amplecti quærit, a quibus desertum esse se queritur*. Ipse est totus pronus ad ignoscendum : *Multus est ad ignoscendum Isaiæ* 55. 7. Protestatur se nolle mortem peccatoris : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur..., et vivat. Ezech*. 33. 11. Inquid quod, cum peccator sua detestatur peccata, ipse eorum memoriam amittit : *Si autem impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus non recordabor. Ezech*. 18. 21. et 22. Post hæc divina testimonia, quis unquam de Dei misericordia diffidere poterit? Unus tantum pœnitentiæ actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit. Publicanus vix ingemendo dixit : *propitius esto mihi peccatori*, et justificatus est. Prodigus filius statim ac ad patris pedes stetit, pater eum amplexus est. David ut dixit, *peccavi Domino*, Natan ei respondit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. 2. *Reg*. 12. 13.

Secundum motivum est passio Jesu Christi qui non ad aliud quam ad peccatorum salutem in terram descendisse protestatur : *Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Matt*. 9. 13. Profitetur etiam nullum a se abire pati : *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Joan*. 6. 37. Et apud *Matth*. 18. 12. inquit, quod ipse est bonus ille Pastor, qui dispersas oves quærit, et si quam reperit, exultat, eam amplectitur, suisque humeris imponit : et videtur deinde hanc majori diligere affectu, prout se gessit cum s. Maria Ægyptiaca, b. Angela a Fulgino, s. Margarita a Cortona, aliisque pœnitentibus. Qui igitur rectam habet voluntatem, timere non debet damnari a Domino, qui, ne damnaret nos, seipsum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

Tertium motivum sunt divina promissa. Multis in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia : *Petite, et accipietis. Joan*. 16. 24. *Amen, amen, dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan*. 16. 23. Et hic non solum de justis, sed etiam de peccatoribus sermo fit, juxta textum Matthæi : *Omnis enim, qui petit, accipit. Matth*. 7. 8. Satis igitur est gratias a Deo petere ad salutem, ut certe obtineantur. *Bonus est Dominus.... animæ quærenti illum. Thr*. 3. 25. Quartum motivum est Sanctorum intercessio, et præsertim Deiparæ, quam vult Deus, ut nos cum tota Ecclesia salutemus nostrum refugium, vitam, et spem nostram, ac dicamus : *Refugium peccatorum, ora pro nobis : Vita, spes nostra, salve*. Unde merito ipsa B. Virgo appellatur a Blosio, *spes desperantium* ; et a s. Ephrem, *adjutrix destitutorum*. Eadem Dei Mater b. Birgittæ revelavit, quod sicut aliqua mater videns filium inter enses suorum hostium versantem, animosa in tutelam suam illum suscipit ; ita ipsa curat devotos suos tu-

tari, dum a dæmonibus vexantur, eique se commendant. Insuper dixit, quod cum accedit apud eam peccator, ipsa non ejus merita discutit ; sed cum quali intentione veniat, attendit. Et Deus ipse b. Catharinæ Senensi revelavit, Mariæ suæ filiæ concessisse, quod quivis peccator ad eam recurrens nullo modo possit a dæmone rapi.

3. Adversus tentationem *vanæ gloriæ* d. Bernardus ait, quod vana gloria est quædam sagitta, quæ *leviter penetrat, sed non leviter vulnerat* ; præsertim si persona timoratæ sit conscientiæ. Si igitur sacerdos unquam adverteret moribundum nimis se reputare securum de sua salute, quia nimis suis operibus fidit ; ei dicat quod peccata solummodo nostra sunt, omnia autem bona a Deo recipimus, ex illo : *Quid autem habes, quod non accepisti ?* 1 *Cor*. 4. 7. Et cum certum sit, nullum suæ salutis æternæ, divinæque gratiæ infallibilem certitudinem habere posse : *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, Eccles*. 9. 1.). ideo quique semper pavere debet, et *cum metu et tremore salutem* (suam) *operari*, ut ait apostolus, *Philipp*. 2. 12.

4. Adversus tentationem *impatientiæ*. Si infirmus ex morbi cruciatibus impatientia afficitur, huic ostendatur, quanta martyres pro Christi nomine tormenta sint passi, vivi excoriati, adusti, trucidati ; et præsertim ei sub oculos ponantur omnia quæ innocens Jesus propter nostrum amorem est perpessus. Dicatur ægroto, quod infirmitatis dolores vitari nequeunt ; unde si ipse invitus eos patitur, male nunc, et in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo acceptat, non solum hic a morbi pœna levabitur, sed ibi minus purgatorii tormenta luet, magisque postea in cœlo remunerabitur : *Tristitia vestra vertetur in gaudium. Joan*. 16. 20. Moneatur quod extremæ vitæ cruciatus nostram complent æternam coronam, quoniam (ut s. Bonaventura dicit) pœnas patienter tolerare, aliis cunctis operibus perfectius opus est, juxta illud Jacobi : *Patientia autem opus perfectum habet, Jac*. 1. 4. Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, dum crux et nostræ prædestinationis securius signum B. Clara per 28. annos doloribus vexata vitam duxit s. Liduvina per 38. annos semper infirmitatum pondus toleravit. Et divina Mater quodam die b. Brigittæ ægrotanti sic dixit : *Scis quare tua infirmitas tam in longum abiit ? abiit, quia te Filius meus et ego nimis diligimus*. Nos miseros viatores inter hujus sæculi ærumnas apostolus valde consolatur dicendo : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. *Cor*. 4. 17. Et alibi : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom*. 8. 18.

Et sic infirmo sedulo oportet suadere, ut Dei voluntati conformetur, non solum si dolores patitur, sed etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebro moneat illum, ut a Deo patientiam expostulet.

5. Iis qui ægre ferunt mori tam immature, ob oculos ponantur præsentis vitæ, miseriæ, infirmitates, animi angores, nec non peccandi et damnationis pericula. Ideo sancti viri tam avide mortem exoptabant. S. Theresia aiebat : *Heu mihi quia in omni vitæ meæ momento Deum amittere possum !* unde quoties horologium sonabat, toties valde gratulabatur, eo quod jam hora hujus periculi transacta esset. Martyres sancti hilares ad patibula procedebant, ut citius hoc periculum effugerent, et Deo fruerentur. Hinc dicitur in Apocalypsi (14. 13.) : *Beati mortui qui in Domino moriuntur... ut requiescant a laboribus suis*. In lacrymarum valle viatores sumus : *Non enim habemus hic manentem civitatem. Hebr*. 13. 14. Unusquisque aut rex aut Pont. mortem subire debet.

Hortetur infirmum, ut Deo gratias agat, quod non permiserit mori tempore quo erat in peccato ; et quod tunc ipsum Sacramentis munitum discedere disponat. Dicat, saltem mortem libenti animo excipiendam esse, quia evadimus tot leves culpas, a quibus in hac vita immunes esse non possumus.

Dicat ægroto : *Frater mi, oportet ut te conformes voluntati Dei, qui omnia disponit propter nostrum bonum. Quis scit, an si amplius viveres, animam non perderes?* Sed dicet infirmus : *Ego vivere optarem, ad aliquam Deo de culpis meis satisfactionem præbendam, et aliquid boni ante mortem peragendum, dum usque adhuc nihil egi.* Respondeat sacerdos : *Fili, nulla pœnitentia est Deo magis accepta, quam mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare ; nullusque actus perfectior est, quam mortem accipere ad voluntatem Dei exequendam.*

6. Adversus tentationem *adhæsionis* bonis, et propinquis. Eis quibus mori displicet, quia nimis adhærent bonis, dicat confessarius, hæc non esse vera bona, cum sint transeuntia, et de brevi defectura ; et si non deficiunt, potius animum angunt quam solantur.

Si autem affligitur infirmus propter uxorem, filios, aut nepotes dilectos, quos relinquit, blande sic hortetur : *Fili mi, statutum est omnibus mori, omnes te ordine sequentur: nunc tuæ saluti consule, et animam tuam salva, et sic pro ipsis in cœlo orabis, unaque cum ipsis eris aliquando beatus in æternum ; sed nunc quid dulcius, quam proficisci ad manendum cum Jesu Christo, cum Regina cœli, et omnibus Sanctis !*

Si autem angitur, quia conjunctos suos reliquit inopes, et dicat : *Audi fili, si tu æternam salutem assequeris, multo melius de cœlo, quam de terra tuis opem ferre poteris. Sed ne dubites ; quia Deus, qui volatilia pascit, non omittet eis providere. Si tu illos amas, Deus plus diligit.*

7. Adversus tentationem *odii et vindictæ*. Si quis propter aliquam acceptam offensam odio tenetur, 1. ipsi intimetur divinum præceptum : *Diligite inimicos vestros. Matth.* 5. 44. 2. Dicatur ei quod qui non dimittit, nec veniam sperare potest a Deo, qui dicit, *Foris canes. Apoc.* 22. 15. Canes (vindictæ symbolum) repelluntur a cœlo. E converso Deus veniam certam promittit illi peccatori qui veniam dat offensori suo, ex illo : *Dimittite et dimittemini. Luc.* 6. 37. Subdat, quod si inimicus injuste læserit ipsum, quanto injustius ipse Deum ? Quamobrem, si ipse petit a Deo ut sibi ignoscat, quanto magis proximo ipse ignoscere debet ? *Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Colos.* 3. 13. Ultimo ostendat eidem, quam gratam rem Deo exhibet, qui injuria dimittit. S. Joannes Gualbertus, postquam fratricidæ pepercit, ecclesiam ingrediens imaginemque Crucifixi salutans, vidit Redemptorem erga se caput inclinasse, ac si propter veniam datam ipsi gratias ageret. S. Jacobus ante mortem amplexatus est eum qui se accusavit. S. Stephanus oravit pro eis qui eum lapidabant. S. Aloysius Galliæ rex apud se cœnare fecit qui sibi mortem fuerat molitus. S. Ambrosius per multum tempus cuidam suo proditori alimenta subministravit. Et præcipue primum exemplum de hoc præstitit Dominus noster Jesus Christus qui in cruce positus, pro persecutoribus et maledicentibus sibi valde Patrem exoravit.

§. III. *Varia motiva, et affectus ægrotis suggerendi.*

1. Motiva *fiduciæ*. De his supra (*in* §. 2.) jam locuti sumus ; illis possunt sequentes adjungi ex Scriptura : *Nullus speravit in Domino, et confusus est. Eccli.* 2. 11. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. I. Joan.* 2. 2. Jesus Christus ad hoc mortem subiit, ut nobis veniam criminum ob

tineret. *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ? Rom.* 8. 32. Quomodo igitur Deus remissionem nobis negabit, qui nobis proprium dedit Filium ?

Affectus *fiduciæ* : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? Ps.* 26. 1.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

O bone Jesu, intra vulnera tua absconde me.

Vulnera tua, merita mea. S. Bernardus.

Jesu mi, non negabis mihi veniam, qui vitam et sanguinem mihi non negasti.

Passio Jesu, tu es spes mea. Merita Jesu, vos estis spes mea. Vulnera Jesu, vos estis spes mea. Mors Jesu, tu es spes mea.

Maria Mater mea, salva me, miserere mei.

Spes nostra, salve.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro me peccatore.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix.

2. Motiva et affectus *contritionis*. Dicit s. Augustinus, quod quisque usque ad extremum vitæ non debet omittere peccata sua deplorare.

Non intres in judicium cum servo tuo. Ps. 142. 2. *Jesu mi, et judex meus, parce mihi, antequam venias ad me judicandum.*

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Deus meus, oh si nunquam te offendissem !

Domine mi, non debebas sic tractari a me, sicut impie feci.

Pater, non sum dignus vocari filius tuus. Ego a te discessi, tuam despexi gratiam, ultro te amisi : toto corde me pœnitet ; Deus meus, propter amorem et sanguinem Jesu Christi parce mihi.

Maledicta peccata mea quæ Deo me privastis, ego vos detestor, abominor, et maledico.

Deus meus, quid mali mihi fecisti quod ipse tam offendi te? Propter Jesum Filium tuum miserere mei.

Numquam, Domine, te offendam quoadusque vivam ; sive parum, sive multum mihi supersit, volo te amare.

Offero tibi in satisfactionem contumeliarum, quas tibi irrogavi, mortem meam, et dolores, quos usque ad mortem perferam.

Domine, merito me punis ; nimis te offendi. Sed quæso, in hac, non in alia vita me castiga.

O Maria ! impetra mihi dolorem culparum mearum, remissionem et perseverantiam.

3. Motiva et affectus *amoris* : *Deus meus, qui es bonitas infinita, super omnia te diligo. Amo te plus quam me ; amo te ex toto corde. Deus meus, non sum dignus te amare, quia nimis te offendi, sed propter amorem Jesu fac me dignum.*

Oh utinam et omnes te diligerent !

Jesu dulcissime, cupio pati et mori pro te, qui propter me pati et mori dignatus es.

Domine, castiga me uli vis, sed ne me prives te amare ; Deus meus, salva me : salus mea est amare te.

Opto paradisum, ut in æternum ex totis viribus meis te diligam.

Deus meus, ne me dejicias in infernum, ut mereor : ibi tu odio mihi habendus esses, sed animus mihi non suppetit te odio habere. Et quid mali, Domine mi, fecisti mihi, ut tu odio mihi habendus esses? Fac ut te amem, et mitte me quo vis.

Volo pati, quantum tibi placet ; volo mori, ut tibi placeam.

Devince me tecum, Jesu mi, ne permittas me unquam separari a te.

Deus meus, fac ut sim totus tuus, antequam moriar.

Quando erit, ut dicere possim : Deus meus, non possum amplius amittere te?

Oh Deus meus! amare te vellem, quantum tu mereris.

O Maria! trahe me totum ad Deum.

Mater mea, ego multum te diligo; volo venire ad cœlum, ad te amandum in æternum.

4. Motiva, et affectus *conformitatis*. Omne nostrum bonum et vita consistit in eo, ut conformemur Dei voluntati, juxta illud: *Vita in voluntate ejus*, Ps. 29. 6. Deus quidem vult quæ nobis sunt meliori bono. S. Gertrudi cum Jesus apparuisset, mortem et vitam offerens, respondit ipsa: *Domine, quod tu vis, et ego volo*. Pariter s. Catharina Senensis, cum Jesus se illi præbuerit, offerens duplicem coronam, unam gemmarum, spinarum alteram, ut ipsa eligeret, ipsa respondit: *Ego eligo, quæ tibi placet.*

Affectus. *Eia N. si Deus te vocat ad aliam vitam, contentus es? Es contentus. Dic igitur semper: Domine, ecce me, fac de me quod tibi placet. Semper fiat voluntas tua; volo tantum, quod tu vis. Voto pati, quantum tu vis. Volo mori, quando tu vis.*

In manus tuas commendo animam, et corpus meum, vitam et mortem.

Benedicam Dominum in omni tempore: aut me consoleris, aut me crucies, Deus meus, ego te amo, et semper te amare volo.

Deus meus, cum morte Jesu mortem meam conjungo, et sic eam tibi offero.

O voluntas Dei! tu es amor meus.

O beneplacitum Dei mei! me tibi totum in holocaustum trado.

5. Motiva et affectus *desiderii* erga paradisum. *Motiva*. Refert Blosius plures revelationes, ex quibus habetur, quod in purgatorio illi, qui tepide cœlum optavere, excruciantur peculiari pœna, appellata a doctoribus mysticis pœna *desiderii*, aut *languoris*. Præsens vita est pœnarum carcer, in quo Deum videre non possumus: unde merito rogabat David; *Educ de custodia animam meam*. Ps. 141. 8.; et s. Augustinus clamabat: *Eia, Domine, moriar ut te videam.* S. Hieronymus appellabat mortem, sororem suam, eique dicebat: *Aperi mihi, soror mea.* Et quidem recte, nam mors est illa quæ paradisi januas nobis reserat. Et ideo pariter s. Carolus Borromæus, videns mortis effigiem cum falce in manu depictam, pictori præcepit, ut falcem deleret, et ejus vice clavem auream tanquam cœli clavem depingeret. Expedit igitur, ut sacerdos sæpius alloquatur moribundos de cœlestis patriæ bonis, in mentem eis revocans quod apostolus ait: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. 9.

Affectus. *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Ps. 41. 3. *Quandonam erit, Deus meus, quod tuam infinitam pulchritudinem videbo, et facie ad faciem te diligam?*

In cœlo semper te amabo, tu semper me amabis; invicem igitur in æternum nos amabimus, Deus meus, amor meus, et omnia.

Jesu mi, quando osculabor vulnera quæ pro me sustulisti?

O Maria! quandonam erit, ut me videam ad pedes illius Matris, quæ tantum me amavit, et auxiliata est?

Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

6. Affectus, qui infirmo suggeri possunt dum Crucifixum deosculatur.

Dulcissime Jesu, ne respicias quid ego in te, sed quid tu pro me fecisti.

Recordare quod sim una ex ovibus tuis, pro qua mortuus es.

Libenter pro te, qui pro me passus es, Jesu mi, moriar.

Accepto, Jesu mi, consumi pro te, qui totus consumi voluisti pro me.

Domine, majora tu pro me, quam ego pro te patiar: Tu innocens, ego peccator.

Deosculare, frater mi (dicat sacerdos infirmo), *pedes illos, qui tam ad te perditam ovem quærendam et salvandam laboraverunt. Dic, queso: Amabilissime Redemptor, amplector pedes tuos, ut Magdalena amplexa fuit, fac ut audiam mihi pepercisse, ut illa audivit.*

Deus meus, mihi propter amorem Jesu Christi parce, et fac ut bene moriar.

Pater æterne, tu mihi Filium tuum tradidisti, me ego tibi tradu.

Jesu mi, multum tibi ingratus fui, miserere mei. Multoties infernum merui; non in alia, sed in hac vita me punti.

Si me fugientem quæsivisti, me te quærentem ne derelinquas.

Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te.

Quis me separabit a charitate Christi? (Rom. 8. 35.).

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuit nobilissima anima tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, misercre animæ meæ peccatricis in egressu de corpore meo. Amen.

Jesu mi, tu propter amorem meum mortuus es; ego propter amorem tuum mori volo.

7. Affectus qui suggeri possunt sacerdotibus, et Religiosis infirmis.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus et omnia. O me beatum, si omnia amittam, ut acquiram te meum summum bonum!

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Ne projicias me a facie tua.

Jesu dulcissime ne permittas me separari a te.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Ita dicebat s. Franciscus.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

Diligam te, Domine, fortitudo mea.

Eia moriar, Domine, ut te videam.

Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?

Pater, peccavi, non sum dignus vocari filius tuus.

Averte faciem tuam a peccatis meis.

Tuus sum ego, salvum me fac.

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Quis nos separabit a charitate Christi?

Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. S. Ignatius de Loyola.

Dilectus meus mihi, et ego illi.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, etc.

Vita, dulcedo, spes nostra salve.

Refugium peccatorum, ora pro nobis

Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et in hora mortis suscipe.

O salus te invocantium! S. Bonav.

§. IV. *Monita circa ultima Sacramenta, et modum quo utiliter recipi possunt.*

I. CIRCA CONFESSIONEM.

Jam supra in praxi monitum est (vide nostram Moralem *lib.* 6. *n.* 260. *et* 484. *ad* 2.) quod cum periculum mortis instat aut forsan Viaticum delatum est et longa esset confessio, tunc infirmus non tenetur omnia et singula peccata confiteri. Hic amplius animadvertenda sequentia, nimirum, 1. quisquis sacerdos in mortis non solum articulo, sed etiam periculo, (ut *Trid. sess.* 14. *c.* 7. *de Pœnit.* declaravit) censuris et casibus reservatis obstrictos absolvere potest (*lib.* 6. *n.* 561.) Advertendum tamen est, quod circa censuras reservatas tenetur confessarius facultate carens infirmo imponere, ut elapso mortis periculo, se præsentet Superiori, secus in censuras reincidet, *n.* 563. *v.*

Secus. 2. Simplex sacerdos absolvere non potest, præsente confessario approbato; secus tamen, si confessarius approbatus veniat jam incœpta confessione; secus etiam, si approbatus sit complex personæ infirmæ in peccato turpi, ut decrevit ss. p. Benedictus XIV. (*n.* 553.).3. Moribundus sensibus destitutus recte potest absolvi, saltem sub conditione (quod securius est), dummodo constet infirmum absolutionem desiderasse, pœnitentiæ signum præbens, aut si confessionem quæsierit, *n.* 479, et id intelligitur, etiamsi moribundus in actu peccati sensus amiserit. *n.* 483. ex d. Augustini auctoritate, et ratione; quia ex una parte conditio Sacramenti irreverentiam removet, et ex alia semper in tali casu quemque velle suæ saluti consulere judicatur, et sensibile aliquod signum ostendere, licet morbi causa signum non bene intelligatur. 4. Si infirmus post tertium diem, licet de periculo monitus, nec tamen confiteri vellet, optimum erit si sacerdos medicum monefaciat, juxta S. Pii V. Bullam, ut eum non amplius invisere eat. Si tamen infirmus in sua adhuc maneat pervicacia, tunc medico curam denuo suscipere licebit; vide *l.* 6. *n.* 664.

II. *Circa Communionem.*

Sequentia adnotantur monita. 1. Ut infirmo Viaticum ministrari possit, necesse non est ut omni vitæ spe destitutus sit, sed sufficit mortis periculum; *lib.* 6. *n.* 284. 2. Si vomitus periculum adsit, Viaticum dari non potest, licet præmittatur experientia cum particula non consecrata, *ibid. n.* 292. *v. In dub.* 3. Pueris ratione pollentibus etiam rite Viaticum dari potest; necnon phreneticis, dummodo sancte vixisse constet, aut paulo ante confessi sint, et periculum irreverentiæ non adsit; ideoque cum istis probabiliter licitum est experiri cum particula non consecrata. 4. Infirmis etiam in Parasceve, ut habetur ex s. Rituum Congregationis Decreto, edito 19. febr. an. 1622. Viaticum ministrare non tantum licet, sed ad hoc parochi tenentur.

5. Communis sententia tenet, quod in eadem infirmitate ægroto non jejuno pluries Viaticum dari potest, saltem si intersit sex vel octo dierum spatium; imo multi doctores minus temporis intervalli exigunt, vide *lib.* 6. *n.* 284 *et* 285. Si tamen ægrotus mane ex sua devotione communicavit, non potest ei ipsomet die Viaticum dari, nisi tamen mortis periculum ex aliquo superveniente morbo violento, nempe vulneris, veneni, et casus similis, advenerit. Secus si ægrotus in infirmitate jam constitutus mane communicavit; vide rationem in cit. n. 285. *Dub.* 3.

6. Si tamen infirmus tantum confessus sit, et malum increbescit, tunc sacerdos eum, ut quando citius Viaticum accipiat, sedulo disponat, ut sana mente, et majori fructu recipiat; ideoque desiderium recipiendi Viaticum in animum inducere curet, ut ita munitus dæmonis viribus majori nisu et gratia obstare possit, utque Jesu Redemptori nostro magis se uniat, qui eum invisere cupit (dicat) ut suas possit in se gratias effundere, et ad cœlestem patriam brevi perducere; sin autem, ut si expedierit, etiam corporis salutem impertiatur. S. Cyrillus Alexandrinus ait, quod sancta Eucharistia *etiam morbos depellit, et ægrotos sanat*. Et de suomet patre s. Gregorius Nazianzenus refert, quod statim ac Communionem accepit, convaluit.

Sacerdos igitur sic infirmum alloquetur: *Frater mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est, ideoque optimum est, ut quando citius potes, Viaticum accipias; nam Christus in pristinam te restituet sanitatem, si hoc tuæ æternæ saluti expedierit: si tamen mori debes, contra diabolum in tuum auxilium veniet, et tui itineris ad beatam patriam comes erit. Quid dicis? cupisne Viaticum accipere? Quidem: Eia igitur præpara animam tuam ad amplectendum tuum Redemptorem, qui pro te mortuus est. Dic toto corde: Veni, Jesu mi, veni amor meus, omne bonum meum, veni, ad te anima mea desiderat. Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.*

Sacerdotis autem, cum Viaticum pervenerit, sit cura ab infirmi cubiculo parentes, uxorem nempe, sorores, filios, etc., qui passioni ei esse possunt, depellere. Tunc ei subjungat: *S. Philippus Nerius, cum in suo cubiculo ss. Sacramentum viderit, exclamavit*: En amor meus, en amor meus! *Dic etiam, frater, dic: En amor meus! En hic est Filius Dei, qui pro tua salute descendit de cœlis, homo factus est, pro te in cruce mortem subire voluit, et nunc te invisere in ipso tuo cubiculo venit. Bono sis animo, jam tibi peccata condonavit. Culparum tuarum jam te pœnituit, et adhuc pœnitet. Sed nunc diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; itane est? Eia ergo dic: Amo te, Deus meus, super omnia, et quia diligo te, me pœnitet peccasse: propter amorem tuum libenter morior; jam, si tibi placet, mori cupio, ut videam te, et in æternum amem.*

Dicat inde: *Si igitur N. Jesum amas, parcis nunc amore sui omnibus, qui te in aliquo offenderunt, non est ita? Petisne etiam veniam, quibus injurias, et offensas irrogasti? Eia igitur converte faciem tuam ad Jesum qui te amplecti cupit; dic toto corde: Domine, non sum dignus; sed licet indignum tanto munere fatearis, ad te tamen Dominus venire vult. Iterum igitur eum ardenter voca: veni, Domine, veni, amor meus, Deus meus, et omnia, veni; ad te sitit anima mea, et præter te nihil aliud cupit.*

Communicato jam infirmo ad gratiarum actionem illum adjuvet sacerdos: *Eia igitur, frater, age nunc Domino gratias, qui ad te venire, teque amplecti dignatus est. Sacramentum est, et vere dicitur,* futuræ gloriæ pignus. *Dominus tecum est, quid amplius times? exulta frater, Deus tibi dare vult paradisum; ideoque totum se tibi impertiri dignatus est: dic ergo: Domine mi, amor meus, te amplector, tibi gratias ago, te amo, et in æternum te amare spem habeo: me pœnitet te offendisse, et nunc quidquid mihi superest vitæ in tuum amorem impendere firmiter propono.*

Jesu mi, vitam meam in holocaustum libenter offero, si tibi placet eam mihi auferre. Fiat semper voluntas tua. Sanctam perseverantiam, amorem tuum mihi tantum concedere precor, ita ut amando te animam efflem, ut veniam ad semper te amandum in cœlo. Tu me non deseres, ego non deseram te, ergo Deus animæ meæ, in æternum nos ad invicem diligemus.

III. *Circa Extremam-Unctionem.*

Extrema-Unctio, uti est ultimum Sacramentum, ita ex d. Thoma est vitæ spiritualis corona; ipsa homo munitus, ad cœlestem patriam ingredi disponitur. Unde Sacramentum hoc, dum ægrotus mente pollet, ut ei magis prosit, opus est ut conferatur; quoniam, licet conferri non possit, nisi grave mortis periculum (saltem probabile) immineat (ut in nostra morali *lib.* 6. *n.* 714. *Dub.* 4.), tamen ad ultimum vitæ discrimen prorsus differenda non est, (*loc. cit. v. Advertend.* 1.). Unde ait Catechismus Romanus *part.* 2. *n.* 18. graviter peccare parochos illos qui conferunt Extremam-Unctionem, quando nulla adest spes vitæ, et ægrotus jamjam privatur sensibus.

Ægroto sacerdos suadere studeat 1. quod Extrema-Unctio, si animæ profutura erit, etiam ad corporis sanitatem confert, ut Tridentinum *sess.* 14. *c.* 2. *de Extrema-Unct.*: *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Hæc tamen sanitas non confertur, cum naturaliter impossibile sit iterum institui ad salutem. De quodam jam

defuncto refert Joannes Eroldus, hunc revelasse, quod si Extremam-Unctionem prius accepisset, statim e morbo convaluisset; sed quia distulerat, ideo vita defunctus erat, et ad purgatorii ignem centum annis damnatus. Secundo, Extrema-Unctio peccatorum reliquias remittet, et per consequens ipsa peccata mortalia occulta, ut docet d. Thomas, *lib.* 6. *n.* 731. *v. Commune* ; ideoque instruatur infirmus, ut dum quinque corporis sensus unguntur, ipse de culpis per ipsos commissis doleat, et cum astantibus etiam respondeat, *amen*. Tertio particularia auxilia, quibus in illo extremo agone inferni vim, et impetum frangat, subministrabit. Quare multum probabile est gravi se obstringi scelere, qui hoc sacramentum accipere recusaret, ut supra diximus.

Aliqua hic de hujus Sacramenti administratione scitu necessaria adnotare licebit. 1. Speculative tantum probabilis est opinio dicens, sufficere ministrare hoc Sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo ; non tamen practice, quia hæc vera unctio non esset: vide in Morali *lib.* 6. *n.* 709. *Dubit.* 4. 2. Unctio quinque sensuum, secundum communiorem sententiam, est de necessitate Sacramenti ; unde pestis tantum tempore, aut alicujus imminentis mortis periculi, una tantum, et in uno sensu (consultius in capite) unctio adhiberi potest ; sed semper sub conditione si valet, et cum unica forma dicendo : *Per istam sanctam unctionem, et suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum*. Si tamen æger supervivat, unctiones etiam sub conditione reiterari debent in omnibus quinque sensibus, solitis orationibus. 3. Non est de necessitate Sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi : immo unum tantum oculum, unam manum, etc. ungere, licite sufficit, dum periculum infectionis, aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti ad aliud latus. Unctiones renum in mulieribus, et etiam in viris, *quando infirmus* (ut Rituale monet) *commode moveri non potest, relinquitur*. Unctionem tamen pedum non esse de necessitate Sacramenti, communis sententia tenet, sed quoad hoc Ecclesiarum consuetudo servanda est ; *n.* 710. *v. Certum*. Nec etiam de necessitate Sacramenti est in unctione partium ordinem servare : gravi tamen culpa se obstringit, qui receptum ordinem non servat ; *loc. cit. v. Nec etiam*. 4. Extrema-Unctio rite confertur pueris qui ratione pollent, licet non adhuc s. Communionis idonei sint ; in dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsus arentibus non procedit ; *n.* 719 *et* 720. 5. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint, et Extremam-Unctionem petierint, aut verisimiliter petiissent, aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiæ periculo, dari potest ; et eo magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionate dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint ; impœnitentibus enim, et qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis penitus denegari debet, ut Rituale Rom. monet : vide *lib.* 6. *n.* 732. Mulieribus etiam, si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest. 6. Orationes præscriptæ, extra formam, in casu necessitatis omitti possunt, quæ postea dicentur si tempus suppetet, *n.* 727. ; et in tali casu Sacramentum dari potest, etiam sine luminibus, et ministro ; *n.* 728. et etiam probabiliter sine superpelliceo et stola ; *n.* 726. 7. Extrema-Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus a priori probabiliter convaluerit, et

in aliud simile vitæ discrimen inciderit ; ut docet Trident. *sess.* 14. *c.* 3. *de Extrema-Unct.* vide *n.* 715. 8. Cautus sit sacerdos in movendo ægroto, ut partes viciniores ungat ; si tamen caute revolvat, et casu ille e vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse ; quia in hoc casu irregularitas non potest incurri, nisi ob delictum, a quo qui charitatis causa aliquod inculpabiliter agit, immunis est. Denique recte parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum prævidet, ut vocatus ad conferendam Unctionem præsto non esset ; *lib.* 6. *n.* 730.

§. V. *Monita circa agonem, et mortem.*

Cum infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiæ armis, ad eum juvandum quantum potest, sacerdos utatur. 1. Sæpius infirmum aqua benedicta aspergat, præsertim si diabolicis tentationibus exagitatur, dicendo : *Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus*. 2. Crucis signaculo eum muniat, et benedicat dicens : *Benedicat te Deus Pater, qui te creavit ; benedicat te Filius, qui te redemit ; benedicat te Spiritus sanctus, qui te sanctificavit*. 3. Salvatoris necnon Mariæ aliquam imaginem sæpius osculandam præbeat. 4. Curet, ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, et præsertim accipiat benedictionem in articulo mortis Benedicti XIV. cum indulgentia plenaria, quam infra adnotabimus. 5. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei in Domini passionem, ac B. Mariæ intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat, et ruminandi tempus, et quies cendi. 6. Studeat, ut sæpissime SS. Jesu et Mariæ nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam : *Maria Mater gratiæ, etc.* 7. Agonis tempore faciat, ut circumstantes pluries B. Mariæ Virginis Litanias pro ægroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis, ad significandam omnibus instantem mortem expirantis ægroti, ut pro ipso orent ; quod etiam sanis juvare potest. Et hic generatim animadvertendum est, quod cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes, quam verba. 8. Cum tempus expirandi instat, sacerdos flebili voce et flexis genibus consuetas Ecclesiæ orationes recitet : *Proficiscere, etc.* ut in fine Breviarii aut Ritualis habentur. 9. Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut an friguerit videat, caveat saltem ne sæpius fiat, ne eum perturbet ; et curet ne illum vertant illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset. 10. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradat ei candelam benedictam, ut teneat, et ita in Fide mori profiteatur. 11. Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsan præteritæ confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, necnon purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed monens, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet ; si rursum tentatur, benigne ipsum confortet, procuret ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri ; quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur ; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc sacerdos ex conscientia, quam noverit infir-

mi, se dirigere debet ; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest ; sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat : frequentius tamen si jamjam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quærit, aut dum sacerdos ipsi conferre vult, ex gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia.

Denique cum e vita jam migrasse videtur, caveat sacerdos, ne statim det suæ mortis signum, nec ei statim oculos, aut os claudat, aut visum pannis cooperiat : quia si nondum mortuus esset, fieri posset, ut mors acceleretur. Cum autem certo scit animam jam ad æternitatem migrasse, circumstantes, ut pro illo orent, moneat, et ipse flexis genibus dicat orationem, *Subvenite, etc.* ut in Rituali, vel in Breviario.

§. VI. *Affectus qui suggeri possunt agonis, et expirationis tempore.*

In te, Deus meus, infallibilis veritas, credo ; in te, immensa misericordia, spero ; te, infinita bonitas, amo.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus, ne permittas me separari a te. Nihil aliud quam te cupio. Bonitas infinita, te amo, te amo, te amo.

(Hic animadvertendum est, actus frequentiores, qui moribundis suggeri debent, esse amoris et doloris).

Jesu mi, qui mox me judicaturus es, parce mihi, antequam judices. Te amo, et quia te amo, me pœnitet offendisse. Jesu mi dulcissime, ne permittas me separari a te.

Sanguis Jesu, lava me. Passio Christi, salva me.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Moriar, Domine, ut te videam.

Maria Mater Dei, ora Jesum pro me.

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

O Maria, nunc tempus est auxiliandi servum tuum.

Mater mea, ne derelinquas me.

O paradise, o pulchra patria, o amoris patria, quando te videbo ?

Deus meus, quandonam facie ad faciem te amabo ?

Quando, Jesu mi, te non amplius amittendi securus ero ?

Deus meus, et omnia.

Contentus sum omnia amittere, ut acquiram te, Deus meus.

Deus meus, propter amorem Jesu miserere mei.

Mitte me, Domine, in purgatorii ignem, per quantum vis : noli tamen in infernum, ubi te amare non possum.

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Æterne Deus, spero, et cupio in æternum te amare.

Amor meus crucifixus est. Jesus meus, amor meus, pro me mortuus est.

Deus in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum, etc.

Pater æterne propter amorem Jesu Christi da mihi gratiam tuam. Te amo, me pœnitet.

Quomodo possum de tot tantisque beneficiis quæ mihi fecisti, Deus meus, tibi rependere gratias ? Spero in æternum in cœlo tibi gratias agere.

Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, etc.

Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Dum jam ægrotus est proximus ad expirandum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Jesu mi, tibi animam quam tuo sanguine redemisti commendo.

(Hic notandum, quod dum infirmus jam ad exhalandam animam vicinus est, actus suggeri debent sine pausa, et fortiori voce).

Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Deus meus, adjuva me ; sine me venire ad amandum te in æternum.

Jesu mi, amor meus, te amo, me pœnitet. Oh si nunquam te offendissem !

O Maria, spes mea, adjuva me, ora pro me Jesum.

Jesu mi, propter passionem tuam salva me : te amo.

Maria, mater mea, in hac hora adjuva me. S. Joseph, adjuva me. Archangele Michael, defende me. Angele custos, custodi me. S. N. (hic præcipue protectoris ægroti fit mentio) *commenda me Jesu Christo. Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro me.*

Jesus, Jesus, Jesus.

Jesus et Maria, vobis cor et animam meam dono.

§. VII. *Imminentis mortis signa.*

Opus est, ut sacerdos, qui hoc charitatis opus exercet, imminentis mortis signa sciat, ut ita ægroto jam expiranti melius auxiliari possit. Præcipua et universalia sunt tria. 1. Pulsus deficiens, intermittens, et formicans. 2. Respiratio anxia. 3. Oculi excavati et vitreati, aut apertiores solito, vel nimis lucidi, vel qui respiciant objecta diverse quam aliis apparent ; aut cum palpebra superior relaxatur, et inferiorem prætergreditur.

Sunt etiam proxima mortis signa nasus acuminatus, et in extremitate albescens, et si nares ad instar follis sufflant ; manus trementes ; ungues lividæ, facies flavescens, livida et mutata, flatus male olens et frigidus ; corpus immobile ; sudor frontis et frigidus ; calor in cordis parte nimius ; festucas aut lanugines colligere ; frigiditas in extremis omnibus partibus.

Signa tamen proximiora expirationis sunt respiratio intermittens aut languida ; defectio pulsus ; dentium contractio et stridor ; distillatio in gula ; lene quoddam suspirium, aut gemitus ; lacryma per se fluens ; oris, oculorum, et totius corporis torsio.

Advertatur 1. quod laborantes hydropisi, etica febri, vel vulnere, asthmate, pleuritide, sanguinis fluxu, vomitu, angina, et reumatismo, interdum cum paucis nominatorum signorum, et cum pulsu valido, ac loquentes expirare solent. Advertatur 2. proximos morti esse, qui pleuritide laborant, dum respirationis difficultas, anhelitus augmentum, et labia livida apparent. Vulnerati capite interdum subitaneo deliquio moriuntur. Hydropici, dum pulsus deficit, et anhelitus crescit, ac in ore spuma apparet. Qui febri intermittente laborant, mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt. Advertatur 3. quod in aliquibus ægrotis flatus est adeo debilis, et cordis exagitatio, ut jam mortui videantur, et tamen non sunt. Signa certiora mortis sunt omnium partium frigiditas etiam in regione cordis, corporis gravitas, alicujus spiritus naribus admoti stimulum non sentire, speculum ore accessum flatu non maculari, et similia. Demum advertatur, quod interdum signa superius in primo loco adducta fallunt, et etiam sine illis repente moritur infirmus ; ideoque dum ægrotus in agone manet, sacerdos oportet ne unquam illum deserat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§. VIII. *Et ultimus. Preces, actus christiani, et benedictiones.*

Sacerdos domum ægroti ingrediens dicat. ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Cubiculum aqua benedicta aspergat, dicens : *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Deinde dicere potest orationes, quæ in Rituali pro Extrema-Unctione exstant. Postea Redemptoris imaginem accipiat, dicens : *Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ.* Et ægroto osculandam præbeat, dicens : *Deosculare pedes Jesu Christi, qui in hac cruce pro salute tua mortuus est.*

Deinde dicat : *In Deo N. N. igitur spem tuam jacta : sperare volumus Mariam a Deo salutem tibi intercedere velle : infirmitas tamen gravis est, voluntati Dei tuam conforma, ut de te faciat quod ipse vult. Eia igitur mecum recita christianos actus, ut cum istis ad mortem te disponere valeas, si pro bono animæ tuæ sic Deus determinavit ; dic ergo mecum :*

Actus fidei. *Deus meus, infallibilis veritas, quia tu, quod credere debeam, S. Ecclesiæ revelasti, credo quod ad credendum mihi proponit Ecclesia. Credo te esse Deum meum, omnium Creatorem, qui per totam æternitatem paradiso justos remuneras, peccatores vero castigas inferno. Credo mysterium SS. Trinitatis id est Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, tres Personas, sed unum Deum. Credo secundam Personam, id est Filium Dei, hominem factum in utero Mariæ semper Virginis, et pro nobis peccatoribus mortuum esse. Inde resurrexit, et nunc sedet ad dexteram Patris, et inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo septem sancta Sacramenta, et præcipue Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, et Extremam-Unctionem. Credo omnes resurgere debere cum corporibus suis, et denique credo omne id, quod credit S. Ecclesia catholica romana in qua sola credo esse veram Fidem.*

Actus spei. *Deus meus, confisus tuis promissis, quia tu fidelis, potens, et misericors es, propter merita Jesu Christi peccatorum meorum veniam spero, perseverantiam finalem, et gloriam paradisi.*

Actus amoris et doloris. *Deus meus, quia tu es bonitas infinita, infinito amore dignus, toto corde meo te diligo super omnia. Et omnium peccatorum meorum, quia tuam infinitam bonitatem offendi, tota anima mea me pœnitet, et displicet. Potius mori quam peccare propono, cum gratia tua, quam ut nunc mihi des et semper, te precor. Et propono sancta Sacramenta recipere in vita, et in morte.*

(Benedictus XIII. omnibus, qui semel in die hos elicit actus, septem annos indulgentiæ largitus est : et si per mensem integrum fiant, confessis et communicatis, juxta mentem Pontificis orantibus indulgentiam plenariam, etiam pro defunctorum animabus, concessit : et si in fine vitæ quis faciat, indulgentiam in articulo mortis).

Benedictio in articulo mortis.

Pontifex regnans anno 1747, Episcopis facultatem concessit, et eorum delegatis indulgentiam plenariam ægrotis petentibus impertiri, postquam Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis Sacramenta acceperint, aut vero similiter quæsiissent, aut si signum aliquod doloris dederint, et postea sensus amiserint. Non vero excommunicatis, et impœnitentibus ; nec etiam illis, qui in evidenti peccato moriuntur. Modus quo datur benedictio est hic.

Sacerdos ægroti domum ingrediens dicat : *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* Et aspergat aquam benedictam, dicens : *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Postea dicat : *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc.* Et nihil aliud dicens, repetat antiphonam, *Asperges me, etc.*

Si ægrotus confessionem petit, sacerdos benigne audiat; sin vero contritionis actum ut ægrotus eliciat, studeat, confortetque eum ad paradisi gloriam sperandam : hortetur, ut totum se offerat Deo, et pro peccatorum suorum satisfactione id quod vult Deus, ipsamque mortem accepiet. Inde dicat :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Antiph. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ), neque vindictam sumas de peccatis ejus. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.*

℣. *Et ne nos, etc.*

℟. *Sed libera, etc.*

℣. *Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) Domine.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Domine, exaudi, etc.*

℟. *Et clamor meus, etc.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum, respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides et spes christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula ablula, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem, etc.

Tunc postquam clericus dixerit, *Confiteor Deo, etc.*, Sacerdos dicat : *Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.* Et deinde :

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam quam in Baptismate recepisti ; et ego facultate mihi ab apostolica Sede tributa indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, † Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

At si infirmus esset tam morti proximus, ut tempus non suppeteret supradictis precibus, sacerdos statim impertiatur ei præfatam benedictionem, *Dominus noster Jesus Christus, etc.*

Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo.

Sacerdos conversus ad habitum dicat :

℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine Deus virtutum, converte nos.*

℟. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuæque Genitricis Virginis Mariæ de Monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sanctifica † : et hoc, quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore et animo servetur et

ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et postea ipsum imponat personæ recipienti, dicens :

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat :

Ego ex potestate mihi tradita et concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum canonicarum, ac cæterorum bonorum spiritualium, quæ passim die nocteque (cooperante misericordia Jesu Christi) a Religiosis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Bene † dicat te Conditor cœli et terræ Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo societatem et confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam victor palmam et coronam sempiternam hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum.

℣. *Adjutorium nostrum, etc.*
℟. *Qui fecit cœlum, etc.*

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiæ, humilitatisque judicium in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariæ nos ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, illud recipienti imponat, dicens :

Accipe, charissime frater, habitum B. Mariæ Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita et morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus sub ejus patrocinio perpetuo vivas,

Benedictio Dei omnipotentis † Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, et maneat semper. Passio Domini nostri Jesu Christi, et compassio beatæ Mariæ Virginis sit in corde et corpore nostro. Amen.

Benedictio Scapularis Conceptionis immaculatæ Dei Matris.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis immaculatæ beatæ Mariæ Virginis (necnon, ut ill., indutus exoret) in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo indutus fuerit, eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas, etc.

Postea sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, imponat recipienti, dicens :

Accipe, frater, Scapulare beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, ut, ea intercedente, vetere homine exulus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Amen,

Et ego ex facultate mihi tradita recipio te in partioipationem bonorum spiritualium, quæ in nostra congregatione gratia Dei fiunt, et quæ per sanctæ Sedis apostolicæ privilegium concessa sunt. In nomine Patris † et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Si infirmus numquam acceperit aliquod Scapulare, vel aliquod ex iis, de quibus supra sermonem fecimus, curet sacerdos qui facultatem habet, ut infirmus tunc recipiat, ut indulgentias lucretur.

APPENDIX III.

EXAMEN ORDINANDORUM

AD EODEM AUCTORE BREVITER CONCINNATUM EX EADEM SUA THEOLOGIA MORALI RES SCITU MAGIS NECESSARIAS CONTINENS

CAPUT I.

De sacramentis in genere.

1. *Quid sit Sacramentum.*
2. *Quæ requirantur ad constituendum Sacramentum? An circumcisio etc.*
3. *Quæ sint Sacramentalia.*
4. *Distinguuntur Sacramenta.*
5. *Qu. I. Quæ requirantur ad essentiam. De materia.*
6. *De forma ; et de connexione materiæ cum forma.*
7. *De mutatione substantiali, aut accidentali.*
8. *De Sacramento sub conditione. Si cum forma, aut materia dubia, vel mixta. Interruptio formæ.*
9. *De intentione ministri, et suscipientis.*
10. *Qu. II. De ministro.*
11. *An debeat esse in gratia.*
12. *Si sit laicus, aut ministret non solemniter; an sufficiat contritio.*
13. *Si absolvat in mortali ; si ministret Eucharistiam ; si celebret Missam.*
14. *Si subdiaconus, aut diaconus ministret solemniter.*
15. *Si ministret indigno.*
16. *Simulare administrationem Sacramenti.*
17. *Simulare susceptionem.*
18. *An minister debeat intendere quod facit Ecclesia.*
19. *Qu. III. Quid requiritur ad valide et licite Sacramenta suscipienda.*
20. *An liceat petere ab excommunicato, vel peccatore.*
21. *An dare pecuniam pro administr Sacramenti*
22. et 23. *Effectus Sacram., et I. de gratia.*
24. *II. De charactere.*

1. Sacramentum, generaliter loquendo, significat mysterium, sive rem occultam; Sacramentum vero in Ecclesia christiana sic definitur : *Est sensibile signum invisibilis gratiæ ad populum Dei sanctificandum, a Christo institutum.* Dicitur *Signum sensibile* scilicet signum exteruum in materia sensibus subjecta. *Invisibilis gratiæ*, quia Sacramentum significat gratiam quam causat invisibiliter, scilicet ex opere operato, sive per se, modo suscipienssit dispositus. *A Christo institutum*, quia juxta sententiam probabiliorem, Christus etiam ut homo Sacramenta instituit ex potestate quæ dicitur *excellentiæ* (1).

2. Tria igitur ad Sacramentum constituendum requiruntur, 1. Signum externum, 2. Promissio gratiæ, 3. Institutio Christi, cum omnia Sacramenta ex Christi passione vim habeant.

Dubitatur an circumcisio fuerit olim verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato ? Affirmat

(1) Vide opus morale l. 6. n. 1, 2, et 3.

ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et postea ipsum imponat personæ recipienti, dicens :

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat :

Ego ex potestate mihi tradita et concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum canonicarum, ac cæterorum bonorum spiritualium, quæ passim die nocteque (cooperante misericordia Jesu Christi) a Religiosis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Bene † dicat te Conditor cœli et terræ Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo societatem et confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam victor palmam et coronam sempiternam hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum.

℣. *Adjutorium nostrum, etc.*
℟. *Qui fecit cœlum, etc.*

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiæ, humilitatisque judicium in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariæ nos ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, illud recipienti imponat, dicens :

Accipe, charissime frater, habitum B. Mariæ Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita et morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus sub ejus patrocinio perpetuo vivas,

Benedictio Dei omnipotentis † Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, et maneat semper. Passio Domini nostri Jesu Christi, et compassio beatæ Mariæ Virginis sit in corde et corpore nostro. Amen.

Benedictio Scapularis Conceptionis immaculatæ Dei Matris.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis immaculatæ beatæ Mariæ Virginis (necnon, ut ill., indutus exoret) in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo indutus fuerit, eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas, etc.

Postea sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, imponat recipienti, dicens :

Accipe, frater, Scapulare beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, ut, ea intercedente, vetere homine exulus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Amen,

Et ego ex facultate mihi tradita recipio te in partioipationem bonorum spiritualium, quæ in nostra congregatione gratia Dei fiunt, et quæ per sanctæ Sedis apostolicæ privilegium concessa sunt. In nomine Patris † et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Si infirmus numquam acceperit aliquod Scapulare, vel aliquod ex iis, de quibus supra sermonem fecimus, curet sacerdos qui facultatem habet, ut infirmus tunc recipiat, ut indulgentias lucretur.

APPENDIX III.

EXAMEN ORDINANDORUM

AD EODEM AUCTORE BREVITER CONCINNATUM EX EADEM SUA THEOLOGIA MORALI RES SCITU MAGIS NECESSARIAS CONTINENS

CAPUT I.

De sacramentis in genere.

1. *Quid sit Sacramentum.*
2. *Quæ requirantur ad constituendum Sacramentum? An circumcisio etc.*
3. *Quæ sint Sacramentalia.*
4. *Distinguuntur Sacramenta.*
5. *Qu. I. Quæ requirantur ad essentiam. De materia.*
6. *De forma ; et de connexione materiæ cum forma.*
7. *De mutatione substantiali, aut accidentali.*
8. *De Sacramento sub conditione. Si cum forma, aut materia dubia, vel mixta. Interruptio formæ.*
9. *De intentione ministri, et suscipientis.*
10. *Qu. II. De ministro.*
11. *An debeat esse in gratia.*
12. *Si sit laicus, aut ministret non solemniter; an sufficiat contritio.*
13. *Si absolvat in mortali ; si ministret Eucharistiam ; si celebret Missam.*
14. *Si subdiaconus, aut diaconus ministret solemniter.*
15. *Si ministret indigno.*
16. *Simulare administrationem Sacramenti.*
17. *Simulare susceptionem.*
18. *An minister debeat intendere quod facit Ecclesia.*
19. *Qu. III. Quid requiritur ad valide et licite Sacramenta suscipienda.*
20. *An liceat petere ab excommunicato, vel peccatore.*
21. *An dare pecuniam pro administr Sacramenti*
22. et 23. *Effectus Sacram., et I. de gratia.*
24. *II. De charactere.*

1. Sacramentum, generaliter loquendo, significat mysterium, sive rem occultam; Sacramentum vero in Ecclesia christiana sic definitur : *Est sensibile signum invisibilis gratiæ ad populum Dei sanctificandum, a Christo institutum.* Dicitur *Signum sensibile* scilicet signum exteruum in materia sensibus subjecta. *Invisibilis gratiæ*, quia Sacramentum significat gratiam quam causat invisibiliter, scilicet ex opere operato, sive per se, modo suscipienssit dispositus. *A Christo institutum*, quia juxta sententiam probabiliorem, Christus etiam ut homo Sacramenta instituit ex potestate quæ dicitur *excellentiæ* (1).

2. Tria igitur ad Sacramentum constituendum requiruntur, 1. Signum externum, 2. Promissio gratiæ, 3. Institutio Christi, cum omnia Sacramenta ex Christi passione vim habeant.

Dubitatur an circumcisio fuerit olim verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato ? Affirmat

(1) Vide opus morale l. 6. n. 1, 2, et 3.

Scotus; sed communiter id negant Id.; nam circumcisio operabatur sanctitatem tantum externam, non autem internam; commune tamen est quod fuerit verum Sacramentum (1).

3. Sacramentalia autem sunt quædam actiones sacræ ab Ecclesia institutæ, prout sunt aqua lustralis, benedictiones rerum, consecrationes et similia. Hæc non habent per se vim remittendi peccata, sed tantum impetrandi auxilia divina ad eliciendos actus bonos, quibus postea peccata remittuntur (2).

4. Multipliciter distinguuntur Sacramenta. *Primo*, alia sunt necessaria necessitate *medii*, ut sunt Baptismus pro omnibus, Pœnitentia pro lapsis in mortale, et Ordo pro iis qui Sacramenta Eucharistiæ et Pœnitentiæ ministrant: etiam Eucharistia (juxta probabiliorem sententiam), saltem in voto implicito (3). Alia necessitate *præcepti*, ut sunt Confirmatio, juxta probabilem sententiam, licet opposita Nav. Suar. Soti Laym. Roncagl. Wigandt ex d. Thoma (4), et aliorum etiam sit probabilis (5); et Extrema-Unctio, juxta probabiliorem sententiam, omnino suadendam (6). *Secundo*, alia sunt Sacramenta *iterabilia*, ut Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, matrimonium; alia sunt *iterabilia*, ut Baptismus, Confirmatio et Ordo, propter characterem quem indelebiliter imprimunt. *Tertio*, alia sunt Sacramenta *mortuorum*, ut Baptismus et Pœnitentia, quia primam conferunt gratiam, et supponunt animam mortuam, id est gratia carentem: alia *vivorum*, quæ aliquando per accidens dant etiam primam gratiam, nimirum casu quo aliquis attritus, bona fide putans se contritum, illa suscipit, ut docent probabiliter Lugo Suar. Con. Cajetan. Croix Salm. Castrop. et alii plures ex d. Thoma contra alios, ex communi (7). *Quarto* alia sunt *formata*, id est cum effectu gratiæ; alia *informia*, scilicet sine collatione gratiæ, quæ est Sacramenti forma. An autem detur Sacramentum Pœnitentiæ validum et informe, id est sine gratia? Alii negant; sed communiter et verius alii affirmant. Casus esset nimirum si quis acciperet absolutionem ab aliquo mortali peccato cum attritione concepta tantum ex turpitudine supernaturali illius peccati, et cum oblivione inculpabili alterius peccati mortalis. (*Qui vult videre hanc quæstionem cum omnibus suis rationibus enucleatam, observet Tr.* 16. *n.* 18.).

5. Quæritur 1. Quæ requirantur ad essentiam Sacramenti? Tria requiruntur, materia, forma et intentio. *Materia* est res corporea et sensibilis, quæ suscipienti applicatur, v. g. aqua, chrisma, oleum sanctum, etc. Et hæc est materia *remota*, nam *proxima* est ipsa applicatio materiæ, ut ablutio, unctio, etc.

6. *Forma* sunt verba prolata a ministro. Ut autem Sacramentum valeat, requiritur connexio, sive simultas materiæ et formæ, scilicet ut materia applicetur antequam prolatio formæ terminetur, vel postquam prolatio formæ sit inchoata. Sententia autem quod sufficiat applicare materiam immediate ante vel post prolationem formæ, est tantum probabilis, non autem moraliter certa, uti requiritur, ubi agitur de valore Sacramenti, ex propos. 1. damn. ab Innoc. XI., ideoque non est practice probabilis. Excipiuntur tamen Sacramenta Pœnitentiæ et matrimonii, quæ valent etiamsi interponatur aliqua mora inter materiam et formam (8).

7. Si mutetur substantialiter materia, nempe applicetur vinum pro aqua, vel mutetur forma, nempe si verba non habeant eumdem sensum, puta dicendo, *Te aspergo*, pro *Te*

(1) Lib. 6. n. 4. — (2) N. 90. ad 94. — (3) N. 192. — (4) In 3. p. q. 72. a. 1. ad et a. 8. ad 4. — (5) L. 6. n. 184. — (6) N. 133. v. quæritur.

(7) N. 6. et 83. — (8) N. 9. et ib. v. in pœnit.

baptizo, invalidum est Sacramentum. Secus si mutatio est accidentalis, scilicet si aqua sit calida, aut decocta, aut si dicas: *Ego te baptizo in nomine Patrias et filias etc.*, ut habetur ex c. *Retuleruat de Consecr. dist.* 4. Vel *in romine patris omnipotentis etc.* Sic tamen mutans non excusaretur a peccato gravi (1).

8. In casu necessitatis, vel magnæ utilitatis, bene possunt conferri sub conditione (saltem mente retenta) Sacramenta, non solum characterem imprimentia, ut est certum ex c. 2. *de Bapt.*, sed etiam alia, si non possit haberi materia nisi dubia: ita Suarez Castrop. Habert. Bon. Roncagl. Salm. et alii communiter, contra Juvenin. et Antoine (2). An autem minister possit uti materia, aut forma dubia, si ad id cogatur metu mortis? probabiliter potest, nisi cogatur in contemptum religionis; ita Sanchez Coninch. Si in materia propria misceatur extranea in majori, vel æquali parte, materia est inepta; secus si in minori; ita s. Thoma (3). Interruptio formæ si est modica, non officit valori Sacramenti. Secus si talis sit, ut verba non constituant unum sensum (4). Non licet autem formam repetere, nisi adsit probabile dubium, quod forma invalide fuerit prolata (5). Alii dicunt aliquas Sacramentorum materias et formas fuisse a Christo in genere determinatas et relictas Ecclesiæ, ut ipsa in particulari determinaret. Sed probabilius alii docent omnes fuisse a Christo determinatas in substantia. Unde si aliqua invenitur inter novam et priscam Ecclesiæ consuetudinem differentia circa materias et formas, mutatio illa censetur tantum accidentalis (6). (*Vide hanc quæstionem ad trutinam revocatam Tr.* 17. *n.* 15).

9. Demum ad essentiam Sacramenti requiritur *intentio* ministri, et quidem actualis, vel saltem virtualis. Intentio *actualis* est ea, quæ actu habetur; *virtualis* autem, quæ permanet in virtute actionis, quam minister exequitur ex intentione actuali prius habita; ad differentiam intentionis *habitualis*, quæ aliquando est habita, et non retractata (7). Hæc autem habitualis non sufficit in ministro, sed bene sufficit in suscipientibus Sacramenta; atque in necessitate, etiamsi ipsi sint dormientes, aut ebrii, aut ceciderint in amentiam postquam jam habuerint intentionem illa suscipiendi, ut communissime docent Lugo Castropal. Salm. et alii plures cum d. Thoma (8), et patet ex c. *Majores*, §. *Verum, de Baptis.*, et etiam ex *Instruct. de Bapt.* data a Benedicto XIV. incipiente *Postremo mense* (*in Bull. tom.* 2. *num.* 46. *Edit. Mechl. tom.* 5. *p.*6.). Imo quoad Extremam Unctionem et etiam Confirmationem satis est pro suscipientibus adhuc *interpretativa*, id est ea quam suscipiens non habet tunc, nec unquam habuit, sed haberet si rem adverteret (9).

10. Quæritur 2. quis sit minister Sacramentorum? Quoad Ordinem solus Episcopus est minister (10) et quoad confirmationem ipse est minister ordinarius, nam extraordinarii possunt esse etiam simplices sacerdotes (11). Aliorum autem Sacramentorum solus sacerdos est minister excepto matrimonio (12), et etiam Baptismo in necessitate; in ea enim possunt etiam laici, et adhuc hæretici baptizare (13).

11. Ad valide autem ministranda Sacramenta, non est opus, ut minister sit in gratia, nam peccatores etiam valide ministrant. Non vero hæretici nec excommunicati vitandi respectu ad Sacramentum Pœnitentiæ. Vide dicta *Tr.* 16. *n.* 92. Ad licite tamen

(1) L. 6. n. 11. — (2) N. 28. et 29. — (3) 3. p. q. 74. a. 3. ad 3. — (4) L. 6. n. 11. ad 3. — (5) N. 224. v. advertendum. — (6) N. 12.

(7) N. 15. — (8) In 4. dist. 6. q. 1. a. 2. et q 3. ad 2. — (9) L. 6. n. 81. et 82. — (10) N. 761. — (11) N. 170. — (12) N 897. — (13) N. 113.

ministrandum requiritur status gratiæ ; sed in extrema necessitate si minister non posset tam cito confiteri, probabiliter a culpa excusatur si ministrat ; ita Sot. Suar. Tolet. Cajet. Armil. Valent. Anacl. (1). Nunquam autem excusatur parochus, aut œconomus : hi enim debent esse semper parati ad ministrandum. Celebrans autem in mortali quatuor mortalia committit, 1. quia indigne consecrat. 2. quia indigne sumit, 3. quia indigne ministrat, et 4. quia ministrat indigno, qui est ipse idem (2).

12. Quæritur, an peccet graviter qui existens in mortali ministrat Sacramentum in necessitate, si ad illud non est ordinatus, ut laicus matrimonium contrahens, aut baptizans ; vel si est ordinatus, sed ministrat non solemniter ? Alii probabiliter negant, ut Conc. Tourn. Nat. Alex. et alii ex d. Thoma (3) ; sed probabilius affirmant Contin. Tour. La-Croix Antoine Lug. Pont. Vasq. Nav. etc., quia semper Sancta sancte tractanda sunt (4). Minister autem solemniter ministraturus Sacramenta, si est in mortali, sufficit, ut eliciat certum actum contritionis (5) ; celebraturus vero Missam, debet confessionem præmittere ; excepto casu quo, ex necessitate ex una parte deberet celebrare, et ex alia non adesset copia confessarii, sed tunc post celebrationem debet quamprimum confiteri, ut præcipit Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. *de Euch.* (6). Vide dicta *de Euch. Tr.* 15. *ex n.* 22.

13. Confessarius tantum audiens confessionem in mortali, probabilius est cum Lugo Spor. Salmant. Elbel. Croix et aliis, quod non peccet graviter, quia non conficit Sacramentum. Si vero absolvit plures pœnitentes, etiam successive, in statu peccati mortalis, plura mortalia committit, quia plura Sacramenta distincta ministrat (7). Sacerdos item, aut diaconus ministrans Eucharistiam in mortali, mortaliter peccat, quia proxime concurrit ad sanctificationem communicantium ; ita tenendum cum pluribus, contra alios (8). Celebrans autem in mortali, si pluribus Eucharistiam ministrat, probabilius unum mortale committit, quia ministratio illa, et Communio est unica actio moralis, unicumque convivium (9).

14. Diaconi et subdiaconi, si ministrant in altari existentes in mortali, juxta plures probabiliter peccant graviter ; sed juxta communiorem sententiam, et satis probabilem id negatur ; quia non conficiunt, nec ministrant Sacramentum, nec exercent functiones proxime ordinatas ad sanctificationem animæ (10). Concionator item qui prædicat in mortali, non peccat graviter, ut communius et probabilius docent Gonet Lugo Castrop. Bon. Vasq. Salm. Croix et alii (contra Merbes. Juvenin. etc) ; non enim exercet ordinem, sed officium annexum Ordini, quod per se non causat gratiam ut causant Sacramenta (11).

15. Peccat graviter minister, si dat Sacramentum indigno petenti occulte secus autem si ille sit peccator occultus et publice petat (12). Notandum vero, quod Episcopus etiam ob occulta peccata potest denegare alicui collationem Ordinis, licet publice ille petat, ex Trid. *sess.* 14. c. 1. *de Reform.* ubi dicitur teneri clericum obedire Prælato vetanti susceptionem Ordinis propter occultum crimen. Nec tenetur tunc Episcopus causam manifestare, cur repellat Ordinandum, ut pluries declaravit S. C. Concilii (13). An autem confessarius possit absolvere Ordinandum recidivum in culpis gravibus, qui vult sacrum suscipere Ordinem sine præ-

(1) Vide l. 6. n. 33. et Cabrin. Luc. Moral. p. 2. tr. 41. n. 56. — (2) N. 35. v. hinc. — (3) 3. p. q. 64. a. 6. ad 3. — (4) L. 6. n. 32. — (5) N. 34. — (6) N. 255.

(7) L. 5. n. 50. quær. 6. — (8) L. 6. n. 35. — (9) Ibid. — (10) N. 37. et 38. — (11) N. 40. v. quæritur autem. — (12) N. 43. ad 51. — (13) N. 52.

via probatione, vide dicta *Tract.* 7. *ex n.* 48. *et Tr. ult. n.* 16. *et* 17.

16. Non licet ministro etiam ob metum mortis simulare administrationem Sacramenti, ex prop. 29. proscripta ab Innoc. XI. Tunc autem censetur minister simulare administrationem, cum profert formam sine intentione, aut aliquid aliud pronuntiat, ad hoc, ut alii credant ipsum jam conferre Sacramentum ; unde alias licite potest confessarius aliquam recitare orationem super pœnitente indisposito, non jam, ut alii credant, absolutionem illi ministrari, sed tantum ad occultandam absolutionis negationem : tunc enim non simulat Sacramenti administrationem, sed tantum veritatem occultat (1). Præterea ait Card. bene posse confessarium, cum pœnitens minatur ei mortem si non absolvat, dicere. *Ego te non absolvo*, submisse pronuntiando verbum *non*, quia hæc non est restrictio pure mentalis (ut objicit Viva), dum confessarius non tenetur efficere, ut pœnitens audiat verba absolutionis ; et ideo non habet ille jus, ut confessarius omnia verba formæ intelligibiliter proferat (2).

17. Sicut autem non licet ministro simulare Sacramenti administrationem, ita nec etiam alii Sacramenti susceptionem, ut dicunt Card. Croix et Gormaz. Hoc tamen non prohibet, quominus liceat alicui accedere ad confessionarium, ibique genuflectere ad aliquod negotium agendum. Præterea aiunt communiter Sanch. Conc. Castrop. Carden. Viva Croix, aliique plures, contra Milante, quod si aliquis sponsorum cogitur contrahere per injustum metum, vel habens impedimentum dirimens, ad evitandum scandalum, tunc poterit ille (saltem sine gravi culpa) simulare celebrationem matrimonii ; tunc enim, deficiente consensu, deficit contractus, et deficiente contractu, nec etiam existit Sacramentum (3).

(1) L. 6. n. 59. — (2) Ib. v. e. conversio. — (3) N. 60

18. Minister invalide ministrat Sacramentum, si non intendat facere per actum externum quod facit Ecclesia ritumque sacramentalem adhibere quem intendit Ecclesia, a Christo instituta ; et hoc etiamsi minister, non joco (ut adhuc insipienter admittebat Lutherus), sed serio ministret, ut probavimus *Tr.* 14. n. 2. et vide in Morali (4). Si vero id jam intendat, valide ministrat, etiamsi non habeat intentionem explicitam conferendi Sacramentum. Dico *non habeat intentionem explicitam* ; nam si positive haberet intentionem non conferendi Sacramentum, tunc neque conferret, quia tunc revera nullam haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia (5). Sacerdos autem conficiens Sacramentalia, puta aquam benedictam, in mortali, non peccat graviter (6).

19. Quæritur 3. quid requiritur, ut quis valide et licite Sacramenta suscipiat ? Ut valide suscipiat requiritur 1. Ut sit baptizatus, nam alias non est capax aliorum Sacramentorum. 2. Excepto Sacramento Baptismi pro quo nulla requiritur intentio in pueris, et perpetuo amentibus, cum in eis suppleat intentio Ecclesiæ ; in aliis vero Sacramentis opus est ut suscipiens saltem habuerit prius intentionem (quæ dicitur habitualis) suscipiendi Sacramentum, et eam non revocaverit, ut supra diximus *n.* 9. Hinc si quis ordinetur per vim, invalide ordinaretur ; secus si per metum, quia metus non tollit voluntarium. Probabilissimum est, quod Sacramenta in periculo mortis licite conferri possunt tam ebriis, quam lapsis in amentiam, si prius intentionem habuerint illa suscipiendi ; ita Lugo Castropal. Salm. Croix Cardin. Lambertinus, etc. ex d. Tr. et *cap. Majores*, § *Verum de Bapt.* (7). Sufficit etiam tempore mortis intentio interpretativa in suscipiente sensibus destituto quoad Sacramenta Ex-

(4) N. 20. ad 24. — (5) Ib. n. 22. — (6) N. 40. — (7) N. 81. v. utrum.

tremæ-Unctionis, ut habetur ex Rituali, et etiam Confirmationis et Eucharistiæ, ut aiunt Lugo Coninc. Sporer Croix etc., non vero quoad Baptismum et Ordinem, et tanto minus quoad Pœnitentiam, et matrimonium, in quibus omnino requiritur intentio actualis, aut saltem virtualis (1). Ut licite autem quis suscipiat Sacramenta, requiritur conveniens dispositio, nempe status gratiæ, unde si quis est in mortali, debet saltem esse contritus cum proposito confitendi. Imo ad recipiendam Eucharistiam requiritur prævia confessio; nisi necessitas urgeat, et non adsit copia confessarii, quo casu debet sacerdos qui celebravit (ut diximus *n.* 12.) quamprimum confiteri, ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. *de Euch.* Necessitas autem erit 1. ob dandum Viaticum. 2. Ob vitandam infamiam aut scandalum. 3. Si ille est parochus et occurrat festum de præcepto. 4. Si celebrans post consecrationem recordetur mortalis culpæ (2). Insuper advertendum quod suscipiens Sacramentum Pœnitentiæ sine dispositione, non solum illicite, sed etiam invalide suscipit, dum contritio pœnitentis est etiam materia hujus Sacramenti. Respectu vero ad alia Sacramenta, si quis indispositus ea suscipit, valide suscipit; ita ut recedente fictione, sive obice peccati, illa reviviscunt; id est gratiam causant ut docent plures ex d. Thoma (3).

20. Quæritur IV. an liceat petere Sacramenta a ministro peccatore, vel excommunicato? Non licet a peccatore (quamvis sit parochus, quidquid aliqui dicant), nisi adsit justa causa; sufficit autem gravis utilitas (4), ut communissime docent Suar. Sanch. Scot. Pal. Tol. Anacl. Holzm. Salm., etc. Hinc dicunt licite peti, 1. si urgeat præceptum confessionis, aut Communionis, aut Missæ, aut si occurrat indulgentia lucranda. 2 Si alias carere debeas jubilæo. 3. Si maneres alias in mortali, etiam per horam, ut dicunt Suar. et Escob. 4. Si diu carere debeas fructu Communionis, aut confessionis, etc. Absolute vero sine alia causa licet recipere Sacramentum ab excommunicato, si sit toleratus quia absolute concessum est a Concilio Constantiensi fidelibus posse communicare cum toleratis (5). A vitando autem nec etiam in morte licet suscipere Pœnitentiam, quia (ut diximus *n.* 11.) vitandus etiam in extrema necessitate invalide eam ministrat.

21. Quæritur V. an possit dari pecunia pro administratione Sacramenti, si minister nolit dare gratis? Videtur negare s. Thomas (6), dum tradit quod adultus neque in articulo mortis potest aliquid ministrare pro obtinendo Baptismo, dicens tunc ei sufficere ad salutem Baptismum flaminis. Sed quæcumque sit intelligentia hujus doctrinæ angelici doctoris, communiter Bon. Salm. et Ronc. (7) cum Suar. Less. Sanch. Laym. Castr. et aliis affirmant posse dari pecuniam in extrema, et etiam in gravi necessitate Sacramenti. Ratio, quia ex una parte traditio pecuniæ non est intrinsece mala, ipsa enim est cooperatio materialis, non formalis, cum non cooperetur pravæ voluntati ministri, juxta dicta *Tr.* 4. *n.* 31. *et* 32. ex alia ipse suscipiens non committit simoniam, cum non tradat pecuniam ad emendum Sacramentum, sed tantum ad redimendam vexationem ministri Sacramentum injuste denegantis; et ideo dat temporale pro remere temporali: tantoque magis id currit, si suscipiens est fidelis, quia tunc habet jus ad Sacramentum, dum idem d. Thomas (8) docet, post jus quæsitum licere cuivis dare pecuniam ad tollendum injustum impedimentum. Idque admittunt Suarez

(4) L. 6. n. 82. — (2) N. 255. — (3) N. 87. — (4) N 89.

(5) N. 88. — (6) 2. q. 100. a. 2. ad 4. — (7) Bon. de Sim. d. 4. q. 4. §. 4. n. 2. Salm. tr. 19. cod. tit. c. 2. n. 12. Ronc. cod. tit. p. 211. in Præc. n. 3. — (8) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.

Filliuc, et Croix, non solum pro obtinendo Baptismo et Pœnitentia, sed etiam Viatico; et Bonacina extendit etiam ad Extremam-Unctionem.

22. De *effectu* Sacramentorum. Duplex est Sacramentorum effectus, collatio gratiæ, et impressio characteris. Primus ergo effectus est gratia: duplex autem gratia confertur in Sacramentis, gratia *sanctificans*, nempe quæ reddit hominem amicum Dei; et gratia *sacramentalis*, quæ est propria et peculiaris uniuscujusque Sacramenti, ad causandum effectum proprium Sacramenti illius, nempe Baptismi, ad abluendum a culpis; Confirmationis, ad roborandum in Fide; Eucharistiæ, ad reficiendam animam; Pœnitentiæ, ad delenda peccata; Extremæ-Unctionis, ad vim conferendam adversus dæmonum tentationes, in extremo agone: Ordinis ad conferenda auxilia, ut ordinatus recte sua munia exerceat; et matrimonii, ut conjuges illius onera et obligationes bene sustineant et adimpleant.

23. Sacramenta in suscipiente disposito causant gratiam *ex opere operato*, id est ex se, non *ex opere operantis*, scilicet ex merito suscipientis. An autem causent physice, ita ut materia Sacramenti, nempe aqua, oleum, etc. licet sit causa tantum naturalis, elevetur tamen a Deo ad causandam gratiam, uti docet divus Thomas? Vel tantum moraliter, ita ut, posito Sacramento, Deus per se conferat gratiam, ut vult Scotus? Utraque sententia est probabilis (1). Sacramenta autem mortuorum, ut Baptismus et Pœnitentia, per se habent causare primam gratiam. Alia vero Sacramenta, quæ sunt vivorum, tantum augmentum gratiæ causant; sed aliquando in attritis, qui reputant se contritos, causant etiam primam gratiam, ut docet d. Thomas de Eucharistia et de Extrema-Unctione, et sequuntur Gonet Concina Ronc. Suar. Bon. Salm. etc. (2).

(1) Lib 6. n. 7. — (2). N. 6.

24. Alter effectus Sacramentorum est character. Character autem est *quoddam signaculum spirituale indelebile, impressum in anima suscipientis Sacramentum*. Illud imprimitur tantum in Baptismo, Confirmatione, et Ordine; et significat potestatem, sive dignitatem ex hujusmodi Sacramentis susceptam: in Baptismo enim est signum *ovium* Christi, quo fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda; in Confirmatione est signum *militum* Christi, quo vim accipiunt ad Fidem constanter profitendam; in Ordine est signum *ministrorum* Christi, quo potestatem acquirunt ad Sacramenta fidelibus ministranda. Imprimitur autem character etiam in Sacramento illicite suscepto, nec amittitur per peccatum. Notandum insuper, quod ex Baptismo et Confirmatione oritur alius effectus, nempe impedimentum cognationis spiritualis, quæ dirimit matrimonium inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. Item inter susceptorem (sive patrinum) et susceptum, susceptique patrem et matrem.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN GENERE.

25. *Quid sit Ordo.*
26. *Quid ordinatio.*
27. *Quot sint Ordines et an episcopatus sit Ordo distinctus.*
28. *An singuli Ordines sint Sacramenta.*
29. *Quænam materia, et forma Ordinis; et de tactu physico, et simultaneo*
30. *Quis minister.*
31. *Effectus.*
32. *Requisita, ut quis valide ordinetur.*
33. *Ut autem licite requiritur, I. Confirmatio. II. Ut non sit infamis, etc. An protestatio Episcopi, etc. III. Animus clericandi IV. Ut ab Episcopo proprio, etc.*
34. *Quis sit Episcopus proprius. Regulares a quo, etc. remissive.*
35. *et* 36 *V. Scientia.*
37. *et* 38. *VI. Titulus; et quotuplex sit titulus.*
39. *De patrimonio ficto*
40. *VII. Ut Ordo inferior suscipiatur*

tremæ-Unctionis, ut habetur ex Rituali, et etiam Confirmationis et Eucharistiæ, ut aiunt Lugo Coninc. Sporer Croix etc., non vero quoad Baptismum et Ordinem, et tanto minus quoad Pœnitentiam, et matrimonium, in quibus omnino requiritur intentio actualis, aut saltem virtualis (1). Ut licite autem quis suscipiat Sacramenta, requiritur conveniens dispositio, nempe status gratiæ, unde si quis est in mortali, debet saltem esse contritus cum proposito confitendi. Imo ad recipiendam Eucharistiam requiritur prævia confessio; nisi necessitas urgeat, et non adsit copia confessarii, quo casu debet sacerdos qui celebravit (ut diximus *n.* 12.) quamprimum confiteri, ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. *de Euch.* Necessitas autem erit 1. ob dandum Viaticum. 2. Ob vitandam infamiam aut scandalum. 3. Si ille est parochus et occurrat festum de præcepto. 4. Si celebrans post consecrationem recordetur mortalis culpæ (2). Insuper advertendum quod suscipiens Sacramentum Pœnitentiæ sine dispositione, non solum illicite, sed etiam invalide suscipit, dum contritio pœnitentis est etiam materia hujus Sacramenti. Respectu vero ad alia Sacramenta, si quis indispositus ea suscipit, valide suscipit; ita ut recedente fictione, sive obice peccati, illa reviviscunt; id est gratiam causant ut docent plures ex d. Thoma (3).

20. Quæritur IV. an liceat petere Sacramenta a ministro peccatore, vel excommunicato? Non licet a peccatore (quamvis sit parochus, quidquid aliqui dicant), nisi adsit justa causa; sufficit autem gravis utilitas (4), ut communissime docent Suar. Sanch. Scot. Pal. Tol. Anacl. Holzm. Salm., etc. Hinc dicunt licite peti, 1. si urgeat præceptum confessionis, aut Communionis, aut Missæ, aut si occurrat indulgentia lucranda. 2 Si alias carere debeas jubilæo. 3. Si maneres alias in mortali, etiam per horam, ut dicunt Suar. et Escob. 4. Si diu carere debeas fructu Communionis, aut confessionis, etc. Absolute vero sine alia causa licet recipere Sacramentum ab excommunicato, si sit toleratus quia absolute concessum est a Concilio Constantiensi fidelibus posse communicare cum toleratis (5). A vitando autem nec etiam in morte licet suscipere Pœnitentiam, quia (ut diximus *n.* 11.) vitandus etiam in extrema necessitate invalide eam ministrat.

21. Quæritur V. an possit dari pecunia pro administratione Sacramenti, si minister nolit dare gratis? Videtur negare s. Thomas (6), dum tradit quod adultus neque in articulo mortis potest aliquid ministrare pro obtinendo Baptismo, dicens tunc ei sufficere ad salutem Baptismum flaminis. Sed quæcumque sit intelligentia hujus doctrinæ angelici doctoris, communiter Bon. Salm. et Ronc. (7) cum Suar. Less. Sanch. Laym. Castr. et aliis affirmant posse dari pecuniam in extrema, et etiam in gravi necessitate Sacramenti. Ratio, quia ex una parte traditio pecuniæ non est intrinsece mala, ipsa enim est cooperatio materialis, non formalis, cum non cooperetur pravæ voluntati ministri, juxta dicta *Tr.* 4. *n.* 31. *et* 32. ex alia ipse suscipiens non committit simoniam, cum non tradat pecuniam ad emendum Sacramentum, sed tantum ad redimendam vexationem ministri Sacramentum injuste denegantis; et ideo dat temporale pro remere temporali: tantoque magis id currit, si suscipiens est fidelis, quia tunc habet jus ad Sacramentum, dum idem d. Thomas (8) docet, post jus quæsitum licere cuivis dare pecuniam ad tollendum injustum impedimentum. Idque admittunt Suarez

(4) L. 6. n. 82. — (2) N. 255. — (3) N. 87. — (4) N 89.

(5) N. 88. — (6) 2. q. 100. a. 2. ad 4. — (7) Bon. de Sim. d. 4. q. 4. §. 4. n. 2. Salm. tr. 19. cod. tit. c. 2. n. 12. Ronc. cod. tit. p. 211. in Præc. n. 3. — (8) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.

Filliuc, et Croix, non solum pro obtinendo Baptismo et Pœnitentia, sed etiam Viatico; et Bonacina extendit etiam ad Extremam-Unctionem.

22. De *effectu* Sacramentorum. Duplex est Sacramentorum effectus, collatio gratiæ, et impressio characteris. Primus ergo effectus est gratia: duplex autem gratia confertur in Sacramentis, gratia *sanctificans*, nempe quæ reddit hominem amicum Dei; et gratia *sacramentalis*, quæ est propria et peculiaris uniuscujusque Sacramenti, ad causandum effectum proprium Sacramenti illius, nempe Baptismi, ad abluendum a culpis; Confirmationis, ad roborandum in Fide; Eucharistiæ, ad reficiendam animam; Pœnitentiæ, ad delenda peccata; Extremæ-Unctionis, ad vim conferendam adversus dæmonum tentationes, in extremo agone: Ordinis ad conferenda auxilia, ut ordinatus recte sua munia exerceat; et matrimonii, ut conjuges illius onera et obligationes bene sustineant et adimpleant.

23. Sacramenta in suscipiente disposito causant gratiam *ex opere operato*, id est ex se, non *ex opere operantis*, scilicet ex merito suscipientis. An autem causent physice, ita ut materia Sacramenti, nempe aqua, oleum, etc. licet sit causa tantum naturalis, elevetur tamen a Deo ad causandam gratiam, uti docet divus Thomas? Vel tantum moraliter, ita ut, posito Sacramento, Deus per se conferat gratiam, ut vult Scotus? Utraque sententia est probabilis (1). Sacramenta autem mortuorum, ut Baptismus et Pœnitentia, per se habent causare primam gratiam. Alia vero Sacramenta, quæ sunt vivorum, tantum augmentum gratiæ causant; sed aliquando in attritis, qui reputant se contritos, causant etiam primam gratiam, ut docet d. Thomas de Eucharistia et de Extrema-Unctione, et sequuntur Gonet Concina Ronc. Suar. Bon. Salm. etc. (2).

(1) Lib 6. n. 7. — (2). N. 6.

24. Alter effectus Sacramentorum est character. Character autem est *quoddam signaculum spirituale indelebile, impressum in anima suscipientis Sacramentum*. Illud imprimitur tantum in Baptismo, Confirmatione, et Ordine; et significat potestatem, sive dignitatem ex hujusmodi Sacramentis susceptam: in Baptismo enim est signum *ovium* Christi, quo fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda; in Confirmatione est signum *militum* Christi, quo vim accipiunt ad Fidem constanter profitendam; in Ordine est signum *ministrorum* Christi, quo potestatem acquirunt ad Sacramenta fidelibus ministranda. Imprimitur autem character etiam in Sacramento illicite suscepto, nec amittitur per peccatum. Notandum insuper, quod ex Baptismo et Confirmatione oritur alius effectus, nempe impedimentum cognationis spiritualis, quæ dirimit matrimonium inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. Item inter susceptorem (sive patrinum) et susceptum, susceptique patrem et matrem.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN GENERE.

25. *Quid sit Ordo.*
26. *Quid ordinatio.*
27. *Quot sint Ordines et an episcopatus sit Ordo distinctus.*
28. *An singuli Ordines sint Sacramenta.*
29. *Quænam materia, et forma Ordinis; et de tactu physico, et simultaneo*
30. *Quis minister.*
31. *Effectus.*
32. *Requisita, ut quis valide ordinetur.*
33. *Ut autem licite requiritur, I. Confirmatio. II. Ut non sit infamis, etc. An protestatio Episcopi, etc. III. Animus clericandi IV. Ut ab Episcopo proprio, etc.*
34. *Quis sit Episcopus proprius. Regulares a quo, etc. remissive.*
35. *et* 36 *V. Scientia.*
37. *et* 38. *VI. Titulus; et quotuplex sit titulus.*
39. *De patrimonio ficto*
40. *VII. Ut Ordo inferior suscipiatur*

...nte superiorem. *VIII. Tempus de-*
...itum.
41. et 42. *IX. Interstitia.*
43. et 44. *X. Locus XI. Ætas.*
45. *XII. Exercitium Ordinis suscepti.*
XIII. Vocatio divina.
46. *Qui incurrant suspensionem, etc.*

1. Ordo est, juxta d. Thomam, *sacramentum Ecclesiæ, quo traditur spiritualis potestas.* Est de fide Ordinem esse Sacramentum, ut patet ex Trid. *sess.* 23. *can.* 3. Nam in Ordine jam reperiuntur tria requisita ad Sacramentum, nempe signum externum, quod est impositio manuum: institutio Christi, prout habetur ex Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem:* et promissio gratiæ, ut habetur ex apost. 2. *Tim.* 1. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

26. Differt autem Ordo ab ordinatione. *Ordo* est ipsa potestas tradita: *ordinatio* vero est actio, qua Episcopus potestatem tradit. Unde presbyteratus est Sacramentum in fieri, scilicet in actu ordinationis, non autem in facto esse, scilicet cum quis jam ordinatus est.

27. Septem sunt Ordines, aut minores, alii majores. Minores sunt quatuor, nempe *ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, et acolythatus.* Majores sunt tres, nempe *subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus.* Præter hos probabiliter plures dd. addunt Ordinem episcopatus, et ita quidem valde probabiliter et communius tenent Bellarm. Sanch. Habert Tourn. etc.; cum ipse rationabiliter distinguatur a presbyteratu propter distinctam potestatem, quæ traditur Episcopo conferendi aliis potestatem consecrandi corpus Christi, et absolvendi fideles a peccatis (1).

28. Quæritur 1. an singuli Ordines sint Sacramenta? Quod sacerdotium sit Sacramentum, est de Fide. Quod etiam diaconatus Sacramentum sit, est certum, sed non de Fide. Quod alii autem Ordines sint adhuc Sacramenta, satis probabile est ex d. Thoma, cum unicuique Ordini assignata videtur materia et forma. Omnes autem septem Ordines (juxta hanc sententiam) unum tantum Sacramentum constituunt ex unitate finis, cum singuli sint ordinati ad unum Missæ Sacrificium conficiendum; et omnes supponuntur instituti a Christo illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* In ordine enim sacerdotii alii vel continentur eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter respectu ad episcopatum. Verumtamen probabilius est alios ordines (præter presbyteratum et diaconatum, ut diximus) non esse Sacramenta; quia deest in illis materia, nempe impositio manuum, quam (ut mox dicemus) probabilius est esse unicam materiam Ordinis, deestque etiam forma, quæ exprimat productionem gratiæ, dum in collatione præfatorum Ordinum non fit mentio gratiæ, sed tantum potestatis quæ traditur (2). De hac quæstione fusius dictum est Tr. 17. *n.* 14.

29. Quæritur 2. Quænam est materia et forma Ordinis? Tres sunt sententiæ: 1. tenet materiam Ordinis esse solam traditionem instrumentorum; sed hæc non est satis probabilis. 2. Tenet materiam proximam esse duplicem integralem, scilicet traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super Corpus reale Jesu Christi ad sacrificandum, cum forma: *Accipe potestatem, etc.*, et impositionem manuum, qua traditur potestas super corpus mysticum ad peccata absolvenda, cum forma: *Accipe Spiritum sanctum, etc.* Materia autem remota (juxta hanc sententiam) sunt manus Episcopi, et instrumenta quæ ad tangendum ab eo traduntur. 3. Probabilior tenet materiam unice esse impositionem manuum formamque esse orationem quam profert Episcopus (Quomodo hoc probatur, vide quæ dicta sunt *in cit. Tr.* 17.

(1) Vide l. 6. n. 738.

(2) N. 736. et 737.

n. 16.). Attamen quia secunda sententia est etiam probabilis, nempe duplicem esse materiam Ordinis, scilicet impositionem manuum et traditionem instrumentorum, ipsa omnino in praxi sequenda est. Unde necessario requiritur in ordinatione tactus instrumentorum, et tactus quidem physicus, cum probabile etiam sit moralem non sufficere; sufficit vero tangere cum sola manu, vel digito (1). Non oportet autem (diximus *n.* 6.) ut contactus fiat a principio prolationis formæ usque ad finem; sed sufficit si fiat antequam forma terminetur, vel postquam illa sit incœpta. Forma autem sunt verba quæ profert Episcopus ordinans, cum manus imponit, et instrumenta tradit, ut supra dictum est. Sedulo hic rursus notandum 1. quod in ordine sacro conferendo materia tradenda est ab eodem Episcopo, qui formam profert; secus in collatione Ordinum minorum; ita d. Thom. (2) et alii. Notandum 2. quod si conferantur Ordines ab uno Episcopo, alio tamen celebrante, ordinatio erit valida, sed illicita, ut declaravit Innoc. XIII. apud Benedict. XIV. (3).

30. Quæritur 3. Quis sit minister Ordinis? Minister ordinarius hujus Sacramenti est tantum Episcopus. Potest vero Pontifex simplici sacerdoti potestatem impertiri conferendi Ordines minores, prout eam habent Abbates mitrati, sed habent pro suis subditis tantum regularibus professis, vel novitiis, non autem pro sæcularibus, ut hodie certum est ex Decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII. Qui jussit illud *inviolabiliter observari, reprobata omni contraria opinione* (4); vide dicta *in Tr.* 20. *de Privil. n.* 117. Sæculares autem ab Abbatibus ordinati, si sint eis subditi, vel habeant dimissoriales litteras a propriis Ordinariis ab ipsos, illicite quidem ordinantur, et suspensionem incurrunt; sed valide ordinantur, ut declaravit S. C. Vide dicta *eod. Tr.* 20. *n.* 120.

31. Quæritur 4. quinam sint effectus Ordinis? Sunt tres, 1. collatio gratiæ *sanctificantis,* scilicet quæ confertur in omni Sacramento, ut diximus *n.* 22., et gratiæ *sacramentalis,* nempe specialis auxilii ad Ordinem bene exercendum. 2. Collatio potestatis exercendi functiones Ordinis, qui suscipitur. 3. Impressio characteris indelebilis, ob quod nullius Ordinis collatio iterari potest. 4.

32. Quæritur 5. quæ requirantur, ut quis valide et licite ordinetur? Ut valide ordinetur, requiritur, 1. ut sit viator. 2. Ut sit mas; fœminæ enim non sunt capaces Sacramenti Ordinis 3. Ut sit baptizatus. 4. Ut habeat intentionem saltem habitualem (juxta *n.* 9.) suscipiendi Ordinem.

33. Ut autem licite ordinetur, requiritur, 1. ut sit *confirmatus*: sed hoc non sub præcepto gravi, ut vult communis sententia (5). Quoad obligationem vero cujusque fidelis suscipiendi Confirmationem, vide dicta *Tract.* 14. *n.* 47. *in fin.* 2. Non sit neophytus, aut infamis, aut irregularis. Dubitatur hic, an aliquis irregularitate irretitus valide ordinetur, si Episcopus protestationem præmittat (ut consuetum est) nolle ordinare irregulares, excommunicatos, etc? Respondeo, in dubio (quicquid alii dicant) omnino dicendum, quod ordinatio repetenda est; nisi constet Episcopum verba illa protulisse tantum ad terrorem, ac suam intentionem protestationi minime alligasse (6). 3. Requiritur *animus clericandi,* ut præscribitur in Trid. *sess.* 23. *cap* 4., scilicet ascendendi ad Ordines superiores. Hoc tamen intelligendum præcedere, cum quis acceptat beneficium ad quod requiritur sacerdotium, vel alius Ordo sacer (7). 4. Requiritur, ut *quisque ordinetur a proprio Episcopo,* vel ab alio, sed cum litteris

(1) Lib. 6. n. 739. — (2) suppl. q. 38. a. 1. ad 2. — (3) de Syn. l. 8 c. 14. n. 6. et 7. — (4) Lib. 6. n. 761. 763. et 764.

(5) N. 786. — (6) N. 784. v. quær. hic.

(7) N. 785.

missorialibus Episcopi proprii, si hic est impeditus ex infirmitate, aut alia justa causa. Capitulum vero Sede vacante hodie (quicquid fuerit antiquitus) nequit dare alicui dimissorias, nisi ille sit arctatus ad Ordinem suscipiendum ob aliquod beneficium requireus obsequium personale (1).

34. Proprius autem Episcopus dicitur vel ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis. Et 1. debent Ordines suscipi ab Episcopo *originis*, si ordinandus in ejus diœcesi natus est, et parentes tempore nativitatis ibidem domicilium habuerint; nam si casu alicubi natus esset, et parentes alibi domicilium habuerint, tunc dicitur *oriundus*, et ordinari debet ab Episcopo loci, ubi parentes domicilium habent. 2. Ratione *domicilii* bene ordinatur, qui in aliquo loco habitationem suam constituit, cum animo ibi perpetuo manendi. Hic autem animus probatur vel per habitationem decennii, vel per ædificationem domus cum asportatione majoris partis bonorum, degendo ibi simul per aliquod notabile tempus, ut habetur in Bulla *Speculatores* (2). 3. Ratione *beneficii*, licet aliquis alibi natus fuerit, et domicilium habeat, bene potest ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi beneficium sufficiens ac congruam sustentationem possidet, obtentis tamen litteris testimonialibus ab Episcopo domicilii; a quo tamen potest examinari, si illuc reversurus est, ex Bulla *Apostolici min.* Sed hic advertendum, quod ut quis possit ordinari ab Episcopo beneficii, debet esse saltem tonsuratus, alias non est capax beneficii; et ideo neque habilis ad Ordines ab illo Episcopo suscipiendos. 4. Denique ratione *familiaritatis*, si quis per triennum in familia, vel servitio assiduo alicujus Episcopi permanserit, vivendo ejusdem Episcopi expensis, etiamsi non habitet in illius ædibus, potest ab illo ordinari: modo degat in loco ubi est Episcopus, vel prope; et modo Episcopus statim ei conferat verum beneficium: non enim sufficit, si assignet pensionem, aut patrimonium (3).

Regulares autem ordinandi sunt ab Episcopo loci ubi morantur de familia, si Episcopus ordinationem habeat temporibus statutis; alias a quocumque Episcopo ordinari possunt. Vide circa hoc dicta *Tr.* 20. *n.* 113.

35. V. Requiritur *scientia* Ordini suscipiendo conveniens. Concilium Trid. enim pro iniliandis ad primam tonsuram tantum requirit ut ipsi *edocti sint rudimenta Fidei, et sciant legere et scribere, sess.* 23. *cap.* 4. Pro iniliandis ad Ordines minores, *ut linguam latinam intelligant, loc. cit. c.* 11. Pro initiandis ad subdiaconatum et diaconatum, *ut sint litteris, et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, cap.* 13. Demum pro iniliandis ad sacerdotium, *ut ipsi ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, acad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; idem Trid. cap.* 14. Notent ordinandi et ordinantes verba illa, *ad ministranda Sacramenta*; ideo enim dicunt dd. quod initiandi ad sacerdotium scire debent non solum quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, etc., sed etiam ad Pœnitentiam: nam licet presbyterandus non indigeat tanta scientia, qua indiget confessarius approbatus, debet tamen saltem scire universalia principia moralia, quibus solvere possit dubia communiter occurrentia in casu necessitatis, quo teneatur moribundi confessionem excipere; et specialiter omnino scire tenetur, quomodo se gerere debeat cum fidelibus morti proximis, nempe 1. Quando possunt eos absolvere, etiam in præsentia confessarii approbati? 2. Quando absolute, et quando conditionate? 3. An non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, et in quali peri-

(1) N. 788. — (2) Lib. 6. n. 770. v. ille.

(3) Ibid. v. 6. ut.

culo? 4. Quid debeat imponere infirmo, si habeat casus vel censuras reservatas? Vide quæ infra breviter super hac obligatione dicentur *n.* 130. Cæterum bene potest Episcopus a suis majorem scientiam, quam requirit Concilium, requirere (1).

36 Verum in Regularibus addictis ad vitam contemplativam, vel tantum ad chorum et altare, vel sacristiam, minor scientia requiritur, modo sciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium; et ideo saltem in Grammatica debent esse edocti, alias erunt irregulares, etiam de jure divino, ita ut nec Papa posset cum eis dispensare. Hæc tamen irregularitas, sublata causa ignorantiæ, absque dispensatione de se aufertur (2).

37. 6. Requiritur *titulus sustentationis*, aliter Episcopus Ordinem, vel dimissorias tribuens, tenetur ipse ordinatum alere, usquedum ille titulum habeat; ita ex *cap. Cum secundum, de Præb.* et *cap. Recipimus, de ætate et qualit. etc.* Id tamen intelligendum, nisi Episcopus inculpabiliter deceptus fuerit, vel nisi ordinatus jam aliunde habeat unde vivere possit (3).

38. Titulus autem sustentationis triplex esse potest, paupertatis, beneficii, et patrimonii. Titulo *paupertatis*, soli Regulares professi ordinari valent. Sæculares vero ordinari debent ad titulum *beneficii*, quod sit certum de præsenti, et sufficiens ad congruam sustentationem, juxta taxam diœcesis, originis vel beneficii, si beneficium requirat residentiam (4). Nota quod S. C. die 17. julii 1723. remisit arbitrio Episcopi, si detrahenda sint, an non, onera Missarum ex beneficio, vel capellania (5). Ad titulum vero *patrimonii* tantum pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum possunt Episcopi ordinare sæculares, ut præscribit Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *de Ref.* patrimonium autem constitui debet super re certa et stabili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, et libera ab omni onere. Sufficit etiam census perpetuus, quamvis sit redimibilis (6).

39. Hic autem dubitatur 1. an incurrat suspensionem, qui ordinatur cum patrimonio ficto? alii probabiliter negant: sed probabilius alii affirmant; idque certum est in diœcesi Neapolitana (7). Dubitatur 2. an juxta prædictam probabiliorem sententiam incurrat etiam suspensionem qui ordinatur cum patrimonio vero donato, sed data antapoca, vel fide de reddendo illo donant. post ordinationem? Distinguo: si donans verum habuerit animum donandi, non incurrit: quia pactum illud de reddendo patrimonio tanquam nullum rejicitur, ut S. C. declaravit (dum S. C. insuper pluries declaravit quamcumque alienationem patrimonii sine licentia Episcopi esse invalidam). Secus si donans haud habuerit intentionem donandi, quia tunc donatarius nullum rei dominium adeptus est (8).

40. 7. Requiritur, *ut Ordo inferior ante superiorem suscipiatur*, alias qui per saltum ordinatur, suspensionem ipso facto incurrit ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset (9). 8. Ut ordo suscipiatur *tempore debito*. Ordines majores possunt suscipi tantum in sabbatis quatuor temporum; sabbato ante dominicam Passionis et sabbato sancto. Minores vero possunt accipi in quolibet festo de præcepto, et etiam inferia sexta ante sabbatum generalis ordinationis, et feria quarta quatuor temporum, juxta consuetudinem receptam. Attamen apud Ferrar. *Biblioth. tom.* 5. *verb. Ordo art.* 2. *n.* 7. affertur Decretum S. C. Concilii 13. apr. 1720. ubi dicitur quoad Ordines minores, posse tolerari consuetudinem, si sit immemo-

(1) N. 792. v. advertend. 2. — (2) Lib. 6. n. 791. quær. 2. et 3. — (3) N. 813. — (4) N. 815. et 816. — (5) N. 774.

(6) N. 817. — (7) N. 820. et 821. — (8) N. 822. ad 824. — (9) N. 703.

rabilis, quod ministrentur pridie die Veneris post prandium, sed expedire in hoc ut Episcopus se conformet Pontificali Romano. Qui autem ordinatur extra tempora, suspensionem ipso facto incurrit (1).

41. 9. Requiritur, ut Ordines suscipiantur per debita temporum *interstitia*. Et 1. inter Ordines minores requiritur aliquod intervallum: dicitur *aliquod*, quia illud minime determinatum est a Trid. in *sess.* 23. *cap.* 11. ubi etiam additur : *Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur*. Potest tamen libere Episcopus primam tonsuram cum aliquo Ordine minore conferre. 2. Ut a minoribus ascendatur ad subdiaconatum, requiritur anni spatium: *Nisi necessitas, aut ecclesiæ* (intelligitur cui ordinandus est adscriptus) *utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat*: et habetur in Trid. *loc cit.* 3. Ut ascendatur a subdiaconatu ad diaconatum, requiritur etiam anni spatium, sed Episcopus in hoc ex quavis rationabili causa dispensare potest; nam in Trid. *cap.* 13. dicitur : *Nisi aliud Episcopo videatur*. 4. Denique, ut a diaconatu ascendatur ad sacerdotium, requiritur saltem anni intervallum : *Nisi ob ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur*, ut in Trid. *cap.* 14. Nota hic, *utilitatem, ac necessitatem*, intellige necessitatem moralem, nempe utilitatem notabilem, et certam propriæ ecclesiæ.

42. Hinc autem notandum 1. quod suscipiens duos Ordines sacros eodem die suspensionem ipso facto ab ultimo Ordine suscepto, et insuper irregularitatem incurrit (2). Qui vero eodem die susciperet quatuor Ordines minores una cum subdiaconatu, graviter quidem peccaret, sed non incurreret suspensionem (3). Notandum 2. quod si quis ordinatur non servatis interstitiis, sed diversis diebus, et legitimis temporibus, peccat etiam graviter, sed probabilius suspensionem neque incurrit (4). Notandum 3. quod Regulares ex suis pontificiis privilegiis bene possunt extra tempora ordinari cum licentia suorum Prælatorum, juxta dicta in *Tr.* 20. *de Privil.* n. 115. *et* 116. Debent tamen ordinari in festo de præcepto, ut probabilius dicendum (5). Notandum 4. quod si quis sacerdotium susciperet, omisso diaconatu, esset quidem valide ordinatus, sed non posset sacerdotio fungi, nisi prius diaconatum acciperet, ut habetur ex *cap. unico de Cleric. per salt.* Si quis autem episcopatum susciperet, non suscepto sacerdotio, invalide ordinaretur.

43. 10. Requiritur *locus* ordinationis, nempe ut ipsa fiat in ecclesia, et ut Episcopus resideat in propria diœcesi : nam si Episcopus in aliena ordinaret, ipse incurreret suspensionem a Pontificalibus, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti (6). 11. Requiritur *ætas debita*, quæ pro prima tonsura debet esse septem annorum, et Neapoli saltem decem. Ordines minores regulariter conferri possunt ab anno 7. ad 14., subdiaconatus anno 22., diaconatus anno 23., sacerdotium anno 25., in Trid. *sess.* 23. *c.* 12. Ætas computatur, non a die Baptismi, sed nativitatis. Sufficit autem ut annus sit inceptus, prout communis usus habet. Pro beneficiis simplicibus accipiendis sufficit annus 14. ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. sed si beneficium sit curatum, requiritur annus 25. ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. Pro canonicatu annus 22. Trid. *sess.* 24. *c.* 12., quamvis in collegiatis sufficiat annus 14. Pro episcopatu demum requiritur annus 30. (7).

44. Notandum autem, quod si quis scienter ordinatur ante legitimam ætatem, ipso facto perpetuam incurrit suspensionem a qua absolvi nequit nisi a Papa, vel ab Episcopo, si fuerit

(1) N. 794. — (2) *Ib.* n. 796. — (3) N. 797. *et ibid.* dubit. 2.

(4) N. 796. v. dubit. 2. — (5) 797. dubit. 4. — (6) N. 798. v. adde. — (7) N. 799.

occulta, ex *c. Liceat. Trid. sess.* 24. *c.* 6. (1). Diximus *scienter*, nam Pius II. hanc suspensionem imposuit tantum eis qui ex *temeritate* sic ordinantur : unde ignorantia crassa illos probabilius ab ea excusat, ita ut completa ætate bene poterunt Ordinem exercere (2). An autem qui ante ætatem suscipit sacerdotium, irregularitatem incurrat? Alii affirmant, quia (ut dicunt) neo-presbyter concelebrando cum Episcopo, vere consecrat : et ideo jam exercet Ordinem susceptum cum suspensione. Sed alii communius et valde probabiliter negant; quia æquum non videtur, ut quis eadem actione morali duplicem incurrat pœnam, nempe suspensionem et irregularitatem; testaturque Suarez ex stylo Cancellariæ hujusmodi ordinatos non cerseri irregulares. Et idem dicendum de diaconis et subdiaconis : nisi in eadem Missa ordinationis Ordinem jam susceptum exerceant, quia tunc irregularitatem non effugiunt, saltem si ultro ad ministrandum se offerant in Missa ordinationis (3).

45. 12. Ut initiandus ad Ordinem superiorem ascendere possit, requiritur ut exercuerit Ordinem prius susceptum; sed juxta Salm. (4) hoc non est de præcepto gravi. 13. Ultimo requiritur vocatio divina, ex illo apostoli : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Hebr.* 5. 4. Signa autem divinæ vocationis sunt, 1. Scientia conveniens. 2. Intentio recta vacandi Deo animarumque saluti. 3. Probitas vitæ, quæ maxime requiritur ad veram vocationem agnoscendam, ex illo Tridentini : *Sciant tamen Episcopi... debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit, sess.* 23. *cap.* 12. utque docet D. Thomas (5) dicens: *Non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens*, nanc rationem assignans : *Ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur, ita et superiores sint merito sanctitatis*. Hinc si quis absque his signis, et consequenter sine vocatione divina ascendit ad altare, nequit a gravi culpa excusari tum ob gravem præsumptionem, qua non vocatus in sacrum ministerium se intrudit, ut ait s. Anselmus : *Qui enim se ingerit, et propriam gloriam quærit, gratiæ Dei rapinam facit, et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem* : tum ob magnum periculum damnationis, cui se exponit ut sapienter loquitur Episcopus Abelly : *Qui sciens, nulla divinæ vocationis habita ratione, se in sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen injiceret*. Et tanto magis graviter peccant Episcopi, qui tales ad Ordines admittunt, transgrediendo præceptum illud apostoli : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*. 1. *Tim.* 5. 22. Quæ verba exponens s. Leo *Epistola* 1. (*alias* 87.) *ad Afric.* 2. dixit : *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari?* Ideo inc. *Nullus, dist.* 24. universe Episcopis præcipitur : *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit*.

46. Refert hic autem una simul adnotare, quinam ex prædictis illegitime ordinatis suspensionem ipso facto incurrant. Incurrunt 1. qui ordinantur sine dimissoriis sui Ordinarii; vel sine ejus litteris testimonialibus, cum ordinantur ab Episcopo beneficii. 2. Qui eodem die duos sacros Ordines suscipiunt. 3. Qui ordinantur extra tempora. 4. Qui ordinantur ab Episcopo manente in aliena diœcesi, sine licentia Episcopi loci. 5. Qui scienter ordinantur ante legitimam ætatem. 6. Qui ordinantur per saltum, omisso Ordine præcedenti. Adde ultimo loco, qui ordinatur per simoniam; hic enim manet

(1) Cit. n. 799. — (2) Ib. v. sed hic dubit. 1. — (3) Lib. 6. n. 799. dubit. 3. — (4) De Ord. c. 4. n. 74. — (5) Suppl. q. 35. a. 1. ad 3.

ipso facto suspensus ab Ordine simoniace suscepto, et impeditur ab ascendendo ad superiores ; id tamen non currit, si simonia ab alio sit commissa, ignorante ordinato (1).

CAPUT III.

DE ORDINIBUS IN SPECIE.

ART. 1. *De prima tonsura.*

47. *Quid prima tonsura, et an sit Ordo? Si quis ordinatur sine tonsura.*
48. *Privilegia tonsurati.*
49. *et* 50. *De obligatione deferendi habitum, et tonsuram.*
51. *Qui priventur privilegio fori et Canonis.*

47. Prima tonsura non est Ordo, sed præparatio sive dispositio ad Ordines, cum nullum officium habeat circa ministerium altaris ; ita communiter theologi cum d. Thoma (2). Et probatur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *de Ordine*, ubi tonsuræ sumptio præcipitur, sicque dicitur : *Ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores* (Ordines) *ascenderent*. Ergo tonsura inter Ordines minime numeratur (3). Clericus significat *in sortem vocatus*, scilicet ad cultum Deo præstandum. Tonduntur ei capilli in modum coronæ, ad significandam regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur. Tradit autem Catechismus Romanus sanctum Petrum primam tonsuram instituisse: Ut quis posset tonsurari, requiritur 1. ut sit mas : 2. ut sit confirmatus : 3. ut sciat legere et scribere, ac saltem Grammaticam præter rudimenta Fidei : 4. ut habeat animum Deo inserviendi. Qui ordinatur sine tonsura, graviter quidem peccat contra præceptum Tridentini, sed valide ordinatur ; verum manet suspensus usque ad beneplacitum Episcopi. Qui autem aliquem Ordinem jam susceperit sine prima tonsura, non tenetur eam postea recipere, quia per Ordinem susceptum jam fuit factus idoneus ad alios suscipiendos.

48. Effectus, et privilegia tonsurati hæc sunt : 1. Tonsuratus transfertur ad statum clericalem, unde acquirit privilegium fori, quo eximitur a jurisdictione fori laicalis ; modo deferat habitum et tonsuram, ac alicui ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, aut versetur in seminario, vel in aliqua schola de licentia Episcopi, ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de Reform.* 2. Acquirit etiam privilegium Canonis, ita ut percutientes ipsum injuriose incurrant excommunicationem reservatam Papæ, si percussio est gravis ; Episcopo vero si levis. 3. Tonsuratus fit capax beneficii ecclesiastici, modo habeat 14. annos. 4. Fit capax etiam omnis jurisdictionis ecclesiasticæ ad conferenda beneficia, ferendas censuras, et judicandas causas spirituales.

49. Quæritur hic, qualiter peccent, et quas incurrant pœnas clerici habitum aut tonsuram non deferentes; et quando propter id privilegio fori et Canonis priventur? Clerici in minoribus, ut communiter dd. aiunt, non peccant graviter, si habitum et tonsuram non deferant ; imo communius Sotus Nav. Arm. Castropal. Escob. Holzm., etc. ab omni culpa eos excusant, ex Bulla Sixti V. *Pastoralis*, an. 1588. 31. Jan. Nam ibi in tantum clerici declarantur teneri ad habitum deferendum, qui pensionem, aut alia bona ecclesiastica recipiunt, excedentia valorem annuum ducatorum 60. aureorum de Camera. Clerici autem beneficiati, aut in sacris constituti peccant quidem graviter si habitum dimittunt, ut communiter docent Sanch. Laym. Castrop. Bon. Salm. etc. (quicquid dicant Cajet. Escob. et Gob.) dum in Trid. *sess.* 14. *c.* 6. tales habitum non deferentes de temeritate arguunt. Valde tamen probabiliter negant eos peccare omnes aa. præfati, si habitum dimittant ad breve tempus, aut ex causa justa se occultandi, puta ad

(1) Vide lib. 3. n. 100. — (2) Suppl. q. 40. art. 2. — (3) Vide lib. 6. n. 734.

quod grave damnum vitandum. Id quo ad culpam ; quod autem ad pœnas per inet, in Concilio *l. c.* sic dicitur : *Si postquam ab Episcopo suo moniti fuerint honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum... coerceri debeant.* Ex quo patet has pœnas esse tantum ferendæ sententiæ. Neque huic obstat Bulla Sixti V. *Cum sacrosancta*, edita die 9. Jan. 1588. ubi beneficiati non deferentes habitum ipso jure declarantur privati suis beneficiis, nam id dispositum fuit tantum pro Urbe Roma, et postquam mandatis sub certo termino ipsi non obedierint (1).

50. Id quod de habitu dicunt Sanchez Laym. Escob. et alii de tonsura, sive corona. Alii tamen, ut Castrop. Henriq. Renz., et Tamb. cum Marchino. clericum etiam in Sacris, aut beneficiatum tonsuram non deferentem non audent damnare de mortali, nisi eam ex contemptu omittat. Cæterum bene quidem ait La-Croix facilius excusandos eos qui tonsuram, quam qui habitum non deferunt; unde præfatus auctor nec sacerdotem tonsuram per 6. aut 8. hebdomada, non deferentem damnat de mortali (2).

51. Privantur autem beneficiati, sicut etiam ii qui in Sacris sunt constituti. habitum non deferentes, privilegio tam fori quam Canonis, si post tertiam monitionem illum non reassumunt, *ex cap. Contingit* 45. *de Sent. excomm.* (3). Simpliciter autem tonsurati, aut clerici tantum ad Ordines minores promoti sine beneficio, non peccant graviter, sed non gaudent privilegio fori, si actu habitum non deferant, nec ecclesiæ inserviant, ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de Reform.* Gaudent vero semper ac habitum reassumunt, nisi hoc faciant in fraudem puta si fuerint in carcere jam conjecti pro criminalibus vel jam citati in foro laicali pro civilibus (4). Aliter tamen dicunt dd. de privilegio Canonis (5). An autem peccet qui tonsuram suscipit ad accipiendum beneficium, sine animo permanendi in statu clericali? Vide opus nostrum morale (6), ubi dicitur suscipiens peccare, sed probabiliter tantum venialiter.

Hic juvat adnotare id quod statutum habetur anno 1741, in Concordato inter sanctam Sedem et Carolum III. regem regnorum Neapolis et Siciliarum, circa ordinationem promovendorum ad statum ecclesiasticum. 1. *Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla Prima Tonsura se non che a titolo di Beneficio o Capellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella Diocesi del Promovendo.* 2. *Giudicando qualche Vescovo veramente utile, o necessario alla Chiesa, conferir la Prima Tonsura a qualche Giovane, benchè non abbia verun Beneficio, potrà farlo, ma nel solo caso che abbia il medesimo una Pensione Ecclesiastica perpetua della rendita che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sacro nella sua Diocesi, o l'intero Patrimonio; il quale, per evitare qualunque frode o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse; e dovrà regolarsi a tenore della tassa Sinodale di ciascuna Diocesi, purchè non sia esso Patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggiore di quaranta.* 3. *Oltre a requisito del Beneficio, Capellania perpetua o Pensione Ecclesiastica perpetua, o dell'intiero Patrimonio, a niuno potrà conferirsi la Prima Tonsura, il*

(1) l. 6. n. 825. — (2) N. 826. — (3) N. 827. (4) Ibid. — (5) Ibid. — (6) Vide l. 4. c. 113. v. dixi. 4.

ipso facto suspensus ab Ordine simoniace suscepto, et impeditur ab ascendendo ad superiores ; id tamen non currit, si simonia ab alio sit commissa, ignorante ordinato (1).

CAPUT III.

DE ORDINIBUS IN SPECIE.

ART. 1. *De prima tonsura.*

47. *Quid prima tonsura, et an sit Ordo? Si quis ordinatur sine tonsura.*
48. *Privilegia tonsurati.*
49. *et* 50. *De obligatione deferendi habitum, et tonsuram.*
51. *Qui priventur privilegio fori et Canonis.*

47. Prima tonsura non est Ordo, sed præparatio sive dispositio ad Ordines, cum nullum officium habeat circa ministerium altaris ; ita communiter theologi cum d. Thoma (2). Et probatur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *de Ordine*, ubi tonsuræ sumptio præcipitur, sicque dicitur : *Ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores* (Ordines) *ascenderent*. Ergo tonsura inter Ordines minime numeratur (3). Clericus significat *in sortem vocatus*, scilicet ad cultum Deo præstandum. Tonduntur ei capilli in modum coronæ, ad significandam regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur. Tradit autem Catechismus Romanus sanctum Petrum primam tonsuram instituisse: Ut quis posset tonsurari, requiritur 1. ut sit mas : 2. ut sit confirmatus : 3. ut sciat legere et scribere, ac saltem Grammaticam præter rudimenta Fidei : 4. ut habeat animum Deo inserviendi. Qui ordinatur sine tonsura, graviter quidem peccat contra præceptum Tridentini, sed valide ordinatur ; verum manet suspensus usque ad beneplacitum Episcopi. Qui autem aliquem Ordinem jam susceperit sine prima tonsura, non tenetur eam postea recipere, quia per Ordinem susceptum jam fuit factus idoneus ad alios suscipiendos.

48. Effectus, et privilegia tonsurati hæc sunt : 1. Tonsuratus transfertur ad statum clericalem, unde acquirit privilegium fori, quo eximitur a jurisdictione fori laicalis ; modo deferat habitum et tonsuram, ac alicui ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, aut versetur in seminario, vel in aliqua schola de licentia Episcopi, ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de Reform.* 2. Acquirit etiam privilegium Canonis, ita ut percutientes ipsum injuriose incurrant excommunicationem reservatam Papæ, si percussio est gravis ; Episcopo vero si levis. 3. Tonsuratus fit capax beneficii ecclesiastici, modo habeat 14. annos. 4. Fit capax etiam omnis jurisdictionis ecclesiasticæ ad conferenda beneficia, ferendas censuras, et judicandas causas spirituales.

49. Quæritur hic, qualiter peccent, et quas incurrant pœnas clerici habitum aut tonsuram non deferentes; et quando propter id privilegio fori et Canonis priventur? Clerici in minoribus, ut communiter dd. aiunt, non peccant graviter, si habitum et tonsuram non deferant ; imo communius Sotus Nav. Arm. Castropal. Escob. Holzm., etc. ab omni culpa eos excusant, ex Bulla Sixti V. *Pastoralis*, an. 1588. 31. Jan. Nam ibi in tantum clerici declarantur teneri ad habitum deferendum, qui pensionem, aut alia bona ecclesiastica recipiunt, excedentia valorem annuum ducatorum 60. aureorum de Camera. Clerici autem beneficiati, aut in sacris constituti peccant quidem graviter si habitum dimittunt, ut communiter docent Sanch. Laym. Castrop. Bon. Salm. etc. (quicquid dicant Cajet. Escob. et Gob.) dum in Trid. *sess.* 14. *c.* 6. tales habitum non deferentes de temeritate arguunt. Valde tamen probabiliter negant eos peccare omnes aa. præfati, si habitum dimittant ad breve tempus, aut ex causa justa se occultandi, puta ad

(1) Vide lib. 3. n. 100. — (2) Suppl. q. 40. art. 2. — (3) Vide lib. 6. n. 734.

quod grave damnum vitandum. Id quo ad culpam ; quod autem ad pœnas per inet, in Concilio *l. c.* sic dicitur : *Si postquam ab Episcopo suo moniti fuerint honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum... coerceri debeant.* Ex quo patet has pœnas esse tantum ferendæ sententiæ. Neque huic obstat Bulla Sixti V. *Cum sacrosancta*, edita die 9. Jan. 1588. ubi beneficiati non deferentes habitum ipso jure declarantur privati suis beneficiis, nam id dispositum fuit tantum pro Urbe Roma, et postquam mandatis sub certo termino ipsi non obedierint (1).

50. Id quod de habitu dicunt Sanchez Laym. Escob. et alii de tonsura, sive corona. Alii tamen, ut Castrop. Henriq. Renz., et Tamb. cum Marchino. clericum etiam in Sacris, aut beneficiatum tonsuram non deferentem non audent damnare de mortali, nisi eam ex contemptu omittat. Cæterum bene quidem ait La-Croix facilius excusandos eos qui tonsuram, quam qui habitum non deferunt; unde præfatus auctor nec sacerdotem tonsuram per 6. aut 8. hebdomada, non deferentem damnat de mortali (2).

51. Privantur autem beneficiati, sicut etiam ii qui in Sacris sunt constituti. habitum non deferentes, privilegio tam fori quam Canonis, si post tertiam monitionem illum non reassumunt, *ex cap. Contingit* 45. *de Sent. excomm.* (3). Simpliciter autem tonsurati, aut clerici tantum ad Ordines minores promoti sine beneficio, non peccant graviter, sed non gaudent privilegio fori, si actu habitum non deferant, nec ecclesiæ inserviant, ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de Reform.* Gaudent vero semper ac habitum reassumunt, nisi hoc faciant in fraudem puta si fuerint in carcere jam conjecti pro criminalibus vel jam citati in foro laicali pro civilibus (4). Aliter tamen dicunt dd. de privilegio Canonis (5). An autem peccet qui tonsuram suscipit ad accipiendum beneficium, sine animo permanendi in statu clericali? Vide opus nostrum morale (6), ubi dicitur suscipiens peccare, sed probabiliter tantum venialiter.

Hic juvat adnotare id quod statutum habetur anno 1741, in Concordato inter sanctam Sedem et Carolum III. regem regnorum Neapolis et Siciliarum, circa ordinationem promovendorum ad statum ecclesiasticum. 1. *Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla Prima Tonsura se non che a titolo di Beneficio o Capellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella Diocesi del Promovendo.* 2. *Giudicando qualche Vescovo veramente utile, o necessario alla Chiesa, conferir la Prima Tonsura a qualche Giovane, benchè non abbia verun Beneficio, potrà farlo, ma nel solo caso che abbia il medesimo una Pensione Ecclesiastica perpetua della rendita che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sacro nella sua Diocesi, o l'intero Patrimonio; il quale, per evitare qualunque frode o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse; e dovrà regolarsi a tenore della tassa Sinodale di ciascuna Diocesi, purchè non sia esso Patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggiore di quaranta.* 3. *Oltre a requisito del Beneficio, Capellania perpetua o Pensione Ecclesiastica perpetua, o dell'intiero Patrimonio, a niuno potrà conferirsi la Prima Tonsura, il*

(1) l. 6. n. 825. — (2) N. 826. — (3) N. 827. (4) Ibid. — (5) Ibid. — (6) Vide l. 4. c. 113. v. dixi. 4.

quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorar almeno per un triennio in qualche Seminario o Convitto Ecclesiastico, e dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anne l'Abito Clericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte delle Feste di precetto di ciascun dei tre anni non abbia servito a qualche Chiesa nella maniera che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta: computando questo servizio colla dimora, che avrebbe dovuto fare in qualche Seminario o Convitto Ecclesiastico, ec. Ultimo loco dicitur : *Chiunque sarà promosso alla Prima Tonsura, agli Ordini Minori, o agli Ordini sagri contro la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall'esercizio dell'Ordine già conferitogli. E chi l'avrà così ordinato o pure gliavrà a tale effetto concedute le Dimissorie sarà Vescovo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli Ordini e dall'esercizio de' Pontificali; e non essendo Vescovo, ma Prelato inferiore coll'uso dei Pontificali, sarà sospeso per sempre dall'esercizio de' medesimi; e non avendo l'uso di essi, come pure qualunque altra Persona costituita in dignità, per sempre sara sospesa dall'esercizio d'ell' Officio e de'suoi Ordini.*

ART. II. *De Ordinibus minoribus.*

52. *Quot sint Ordines minores.*
53. *Sect. I. De ostiariatu. Materia tradenda est ab ipso ordinante; et ab eo Missa celebranda.*
54. *Sect. II. De lectoratu.*
55. *Sect. III. De exorcistatu.*
56. *Sect. IV. De acolythatu.*

52. Ordines minores quatuor sunt: Ostiariatus, lectoratus, exorcistatus et acolythatus. Dicuntur ipsi *minores* propter minora officia, quæ ab ordinatis exercentur circa Missam, aut in ecclesia.

Sectio I. *De ostiariatu*

53. Ostiariatus *est Ordo, quo confertur potestas aperiendi, claudendi et custodiendi ecclesiam* Officium ostiarii (præter dicta) est etiam pulsandi campanas, nec non admittendi dignos in ecclesia, et expellendi indignos, scilicet infideles, hæreticos et excommunicatos. Materia *remota* ostiariatus sunt claves ecclesiæ, *proxima* clavium traditio ; formâ sunt verba ordinantis, et dicentis : *Sic age quasi redditurus rationes pro his rebus quæ his clavibus recluduntur.* Ita tradunt aa., qui tenent singulos septem Ordines esse Sacramenta. Claves debent esse propriæ ecclesiæ, nec possunt aliæ substitui, debentque tangi ab ordinando. Hic autem denuo adverte id quod notatum est superius *n.* 29., nempe quod in Sacramento Ordinis materia omnino tradenda est ab ipso ordinante, alias Sacramentum invalide ministratur, et ab eodem debet Missa celebrari(1).

Sect. II. *De lectoratu.*

54. Lectoratus est *Ordo, quo confertur potestas legendi Scripturas sacras in ecclesia.* Materia *remota* est liber prophetiarum, et epistolarum ; *proxima* illius traditio ; forma sunt verba : *Accipe et esto verbi Dei relator etc.* Officium igitur lectoris est legendi sacras Scripturas (intellige extra Missam, nam in Missa officium est subdiaconi) : ac etiam catechumenos instruendi. Si loco libri epistolarum sive *lectionarii* traderetur Biblia aut Breviarium, valida quidem, et etiam licita esset ordinatio ; secus si alius liber.

Sect. III. *De exorcistatu.*

55. Exorcistatus *est Ordo quo datur potestas expellendi dæmones ab obsessis, ne eos impediant a Communione.* Materia *remota* est liber exorcismorum: *proxima* ejus traditio; forma : *Accipe, et habe potestatem imponendi manus super energumenos*

(1) Lib. 6. n. 744.

etc. Exorcismus autem est formula quædam ab ecclesia instituta ad dæmones fugandos in nomine Jesu Christi : ut possit autem exorcista solemniter exorcizare, requiritur etiam collatio jurisdictionis, sive licentia Episcopi. Id tamen non est ob jus commune, sed ob particulare præceptum Episcoporum prohibentium exorcizare sine eorum licentia (1). Dictum est *solemniter*, cum quisque fidelis possit privatim imperare dæmonibus, ne noceant, neque impediant fideles ab actionibus sacris (2).

Sect. IV. *De acolythatu.*

56. Acolythatus *est Ordo, quo datur potestas ferendi urceolos ad altare, et candelabra luminaque in ipso accendendi.* Materia *remota* sunt urceoli vacui ; *proxima* eorum traditio ; forma : *Accipe ceroferarium, etc.*, atque : *Accipe urceolos, etc.* Utraque materia est essentialis, sed nobilior sunt urceoli, quia vinum et aqua magis sunt ad Missam necessaria. Hæ autem materiæ sunt partiales, unam totalem constituentes. Character vero non in candelabri, sed in urceolorum traditione imprimitur, quia in ea principalior traditur potestas (3).

ART. III. *De ordinibus majoribus.*

Sectio I. *De subdiaconatu.*

57. *Quid subdiaconatus, materia forma et officium ? Si sine manipulo, etc.*
58. *Requisita.*
59. §. *I. De voto castitatis; et an castitas sit ex voto ? Si quis ignoret, etc. Si impuber, etc. Qui per metum ordinatur, etc.*
60. §. *II. De Horis canonicis. Propositiones damnatæ.*
61. *Qui teneantur ad Horas ? I. Clerici in Sacris. II. Religiosi professi. III. Beneficiati.*
62. *Cui facienda restitutio fructuum.*
63. *Si habeant alia onera.*
64. *An excommunicati, etc. Et qui sine attentione interna, etc.*
65. *Intra primos sex menses. Qui sine culpa omittit. An unum peccatum, etc.*
66. *Qui non percipit fructus, etc.*
67. *Si beneficium sit tenue.*
68. *An male expendens, etc. Canonicus non canens.*
69. *Quæ parva materia, etc. An proficiens Breviarium : In dubio an quid omissum.*
70. *Quæ requirantur ad Horas recte dicendas ? 1. Juxta præscriptum. Si permutes officium.*
71. *Si alio pergis.*
72. *Si advertis errasse. De litaniis, et officio defunctorum.*
73. *II. Pronunciatio vocalis. Quid in choro.*
74. *III. Pronuntiatio integra IV. Pronuntiatio continuata. V. Ordo Horarum. VI. Tempus.*
75. *Intentio et attentio.*
76. *Causæ excusantes a recitatione.*
77. *ad 80. §. III. De censuris in genere.*
84. *ad 83. §. IV. De censuris in specie, et 1. de excommunicatione.*
84. *II. De suspensione.*
85. *III. De depositione, etc.*
86. *IV. De interdicto*
87. *V. De irregularitate.*
88. *Irregularitates ex delicto*
89. *Irreg. ex defectu.*

57. Subdiaconatus *est Ordo quo traditur potestas, per quam ordinatus potest deferre calicem ad altare, ministrare diacono, et legere epistolam in Missa.* Materia *remota* est duplex, nempe calix vacuus cum patena vacua, necnon liber epistolarum. Materia *proxima* est horum traditio. Calix autem probabiliter debet esse consecratus, ut plures dd. sentiunt : unde ipsorum sententia in praxi sequenda est (4). Sic etiam omnino requiritur traditio libri epistolarum (5). Forma autem sunt verba Episcopi : *Videte cujus ministerium vobis traditur, etc.* Et alia : *Accipe librum epistolarum, et habe potestatem legendi eas etc.* Duplici enim materiæ duplex adhibetur forma partialis. Officium subdiaconi (ultra prædicta in altari) est deferre crucem, et lavare corporalia. Peccaret subdiaconus, si absque manipulo solemniter ministra-

(1) Lib. 6. n. 745. et 805. — (2) V. l. 3. n. 193. app. de adjur. ad 4. — (3) l. 6. n. 745.

(4) N. 747. — (5) N. 746.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ret in Missa, nisi urgeret necessitas, ut dicit p. Suarez (1). An autem graviter peccet subdiaconus ministrans in mortali ? Vide dicta supra *n.* 14. Clericus (vel etiam subdiaconus exercens officium subdiaconi sine manipulo, vel cum manipulo, sed non intendens ex officio actum illum exercere non incurrit irregularitatem ; quia tunc (ut ait Bonac.) exercet tantum officium cantoris. Secus si cum manipulo intenderet exercere officium proprium subdiaconi (2). Adverte hic Decretum S. C. Rituum editum 6. Jul. 1698. *Deficiente subdiacono pro Missa solemni, data necessitate potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam epistolam paratus absque manipulo.* Apud *Meratum* in indice Decretorum *n.* 531. Et adverte hoc Decretum esse posterius ad alia contraria, quæ affert Ferrar. Bibliot. verb. *Missæ Sacr. art.* 12. *n.* 57. *et* 58.

58. Ut quis ad subdiaconatum possit promoveri, requiritur 1. ut sit ordinatus in minoribus. 2. Ætas 21. annorum completorum. 3. Titulus sustentationis (de quo vide supra dicta n. 37. ad 39.). 4. Ut bene sciat quæ pertinent ad suum munus. 5. Examen quod debet quidem rigorosius esse in subdiaconis, ut recte advertit Homobonus (Pœnitentiarius in Ecclesia Bononien.) et signanter circa subdiaconi obligationes, nempe servandi castitatem, recitandi officium, habendi titulum sustentationis; nec non refert subdiaconos examinare circa censuras et irregularitates, quarum singulatim hic principaliora rudimenta mox infra breviter recensebimus.

§. I. *De voto castitatis.*

59. Subdiaconus ex præcepto s. Gregorii Papæ in *can.* 2. *Dist.* 28. tenetur votum castitatis emittere. Hinc obligatio castitatis in ordinatis in sacris verius est ex vi voti Ordinibus annexi, quam præcepti Ecclesiæ, ut satis colligitur ex *cap. Cum olim, de Cler. conjug.* Attamen si quis Ordinem suscipiendo expresse nollet castitatem vovere, tunc iste saltem ex præcepto Ecclesiæ ad castitatem teneretur. Hocque dicendum etiamsi nesciret hanc obligationem, modo vellet vere Ordinem suscipere : et adhuc si inculpate nesciret, ut valde probabiliter plures doctores docent (3). Qui autem ordinaretur ante usum rationis, hic non teneretur ad castitatem. Qui vero ordinatur ante pubertatem, an ad castitatem teneatur ? Adest duplex sententia, utraque probabilis (4). Qui ordinatur per metum extrinsecum injuste incussum, et non habet animum suscipiendi Ordinem, non tenetur ad castitatem ; et etiamsi animum haberet, probabilius nec teneretur, quia votum emissum ob metum probabilius est invalidum. Secus si metus fuerit juste incussus, vel si ordinatus scienter suam Ordinationem ratificaret, nempe si ultro Ordinem exerceret (5).

§. II. *De Horis canonicis.*

60. Primo loco hic refert adnotare plures propositiones damnatas ab Alexandro VII, nimirum propos. 20. quæ dicebat : *Restitutio fructuum non debetur ante sententiam.* Prop. 21. *Habens beneficium, si studio litterarum vacet, satisfacit recitando per alium.* Prop. 33. *Restitutio fructuum supletur per eleemosynas ante factas* Prop. 34. *Satisfacit dicens officium paschale pro officio diei Palmarum.* Prop. 35. *Cum uno officio potest satisfieri obligationi duorum dierum.* Item Innoc. XI. damnavit prop. 54. *Qui nequit recitare Matutinum non tenetur ad alias horas.*

61. Quæritur 1. quinam teneantur ad Horas ? Tenentur 1. omnes ordinati in Sacris, etiamsi sint excommunicati, suspensi et degradati. Ordinatus autem ad subdiaconatum in die Ordinationis tenetur ad Horam correspondentem horæ qua ordinatur. Tenentur II. Religiosi professi utriusque sexus. Hoc habetur ex antiqua consuetudine obligante sub gravi, ut tenet communis sententia contra aliquos. Nec valet dicere, quod non constat; an consuetudo recitandi officium sit introducta a Religiosis animo se graviter obligandi; nam respondetur, quod cum illa constanter et tamdiu cum magno incommodo ab omnibus Religiosis observata fuerit, præsumptio est pro parte affirmativa, pro qua autem parte stat præsumptio, pro ea stat etiam possessio, regula generalis est (1). Nullus autem Religiosus aut Monialis in particulari tenetur sub gravi Horas dicere in choro, ut communiter dicunt Suar. Salm. Conc., etc.; modo chorus non tollatur, ad quem requiruntur saltem quatuor expediti (2). Ad officium vero non tenentur Religiosi ejecti : sed tenentur profugi (3). Tenentur III. beneficiati ; alias fructus omnes beneficii restituere debent, ex Concil. Later. V. *Sect.* 9. §. *Statuimus*, ubi dictum fuit : *Statuimus, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, fructus non faciat suos pro rata recitationis.* Et si talis post monitionem adhuc pergit omittere, potest etiam beneficio privari. Deinde sanctus Pius V. in *Constit.* 186. quæ incipit *Ex proximo Lateranensi*, decrevit quod qui relinquit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei : qui cæteras Horas aliam dimidiam; qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem (4). Et idem dicendum si quis per plures leves omissiones inter officium diei ad gravem materiam pertingit (5). Qui autem hodie supplere vellet officium heri omissum, minime liberatur a restitutione (6). Hæcque restitutio debetur ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est absolute necessaria ad lucrandos fructus, cum sine ipsa nequeat beneficiarius facere fructus suos, ut præfatum Concilium sancivit (7).

62. Restitutio autem tunc facienda est vel pauperibus (sufficit cujuscumque loci), vel fabricæ ecclesiæ, vel domui beneficii, vel in augmentum agrorum ipsius. Potest etiam fieri in refectionem alterius indigentis ecclesiæ, si propria non eget, vel si fabrica alienæ ecclesiæ redundaret in utilitatem pauperum. Potest etiam applicari in Missis pro defunctis; et potest beneficiatus adhuc applicare eam sibi ipsi, si vere pauper sit, modo non faciat in fraudem ; Suar. Castrop. Navar. Tol. Less. etc. comm. (8). Si quis autem post omissionem dederit eleemosynas, immemor, vel forte ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas computare, ut dicunt Sanch. Suar. Lug Laym. Salm. Croix (9).

63. Probabiliter dicunt etiam Sot. Less. Vasq. Bonac. Sanch. Salm. etc., quod si beneficiatus alia onera habet, quibus jam satisfecerit, non tenetur omnes fructus restituere. Secus tamen dicendum (quicquid dicant alii) de simplici beneficiato, qui nullum aliud onus haberet, nisi deferendi habitum (10).

64. An autem excommunicatus toleratus teneatur ante sententiam restituere fructus beneficii, si onera ipsius impleverit ? Aliqui affirmant ; sed probabilius et communius alii negant, prout pariter dictum est *Tr.* 19. *n.* 19. *in fine*, quia non tenetur reus nisi post sententiam subire pœnam illam, quæ actionem requirit ; ex alia autem parte excommunicati tolerati valide jam Sacramenta ministrant, Horasque persolvunt ; ita

(1) De cen. disp. 42. sect. 4. n. 47. — (2) Vide lib. 7. n. 359.

(3) Vide l. 6. n. 809. dubit. 1. et 2. — (4) N. 810. — (5) N. 811.

(1) Vide l. 4. n. 142. — (2) Ib. n. 143. — (3) N. 142. dubit. 1. et 2. — (4) Vide lib. 3. n. 663. — (5) N. 668.

(6) N. 667. — (7) N. 665. et l. 4. n. 145. v. sed dices. — (8) Lib. 3. n. 672. — (9) N. 700. quær. 2. v. limitant. — (10) N. 673.

Laym. Tourn. Castrop. Salm. Bon. Coninch. et alii plures (1). Sic etiam probabiliter non tenetur ad restitutionem qui recitat sine attentione interna; cum opinio quo sufficiat ad satisfaciendum, si habeatur intentio et attentio externa, non sit improbabilis, juxta dicenda *n.* 75. (2).

65. Præterea notandum. s. Pium in præfata Constitutione declarasse, quod beneficiati, si intra primos sex menses officium omittant, licet non teneatur ad restitutionem, tamen non excusantur a peccato mortali (3). Hinc omnino dicendum, quod beneficiati, etiamsi vellent pro eo tempore fructus restituere, omittendo officium, graviter peccant, cum ipsos ad officium quovis tempore Ecclesia ex motivo religionis obstrinxerit (4). Graviter igitur peccat qui intra sex menses (ut dictum est) officium omittit, sed non tenetur ad restitutionem, ut docent Lessius Vasquez Conc. Viv. et communior sententia (contra paucos). Ratio, quia, juxta communem sententiam, restitutio fructuum non jam debetur de jure naturali: fructus enim non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione beneficiarii, cum onere tamen officii, impositio ab Ecclesia (ut diximus) ex motivo religionis, et ideo nulla ante Concil. Lateranense restitutio præcipiebatur. Concilium autem restitutionem præcipit tantum omittentibus post sex menses (5). Ob eamdem rationem non tenetur ad restitutionem, qui omittit officii recitationem sine culpa, quia, licet (ut dictum est *n.* 61, *in fin.*), restitutio ante omnem sententiam facienda sit, tamen cum ipsa in pœnam præcepta sit, omnino culpam requirit, ut recte dicunt Less Sanchez Conc. Viva, et alii communius, contra paucos (6). Pariter ob eamdem rationem subdiaconus beneficium habens, si officium omittit, unum tantum committit peccatum cum ex uno motivo religionis ad illud teneatur (7).

66 Dubitatur 1. an teneatur ad officium beneficiarius, qui fructus non percipit? Minime tenetur, si ipse non negligenter se gesserit in illis exigendis. Excipe, nisi ipse in pœnam alicujus criminis sit fructibus juste privatus; vel nisi certam spem habeat percipiendi illos sequentibus annis (8). Quid si super beneficio lis vertatur? Resp. si beneficiarius nondum acceperit illius possessionem, non tenetur ad officium, nisi per ipsum stet quin statim possessionem adipiscatur. Si vero jam acceperit, tenetur, casu quo spem certam habeat vincendi litem; secus si sit in dubio (9).

67. Dubitatur 2. an teneatur ad officium habens beneficium tenue? Alii affirmant; sed alii plures negant, ut Less. Sanch. Malder. Arag. Rodr. Molfes. Pelliz. et alii, quia tenue beneficium, ex *c. Is cui, de Præbend. in* 6. ut verum beneficium non habetur. Dicunt autem, illud esse tenue beneficium, quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis (10).

68. Dubitatur 3. an beneficiarius male expendens fructus beneficii teneatur ad restitutionem? Plures graves dd. probabiliter negant, ut s. Antoninus Less. Cabass. Sanch. Salm. et alii cum s. Thoma (11), qui ait, præbendas haberi ut bona patrimonialia. Alii tamen probabilius, ut Laym. Bon. Navar. Petroc. Concina etc. affirmant, quia beneficiarii ex justitia tenentur fructus superfluos pauperibus, vel locis piis erogare; nam saltem Ecclesia non concedit ipsis dominium fructuum, nisi limitatum ad superfluos erogandos in pauperes (12). Vide dicta *Tr.* 10. *n.* 7. Hic autem sedulo advertendum, quod Papa Benedictus XIV. in Brevi ad Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquilejensem, emanato die 19. Januarii 1748., declaravit canonicos choro *non interessentes*, vel ibi *non canentes*, nedum distributiones quotidianas amittere; sed etiam ad restitutionem teneri fructuum suarum præbendarum (1).

(1) N. 670. — (2) l. 3. n. 669. et l. 4. n. 176. — (3) Vide l. 3. n. 663. et 666. — (4) Lib. 4. n. 145. quær. 2. — (5) l. 3. n. 665. et 666. — (6) cit. n. 665.

(7) l. 4. n. 145. quær. 1. — (8) l. 3. n. 664. — (9) Cit. n. 664. v. quid si. — (10) l. 3. n. 674. — (11) 2. 2. q. 185. a. 7. — (12) Lib. 3. n. 492.

69. Quæritur 2. quanta sit obligatio officii? Certum est peccare graviter, qui omittit notabilem officii partem. Cæterum censetur parva materia omissio minoris partis, quam parvæ Horæ (2). Qui autem omnes septem Horas omittit, verius cum Less. Sanch. Concina Tournely, et communi, unum committit peccatum, quia omnes Horæ integrum officium componunt (3). Qui officium projiceret in mare, tot peccata committeret, quot omissiones dierum prævideret, quæ singulæ omissiones officii, ad quemlibet diem pertinentes, sunt singulæ transgressiones, et hic, eas jam prævidendo, peccaret quidem in causa (4). An in dubio, utrum aliquid ex officio sit vel ne omissum, sit repetendum? Repetendum quidem in dubio negativo, scilicet si nullum prudens motivum habeas, quod jam dixeris; secus si dubium positivum, nempe si probabiliter credas dixisse: ita communiter Navar. Sanch. Lugo Tourn Castrop. Salm. Roncagl. (5).

70. Quæritur 3. quæ requirantur ad Horas bene recitandas? Requiritur 1. ut recitentur juxta *præscriptum Breviarii Romani*. Unde improbabilem censeo opinionem eorum qui dicunt non peccare mortaliter qui commutat officium in aliud notabiliter brevius (6). An autem sit mortale mutare in æquale, vel quasi? Adest hinc inde duplex plurimorum sententia. Æquius tamen videtur dicendum cum Sporer Ronc. Viva Laym. Elbel, esse mortale, si mutatio sit frequens; veniale si raro, puta ter vel quater in anno: et nullum, si fiat aliquando fiat cum causa, nempe infirmitatis, studii, etc. Ratio quia licet officium recitandum sit juxta formam individualem Breviarii, ut præci; s. Pius V. in Bulla *A nobis*, descripta in Breviario, dicendo: *Nemines satisfacere nisi hac sola forma*; tamen probabile est Pontificem in hac forma præscribenda magis respexisse ad formam substantialem, quæ est quantitas officii, quam ad accidentalem, nempe ad illius qualitatem: et ideo commutatio non videtur culpam venialem excedere. Id tamen frequenter facere esset mortalis culpa, quia (ut recte ait Laym.) esset perversio ordinis; et gravis quidem, si frequens esset (7).

71. His positis, probabile est 1. quod si alio pergis, potes recitare officium illius loci, nisi fueris Religiosus, quia teneris tunc recitare officium Breviarii tui ordinis; ita Laym. Holzm. Bonac. Castrop. et alii. 2. Quod capellani, et commensales Cardinalium et Episcoporum possunt se eis conformare in officio; Holzm. cum communi, ex Decreto S. C. Rituum, et Clem. *Dignum, de cel. Mis.* Et idem dicunt dd. de capellanis Monialium, ut Croix Holzm. Gob. Stoz. etc. et de iis qui obeunt exercitia spiritualia apud Religiosos, Laym. et Gobat. 3. Quod possis recitare officium socii; quia ipsa associatio excusat, modo officium non sit notabiliter brevius, Viva Ronc. Henriq. Quintanad. et alii (8).

72. Si quis advertit errasse, postquam multum processit in officio indebito, potest vel prosequi, vel recitare reliquum de proprio; sed melius erit recitare de proprio; nisi vellet alia die non impedita officium dicere de Sancto illo; quod satis probabiliter admittunt plures dd. (9). Ex consuetudine autem introducta

(1) l. 3. n. 675. dubit. 3. — (2) l. 4. n. 147. — (3) N. 148. v. hic igitur. — (4) N. 149. — (5) N. 150. — (6) l. 4. n. 160. et 161. quær. 3.

(7) N. 161. v. secunda igitur et seqq. — (8) Ib. v. juxta autem. — (9) N. 161 quær. 5.

gravis est obligatio recitandi Litanias s. Marci, et Rogationum, ac officium defunctorum etiam in privato (1).

73. Requiritur 2. *pronuntiatio vocalis*. Hic dubitatur, an recitans debeat se audire ? Alii affirmant : alii tamen non improbabiliter negant, ut doctissimus Sylvius Tournel. Laym. Azor. Spor. Salmant. Trull. Rodr. et alii ; quia in recitatione officii non jubetur auditio, sed pronuntiatio, ad quam non oportet elevare vocem, sed sufficit formare aliquem externum sonitum, qui semper adest, cum verba proferuntur (2). Submisse recitans in choro bene satisfacit (3) : sed non canonicus, qui tenetur canere, juxta dicta *n.* 68. *in fin.* Recitanti autem in choro sufficit si audiat alteram partem in confuso, vel tantum unum ex ea. Quid si non satis percipis in materia notabili alteram partem, propter culpam chori, aut socii ? Alii dicunt quod teneris repetere non auditum ; alii plures negant, quia per ipsam societatem, et tuam applicationem moraliter jam communicas : ita non improbabiliter Sa Major Roncagl. Elbel. Salm. Pelliz. Troll. et alii (4). Surdus autem non satisfacit, quidquid alii dicant : secus vero dicendum de surdastro, si audiat saltem in confuso (5).

74. 3. *Pronuntiatio integra*, id est sine mutilatione, qua sensus verborum notabiliter varietur. Valet tamen officium, si aliqua saltem servetur significatio verborum (6). 4. *Pronuntiatio continuata*, scilicet sine interruptione in qualibet hora ; quæ autem interruptio inducit veniale, nisi aliqua excuset causa (7). Matutinum autem etiam sine causa potest a Laudibus separari ; et sic pariter tres Nocturni, saltem per tres horas (8). Facta tamen interruptione, adhuc culpabili, probabilius non teneris horam repetere, cum quilibet psalmorum versus suam habeat significationem (9). 5. *Horarum Ordo*, scilicet ne invertatur. Inversio tamen non erit nisi venialis, etiamsi fiat frequenter ; et etiam in choro, ut probabilius aiunt Cajet. Gavant. Laym. Sanch. Bonac. etc. (10). Celebrare autem Missam ante Matutinum probabilius et communius non est nisi veniale cum Less. Castr. Conc. Tourn. Sot. Tolet. Bellarm. Croix Salm. et aliis pluribus (11). 6. *Tempus præfixum*. Tempus Matutini incipit ab hora Vesperarum diei antecedentis usque ad meridiem subsequentis (12). Idque probabiliter procedit etiam de officio defunctorum, extra tamen chorum (13). Et de hoc adest etiam Decretum S. C. Rituum apud Ferraris *Biblioth. tom. verb. Litaniæ pag.* 594. *n.* 17. Non idem currit autem de Litaniis (14). An autem satisfaciat dicens Matutinum hora secunda post meridiem ? Alii affirmant, uti Salm. cum Sanchez Trullench. etc., dicendo id hodie permitti ex consuetudine introducta ; sed verius negandum cum Holzman. Croix et Concina ; quia tunc nondum incœpta est hora Vesperarum, quæ est media inter meridiem et occasum : dies enim ecclesiasticus non nisi ab hora Vesperarum incipit. Quod autem consuetudo undique jam introduxerit recitari Matutinum hora secunda post meridiem a majori parte fidelium juxta dicta de consuetudine *Tr. 2. n.* 79., hoc probandum esset ; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita (15). Tempus autem Horarum incipit a media nocte ad meridiem ; Vesperarum et Completorii a meridie ad mediam noctem (16).

75. 7. *Intentio et attentio*. Requiritur *intentio* (scilicet recitandi) saltem virtualis ; sufficit pro illa, si ab initio sumpseris Breviarium ad recitandum. Communissime autem, et probabilius, cum Suar. Castr. Less. Tournely Pontas Vasq. et Croix cum aliis, non requiritur intentio satisfaciendi obligationi : imo recitans implet, etiamsi positive intendat nolle implere, quia implens non potest non implere, cum satisfactio non pendeat a sua, sed a voluntate legis, sive ecclesiæ (1). Requiritur insuper *attentio*, saltem externa, scilicet ne apponatur actio incompatibilis cum attentione interna. An autem requiratur etiam interna ? Alii affirmant requiri internam, quæ fit vel ad Deum, vel ad sensum, vel saltem ad verba, nempe ut recte pronuntientur ; quia alias, prout dicunt, non esset oratio. Alii vero plurimi negant, dicentes veram esse orationem, quæ fit cum intentione orandi, et attentione externa ; ita Lugo Palud. Coninch. Angl. Sylv. Croix et plures alii cum s. Antonino et d. Thoma (2). Ratio 1. quia si attentio interna esset de essentia orationis, ministrans Extremam-Unctionem sine attentione interna invalide ministraret, cum forma hujus Sacramenti sit deprecatoria, *Indulgeat tibi Deus, etc.* ex illo s. Jacobi ; *Orent super eum, ungentes, etc. Ep.* 5. 14. Sed id non potest dici, cum constet ex Florentino ad valorem Sacramenti tria tantum requiri et sufficere, nempe materiam, formam seu verba a ministro prolata, et intentionem ipsius faciendi quod facit Ecclesiæ. Ratio 2. quia si attentio interna de essentia orationis esset, etiam is qui cum involuntaria distractione Horas persolveret, nec etiam satisfaceret. Propter has rationes minime contemnendas, videtur hæc secunda sententia non posse dici improbabilis. Cæterum conveniunt omnes quod, ut dicatur quis non implere, oportet ut non solum advertat distractionem, sed adhuc, ut plene advertat se distrahi ab officio ; alias, licet voluntarie se distrahat, non tamen voluntarie se distrahit a recitatione. Scrupulosus autem propter distractiones nunquam tenetur repetere (3).

76. Quæritur 4. quænam causæ excusent a recitatione officii ? Excusat 1. *infirmitas* gravis, sive grave incommodum. Laborans autem tertiana vel quartana tenetur recitare, et etiam anticipare, si commode potest. Non tenetur tamen anticipare Matutinum in die præcedenti : nullus enim obligatur suo privilegio uti. Si quis commode potest, tenetur dicere officium cum socio. In dubio an ob recitationem graviter lædaris, non teneris ; secus in dubio an excuseris, nisi habeas probabilem rationem : sed melius est tunc ut te remittas medico, aut Superiori, vel saltem viro prudenti. Quando autem urget morbus, si nequis recitare totum, nec teneris ad partem, quia alias magna superesset tibi scrupulosa anxietas, an pergere possis, vel ne, in reliquis recitandis ; ita valde probabiliter Suar. Nav. Sanch. Lugo. Cardenas Roncaglia etc. (4). 2. *Impedimentum* justum, puta si quis occupetur in officio charitatis, quod non posset omittere sine scandalo, aut notabili detrimento proprio, aut alieno, v. g. si nequiret differre concionem sine nota, vel confessiones aliorum in magno concursu (5). 3. *Cæcitas* (6). 4. *Carentia* Breviarii. Teneris tamen dicere quæ mente retines, modo id, quod retines, pertingat ad quantitatem saltem parvæ Horæ. Et si cares officio proprio, teneris recitare ex communi. Item si absque magno incommodo potes socium adhibere, teneris. An autem beneficiarius teneatur etiam conducere socium ad Horas persolvendas, si nequit solus ? Adest duplex sententia probabilis ; sed affirmativa est communior et tutior : imo omnino sequenda, si ille velit fructus percipere ; cum sola enim probabilitate

(1) N. 160, quær. 1. et 2. — (2) l. 4. n. 163. — (3) Ib. v. an autem. — (4) Ib. quær. 2. — (5) Ib. quær. 3. — (6) N. 165. — (7) N. 166. — (8) N. 167.

(9) N. 168. — (10) N. 169 et seqq. — (11) Vide l. 6. n. 347. v. quær. — (12) Lib. 4. n. 174. — (13) Ib. quær. 2. — (14) Ib. quær. 3. — (15) Ib. quær. 1. — (16) N. 173. v. tempus.

(1) 4. 4. n. 176. — (2) N. 177. v. tertia.

(3) Ib. v. cæterum. — (4) N. 154. et 155. — (5) N. 156. — (6) N. 157.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA GENERAL DE TEOLOGÍA

opinionis oppositæ nequit possessionem fructuum inchoare, ut recte aiunt Less. Soto Salm. Concina Tournely Bon. et alii communiter (1), juxta dicta *Tr.* 10. *n.* 8. 5. Excusat *dispensatio* Pontificis ; et etiam proprii Episcopi (ad breve tamen tempus), si adsit causa : puta si dubitetur de morali impotentia (2).

§. III. De censuris in genere.

(In hoc paragrapho ponuntur tantum definitiones, divisiones, et principia, relictis quæstionibus, aliisque notitiis, quæ habentur *Tr.* 19. ubi fuse egimus de censuris).

77. Quæritur 1. quid et quotuplex est censura ? *Censura est pœna spiritualis et medicinalis, per quam delinquenti et contumaci per ecclesiasticam potestatem aufertur usus quorumdam spiritualium bonorum.*

78. Dividitur censura 1. in excommunicationem, suspensionem, et interdictum. 2. In eam quæ est *a jure*, nempe quæ fertur per legem generalem et permanentem, et eam quæ est *ab homine*, quæ scilicet fertur a Prælato per particularem sententiam. 3. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæque incurritur ipso facto ; et *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur nisi post sententiam, prout sunt censuræ latæ verbis futuri temporis : vide in *cit. Tr.* 19. *n.* 2.

79. Quæritur 2. quis potest ferre censuras ? Possunt omnes Superiores ecclesiastici habentes jurisdictionem in foro externo, vel ordinariam, prout Pontifex Concilia, Episcopi, et ipsorum Vicarii, item Vicarii capitulares et Capitula religionum, eorumque Prælati ; vel delegatam, ut sunt ii, quibus ab habente ordinariam facultas committitur ; vide *Tr.* 19. *n.* 3. Quæritur 3. quid requiratur, ut quisquis possit ligari censuris ? Requiritur 1. ut sit homo. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos. 4. Ut sit persona determinata. 5. Ut sit subditus. Quoad peregrinos vero vide *ibid. n.* 6. Quæritur 4. quid requiratur ad incurrendam gravem censuram, puta excommunicationem majorem, vel suspensionem totalem, aut ad longum tempus ? Requiritur 1. peccatum grave, et ut materia sit etiam per se gravis, aut saltem valde conducens ad finem intentum ; at in dubio Superioris præceptum certe ligat. 2. Actus externus. 3. Actus consummatus. 4. Contumacia, ita ut delinquens sciat crimen, non solum vetitum esse jure divino, sed etiam ecclesiastico. Vide autem illationes quæ ex his inferuntur *cit. Tr.* 19. *n.* 7. Quæritur 5. quis possit a censuris absolvere ? A censura lata per sententiam particularem ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus Superior, aut successor, aut delegatus. Ab illa autem quæ lata est a jure, vel ab homine per sententiam generalem (modo non sit reservata) potest absolvere quivis confessarius ; vide *ibid. n.* 11.

80. Hic autem notandum 1. quod Episcopi ex *cap.* 6. *Liceat sess.* 24. in Trid. possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto ; exceptis iis (quæ oriuntur ex homicidio voluntario, et aliis deductis ad forum contentiosum. Item possunt absolvere a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis, quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum. De hoc vide *Tr.* 20. *n.* 29. *et seq.* Hanc autem facultatem potest Episcopus etiam generaliter aliis delegare ; *ibid. n.* 34. Notandum 2. quod prædicta facultas verius sublata est Episcopis respectu ad hæresim, et alios casus reservatos in Bulla *Cœnæ* ; *ibid. n.* 38. Si tamen quis sit impeditus adire Romam, bene potest absolvi ab Episcopo : absolute quidem, si impedimentum est perpetuum : sub juramento vero adeundi Romam, si est temporale, exceptis semper mulieribus et pueris ; vide *ibid. n.* 40. *ad* 45. Insuper hic obiter notandum 3. quod excommunicatio papalis in violantes immunitatem ecclesiasticam, a qua absolvenda Clemens VIII. etiam Regularibus facultatem abstulit, prout diximus in *Tr.* 20. *n.* 99., illa tantum incurritur ab iis, qui violenter et injuste extrahunt ab ecclesia confugientes ad eam ; Clemens enim in suo Decreto nullam aliam excommunicationem Regularibus vetavit absolvere respectu ad violantes immunitatem, quam illam quæ declarata fuit a Gregorio XIV. qui in Bulla 7. declaravit violantes immunitatem, per extractionem confugientis ad ecclesiam, incurrere ipso facto eamdem excommunicationem papalem, quæ prius fulminata fuit in violantes libertatem ecclesiasticam a Paulo II. in *Extrav. Etsi Dominici, de Pœnit. et Rem.* et a Sixto IV. in alia *Extrav. Etsi Dominici, eod. tit.* Qui Pontifices hujusmodi excommunicationem ita sibi reservarunt, ut in generali concessione absolvendi a casibus pontificiis, hæc non comprehenderetur. Nec obstat textus in *cap. Cum pro tua Sent. exc.* ubi, cum aliquis in claustro cujusdam monasterii quemdam clericum verberasset, dicitur in textu illum duplicem incurrisse excommunicationem, unam quia percussit clericum, alteram quia læsit immunitatem. Nam communiter notant dd. cum Fagnan. in cit. *cap. n.* 10. excommunicationem illam ob læsionem immunitatis impositam fuisse non a jure, sed ab ipso Episcopo : ita Abbas Cardinal. Ancharam. cum Innoc. qui verbo, *duplicem*, sic adnotavit : *Duplicem, id est ob injectionem manuum ipso jure, et violationem claustri ab ipso* (Episcopo) *latam.* Hinc Fagnan. cum aliis in *cap. inter alia de Immun. eccl. n.* 102. ut certum habet nullam adesse excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam contra percutientes, vel furantes in ecclesia.

(1) Ibid. et 158. et vide lib. 3. n. 761. quær. 2.— (2) Lib. 4. n. 159.

§. IV. De censuris in specie.

Et I. *De excommunicatione.*

81. *Excommunicatio est censura, per quam privatur homo communione ecclesiastica.* Est duplex ; *minor*, quæ privat tantum usu passivo, seu receptione Sacramentorum ; vide *Tr.* 19. *n.* 27., et *major* quæ privat etiam activo et omni communicatione, ut infra mox dicemus *num.* 83.

82. Excommunicatus potest esse vel toleratus, vel vitandus. *Toleratus* est quem fideles non tenentur vitare, ex Constit. *Ad evitandum*, Concilii Constantiensis, nec etiam in Divinis ut probabilius aiunt dd. vide Tr. cit. n. 15. Et idem dicitur de suspensis et interdictis toleratis. *Vitandus* est, quem fideles tenentur vitare. Et dupliciter quis potest esse vitandus, vel quia est nominatim excommunicatus et denuntiatus : vel quia est publicus percussor clerici, vel Monachi ; ita tamen, ut factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari, ut dicitur in *can. Si quis suadente*, 17. *qu.* 4. Vide cit. *Tr.* 19. *n.* 16. Hæc autem excommunicatio, si percussio est enormis, vel gravis, et publica, tantum a Papa absolvitur, nisi percussor sit mulier, aut impubes ; hi enim possunt absolvi ab Episcopo, qui potest etiam absolvere a percussione levi adhuc publica : et adhuc a gravi, vel enormi, si sit occulta ; vide *Tr.* 20. *n.* 46. *ad* 48.

83. Excommunicatus igitur excommunicatione majori (est(sit toleratus) privatur 1. suffragiis Ecclesiæ. 2. Beneficiis, ita ut collato beneficio ipsi facta sit omnino nulla. 3. Susceptione et administratione Sacramentorum ac omni usu divinorum officiorum. 4. Omni communicatione spirituali et civili cum fidelibus. Ex alia parte peccant fideles, si communicant cum excommunicato vitando, sive in Divinis, nempe si cum eo Missam audiant, officium recitent, sive in civilibus, scilicet si illum alloquantur, cum eo habitent, societatem ineant, eum salutent, scribant,

ei ; quæ omnia comprehenduntur illo versu : *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*. Hi autem communicantes in tribus casibus peccant graviter. 1. Si communicent in Divinis. 2. Si in contemptum Ecclesiæ. 3. Si in crimine criminoso, id est si communicant in eodem crimine (puta concubinatu) ob quod ille est excommunicatus, et in hoc tertio casu incurrunt etiam excommunicationem majorem ; in aliis vero (regulariter loquendo) peccant tantum venialiter, et ligantur sola excommunicatione minori ; a qua culpa et excommunicatione excusat necessitas, utilitas, lex conjugii, subjectio et ignorantia, quæ alio versu continentur : *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*. Vide de his *Tr.* 19. *Punct.* 2. *a. n.* 23. *ad* 27. Dixi, *regulariter loquendo*, nam esto sit probabile quamcumque communicationem civilem cum vitando esse tantum venialem, probabilius tamen est esse mortalem, si sit frequens, cum proposito frequenter cum eo communicandi ; vide *ibid. n.* 22.

II. *De suspensione.*

84. Suspensio *est censura, qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur*. Multipliciter autem dividitur suspensio. 1. Alia est a jure, alia ab homine. 2. Alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat : alia fertur absolute, quæ manet donec per absolutionem auferatur. 3. Alia est ab officio, nempe Ordinis, vel jurisdictionis ; alia a beneficio ; et alia ab utroque, tam ab officio, quam a beneficio, vide quæstiones super hac censura *tr.* 19. *ex n.* 64. *ad.* 67.

III. *De depositione.*

85. Depositio *est quæ privat simpliciter omni usu officiorum et beneficiorum*. Depositio autem alia est *realis*, quæ dicitur etiam degradatio. Alia *verbalis*, quæ absolute dicitur depositio. Prima fit cum solemnitate, et privat privilegio tam fori, quam Canonis absque spe restitutionis. Secunda vero fit sine solemnitate, et utroque privilegio retento ; vide *tr.* 19. *n.* 67.

IV. *De interdicto.*

86. Interdictum *est censura ecclesiastica prohibens usum tam divinorum officiorum, quam aliquorum Sacramentorum, et etiam ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est*. Dicitur *quatenus talis est*, quia excommunicatio etiam privat eodem usu, sed quatenus est communicatio cum fidelibus ; suspensio autem non impedit proprie usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticæ. Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum ; aliud *personale* immediate afficiens personas. Potest esse etiam mixtum, quod afficit immediate tam locum, quam incolas. Vide alia *tr.* 19. *n.* 68. Adest etiam *cessatio a Divinis*, quæ definitur : *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura*. Hæc non est censura, nec imponitur per modum medicinæ, sed tantum in signum mœstitiæ, ob aliquam gravissimam injuriam Deo vel ecclesiæ irrogatam. Ipsa imponi potest, a quibus imponuntur censuræ.

V. *De irregularitate.*

87 Irregularitas *est impedimentum canonicum, Ordinum sacrorum susceptionem, et susceptorum usum impediens*. Dictum est *impedimentum*, non censura ; quia sic vult communior et probabilior sententia, vide *tr.* 19. *n.* 73. Notandum hic 1. quod irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressa, ex *cap. Is qui, de Sent. excom.* Unde in dubio non incurritur, nisi dubium sit circa homicidium factum ; in dubio enim, an quis ad illud concurrerit vel ne, habetur ut irregularis ; *ibid. n.* 79. *et* 80. Notandum 2. quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur saltem scientia legis ecclesiasticæ prohibentis. An autem etiam scientia

pœnæ ? Probabiliter adhuc affirmant Nav. Silvest Sanch Castrop. Ronc. etc. Vide *ibid. n.* 83. *et* 84. Irregularitas tollitur 1. per cessationem causæ, si sit ex defectu ætatis, ignorantiæ aut paupertatis, vel infamiæ facti, quæ tollitur etiam per mutationem loci, aut per emendationem ; nam alias, si est juris, scilicet per sententiam requiritur dispensatio. 2. Per Baptismum (si sit ex delicto). 3. Per dispensationem. 4. Per professionem religiosam ; vide *ib. num.* 85. *ad* 87.

88. Irregularitas alia est ex *delicto*, alia ex *defectu*. Irregularitates ex *delicto* sunt sex : 1. ob Baptismum serio et scienter iteratum, et tunc fit irregularis tam baptizans, quam baptizatus ; vide *tr.* 19. *n.* 88. 2. Ob violationem censuræ, nempe si quis ea innodatus scienter exercet actum Ordinis solemniter ; *n.* 89. 3. Ob peccatum, quo clericus scienter et serio actum Ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet ; *n.* 90. 4. Ob aliquas furtivas susceptiones Ordinum, id est 1. si quis accipit Ordinem sine approbatione Episcopi, ex *cap.* 1. *de Eo, qui furt., etc.* 2. Si absque dispensatione ejusdem suscipit eadem die plures Ordines, quorum unus est sacer, ex *cap.* 2. *et* 3. *eod. tit.* 3. Qui post matrimonium contractum ante consummationem accipit Ordinem sacrum, uxore renitente, ex *Extr. Antiquæ de Voto*. Vide *cit. tr.* 19. *n.* 91 Diximus autem *ob aliquas*, nam aliæ furtivæ Ordinum susceptiones (enumeratæ in hac *app. n.* 46.) inducunt tantum suspensionem (Papæ quidem reservatam, si est publica), sed non irregularitatem. Et idem probabiliter dicendum de eo qui censura irretitus sacrum accipit Ordinem, scilicet quod non fiat irregularis, nisi in ipsa ordinatione Ordinem ultro exerceat, juxta dicenda hic *n.* 91. 5. Ob enormia crimina, si sint publica et notoria facto, vel jure, habeantque a jure annexam infamiam, ut sunt adulterium, incestus, sodomia, perjurium in judicio, hæresis, simonia, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, raptus mulierum, et similia. Hæc tamen irregularitas, si est facti, tollitur per emendationem, si juris per dispensationem ; vide *tr.* 19. *n.* 92. 6. Ex injusta mutilatione ; et tanto magis ex homicidio voluntario ex *c. Si quis*, 1. *de Homic.*, et ex *Clement. unic. eod. tit.* Hæcque irregularitas extenditur etiam ad mandantes, consulentes, aut aliter concurrentes, ex *c. Si quis viduam, Dist.* 50. Vide alia super hoc puncto *tr.* 19. *n.* 94. *et seq.*

89. Irregularitates autem ex *defectu* sunt octo. 1. Ex defectu *animæ*, ex quo irregulares sunt 1. amentes, phrenetici, et epileptici. 2. Illiterati, juxta dicta hujus append. *n.* 35. 3. Neophyti seu recenter conversi. 2. Ex defectu *corporis*, nempe si quis habet vitium, quod vel impedit congruum exercitium Ordinis, vel notabilem affert indecentiam. Ex primo capite *impedimenti* sunt irregulares cæci, surdi, muti, carentes manu, aut digitis omnibus, aut pollice, vel indice. Ex secundo autem capite *deformitatis*, sunt irregulares leprosi, carentes nasu, et aliter monstruosi, puta habentes gibbam valde enormem ; vide *tr.* 19. *n* 1. 6. *ad* 125. 3. Ex defectu *natalium*, ex quo sunt irregulares omnes illegitimi, qui tamen legitimantur, vel per subsequens matrimonium, vel per professionem religiosam, vel per dispensationem Pontificis ; vide *ibid n.* 126. *ad* 129. 4. Ex defectu *ætatis*, de quo vide dicta hujus append. *n.* 42. *et* 44. 5. Ex defectu *Sacramenti*, nempe ex bigamia : dicitur *Sacramenti*, eo quod duas ducens uxores nequit apte significare unionem Christi cum Ecclesia, quæ fuit unica ejus sponsa. Bigamia autem triplex est, quæ impedit a susceptione Ordinum, scilicet 1. *Vera*, quando quis cum duabus successive verum contraxit matrimonium. 2. *Interpretativa*, quando

quis sola fictione juris censetur duas habuisse uxores, de quo vide *cit. tr. 19. n.* 131. *et seq.* 3. *Similitudinaria* quæ contrahitur ex attentione matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel cum virgine, post votum solemne emissum in religione, vel post susceptionem sacri Ordinis; vide *ibid. n.* 138. 6. Ex defectu *infamiæ;* de qua vide dicta hujus append. *n.* 88. ad 5. nam irregularitates ex defectu et ex delicto ob infamiam in idem coincidunt. 7. Ex defectu *libertatis* : unde sunt irregulares 1. omnes servi, proprie dicti. 2. Conjugati. 3. Curiales obligati curiæ propter juramentum, aut stipendium. 4. Milites, saltem quamdiu juramento tenentur : vide *tr.* 19. *n.* 140. *ad* 144. 8. Ex defectu *lenitatis*, scilicet ex licita mutilatione membri, quæ fit a chirurgis cum incisione, vel adustione, vel ex licito homicidio in bello justo offensivo, aut in judicio per cooperationem activam, efficacem, proximam, et ad occisionem ordinatam; vide *ib. n.* 144. *ad* 147.

Sectio II. *De diaconatu.*

90. *Quid diaconatus et quæ ipsius materia et forma?*
91. *Officia diaconi. Censura ligatus, etc. de pœnitentia imposita ab Episcopo, an implenda sub gravi*

90. Diaconatus est *Ordo, quo confertur potestas immediate assistendi sacerdoti in Missa, porrigendo ei patenam cum hostia, et calicem cum vino: item legendi Evangelium, et prædicandi.* Sententia nobis probabilior (juxta dicta hujus append. *n.* 29.) tenet unicam diaconatus materiam esse manuum Episcopi impositionem, unicamque formam esse verba Episcopi : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, etc.* Sed quia altera sententia etiam est probabilis, ideo tenenda, nempe quod porrectio instrumentorum etiam sit materia integralis partialis; ac propterea dicendum quod materia diaconatus est duplex, scilicet impositio manus dexteræ Episcopi, cum forma : *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, et traditio libri Evangeliorum cum forma : *Accipe potestatem legendi Evangelium, etc.* Ambo autem sunt materiæ et formæ partiales unum Ordinem constituentes. Valeret etiam traditio Bibliorum, quia ibi jam continentur Evangelia. Sed dices : ab initio quomodo ordinabantur diaconi, quando deerat liber Evangeliorum? Respondetur Christum Dominum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi in specie materias et formas Sacramentorum, quorum ipse non determinavit. Et juxta hanc sententiam character imprimitur in *ipsa libri traditione*, ut dicit d. Thomas, sive in prolatione secundæ formæ (1), ita juxta hanc sententiam; sed vide dicta *tr.* 17. *n.* 14. *ad* 16.

91. Officia diaconi (præter dicta) sunt, 1. solemniter baptizare; sed nonnisi de licentia parochi, et in gravi necessitate : alias diaconus, qui baptizat solemniter sine commissione, etiam in necessitate, irregularitatem incurrit. 2. Ministrare Eucharistiam; sed pariter id non licet, nisi fiat ex commissione parochi, et in necessitate gravi, nempe si populus sit communicaturus, et desit sacerdos (2); alias si ministrat sine commissione, etiam fit irregularis (3). 3. Deferre pyxidem aut ostensorium cum Eucharistia. 4. Prædicare, et lavare corporalia in defectu subdiaconi. Diaconus autem censura ligatus irregularitatem incurrit, si ministrat, juxta dicta *n.* 88. ad 2. Qui vero irretitus censura diaconatum suscipit, non fit irregularis, nisi in Missa ordinationis ultro Ordinem susceptum exerceat (4). Quæritur an obliget pœnitentia imposita diaconis et subdiaconis ab Episcopo recitandi Nocturnum diei currentis, et sacerdotibus tres Missas celebrandi? Alii affirmant; sed probabiliter alii

(1) Lib. 6 n. 748. — (2) N. 237. quær. 1. —(3) N. 234.— (4) N. 799. dub. 3. v. utrum.

(ut Soto, Valentia, Castr. Pelliz. Gobat. etc.) dicunt dicendas tantum de decentia, non autem de obligatione, saltem non gravi, cum de ea non constet (1).

Sectio III. *De presbyteratu.*

92. *et* 93. §. *I. Quid presbyteratus? et quæ materia et forma?*
94. *De defectibus supplendis.*
95. §. *II. De Sacrificio Missæ. Quid sacrificium, et quotuplex?*
96. *Quid Missa.*
97. *I. Quæ requirantur ad Missam? De materia Missæ, et hic de pane.*
98. *De vino.*
99. *De præsentia materiæ.*
100. *De forma.*
101. *Qu. II. Quomodo Christus sit præsens?*
102. *III. Effectus Missæ.*
103. *Pro quibus offerri possit?*
104. *Qu. IV. Quotuplex fructus?*
105. *An Missa sit infiniti valoris?*
106. *Qu. V. de stipendio licito.*
107. *Dilatio Missæ.*
108. *Retentio partis eleemosynæ.*
109. *An parochus, etc.*
110. *Applicatio.*
111. *Qu. VI. Obligatio celebrandi.*
112. *Qu. VII. An omnes Rubricæ sint præceptivæ.*
113. *Qu. VIII. Quando Missa possit dici? An ante Matutinum? et an in die Cœnæ Domini, et Sabbati sancti?*
114. *Qu. IX. Ubi Missa dicenda.*
115. *De pollutione ecclesiæ.*
116. *Qu. X. Quæ requirantur ad celebrandum? I. Altare.*
117. *II. Calix et patena.*
118. *III. Vestes.*
119. *IV. Corporale.*
120. *V. Palla.*
121. *VI. Missale.*
122. *VII. Crux cum Crucifixo.*
123. *Neopresbyteri an consecrent, etc.*
124. *An tres Missæ injunctæ, etc.*
125. *Missa dicenda alte, breviter, etc.* (*de celebrantibus nimia celeritate loquti sumus tract.* 15. *a n.* 84.)
126. *De Missis votivis.*
127. *Quando pluries in die, etc.*
128. *Sidum celebratur, polluitur ecclesia, vel accedat excommunicatus.*
129. §. *III. De potestate sacerdotali. Sacerdos simplex tantum Eucha-*

(1) N. 820

ristiam potest conficere, et ministrare, et pœnitentiam in necessitate.
130. *Scitu necessaria cuilibet sacerdoti circa ministrandam pœnitentiam in necessitate.*
131. *et* 132. §. *IV. De modere docendi, et prædicandi.*

§. I. *De ordine presbyteratus.*

92. Presbyteratus *est Ordo, quo confertur potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Jesu Christi, et absolvendi fideles a peccatis.* Ordo autem sacerdotii institutus fuit a Christo in cœna, cum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et post resurrectionem, quando dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quænam est materia presbyteratus? Juxta nostram probabiliorem sententiam (ut diximus hic *n.* 29. et *tr.* 17. *n.* 16.) est unica, nempe secunda impositio manuum Episcopi una cum presbyteris. Sed probabilis est etiam sententia quod sit duplex nempe traditio calicis cum vino, superposita patena cum hostia, cujus forma est : *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, etc.* Et tertia impositio manuum, cujus forma : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, etc.* Et hæc sententia, cum sit probabilis, omnino in praxi tenenda est (2); vide dicta *tr.* 17. *n.* 16.

93. Hinc dicimus 1. quod in ordinatione sacerdotum una cum calice et patena, tradenda est utraque species, nempe panis et vini; aliter non daretur directa potestas ad integrum Sacrificium; et eodem tempore debet tradi, cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis; ita probabilior sententia, quæ omnino tenenda est (3). Item debet tradi ab eodem ordinante et celebrante, ut dictum est hic *n.* 53. *in fin.* Dicimus 2. quod non sufficit tangere tantum calicem, et non patenam, cum probabilis sit sententia utrumque esse tangendum (4). Dicimus 3. quod li-

(2) Vide l. 6. n. 749. —(3) N. 750.— (4) N. 753.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cet ex communi sententia valide ordinatus sit, qui tantum hostiam, et non patenam tetigit : quia hostia et vinum sunt materia substantialis ; et calix ac patena tantum ob decentiam adhibentur ; attamen consultum est, ut talis ordinatio repetatur, cum quatuor dd. de ea dubitent, et in Pontificali (ubi fit sermo de materia) dicitur : *Et cuppam calicis, et patenam simul tangant* (1) : et idem videtur dicendum de eo qui tangit tantum patenam, et calicem, et non hostiam (2).

94. Quæritur, quando defectus suppleri debeant in ordinatione presbyteratus ? Si defectus est circa *essentialia*, nempe circa materiam vel formam, omnino ordinatio repetenda est ; et quidem tota, si defectus, sive ejus dubium vertitur quoad traditionem primæ potestatis super Corpus Christi reale ; si vero quoad secundam circa corpus mysticum, tantum secunda repeti debet. Si autem defectus est circa *accidentalia*, tunc si est de re levi, puta si ordinatus non dixerit canonem, talis cæremonia (aut similis) non oportet repeti ; si autem in re gravi, quia si defuerit unctio manuum, vel si Neopresbyter non protulerit verba consecrationis cum Episcopo, tunc defectus quamprimum supplendus est, et ab eodem Episcopo (si fieri potest) ; alias graviter peccaret ordinatus id negligendo, aut in Ordine ministrando (3). Quonam autem tempore præfati defectus suppleri debeant ? Respondetur quod si sint circa accidentalia, probabiliter quovis tempore suppleri possunt ; si vero circa essentialia, idem dicunt Salmanticenses cum aliis : sed ex probabiliori et communiori sententia supplendi sunt temporibus statutis ordinationum, ut colligitur ex *c. Presbyter, de Sacr. non iter.*, nisi agatur de solo dubio validitatis ordinationis, ut probabiliter plures dd. opinantur (4).

(1) N. 751.— (2) L. 6. n. 752.— (3) N. 758. — (4) N. 759.

§. II. *De Sacrificio Missæ.*

95. Sacrificium (loquendo in genere) sic definitur : *Est oblatio rei sensibilis facta Deo per immolationem in signum ejus supremi dominii.* Quadruplex autem potest esse Sacrificium : *latreuticum*, ad Deum colendum : *eucharisticum*, ad gratias agendas : *impetratorium*, ad beneficia impetranda : *propitiatorium*, ad veniam obtinendam.

96. Missa vero definitur sic : *Est Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christi consecratio et oblatio.* Et est verum Sacrificium, omnium aliorum rationem complectens ; eademque est hostia, quæ in cruce oblata fuit, *sola offerendi ratione diversa*, ut docet Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. Essentiam Sacrificii alii dicunt consistere in *consecratione*, alii in *oblatione*, alii in *sumptione*, alii demum probabilius in *consecratione* simul et *sumptione*, ut Bellarm. Soto Bonac. Tournely (5). Ad essentiam autem Sacrificii probabilius requiritur consecratio utriusque speciei, nempe panis et vini, aliter non satis exprimeretur commemoratio Sacrificii cruenti Crucis (6).

97. Quæritur 1. quæ requirantur ad Missam perficiendam ? Tria sunt necessaria : *intentio*, *materia* et forma. Requiritur *intentio* consecrandi, sive conficiendi Sacramentum, saltem virtualis, scilicet quæ perseveret ex intentione actuali prius habita : quam certe habet qui paratur et accedit ad celebrandum, juxta dicta hic *n.* 9. Plura nunc sunt notanda de materia et forma Missæ. *Materia* est ipse Christus Dominus, realiter existens sub speciebus panis et vini. Panis consecrandus debet esse usualis et communis, ex farina triticea, et aqua naturali (saltem pro majori parte) confectus, igneque coctus per modum panis, et non cum alia materia ex æquo vel quasi permixtus (ut ait d. Thomas), ac non corruptus, aut corruptioni proximus ; alias non

(5) N. 305.— (6) N. 306.

est materia apta. Ut autem sit materia licita, in Ecclesia Latina panis debet esse azymus, in Græca fermentatus (1). Hic autem notandum 1. quod si Græcus transit per loca Latinorum (et sic Latinus per Græciam), ubi non sit ecclesia, in qua ritus Græcus servetur, potest pro suo arbitrio in azymo et in fermentato celebrare ; ita communiter dd. (2). Notandum 2. quod consecrare hostiam fractam, vel maculatam non licet ; sed non est mortale, nisi fractura vel macula esset valde enormis ; ut dicunt Quarti Pasqual. ; et La-Croix addit cum Gobat, quod si fractura deprehendatur post oblationem, talis hostia licite consecrabitur, secluso scandalo populi (3). Notandum 3. quod hostia debet esse figuræ orbicularis, et major pro sacerdote ; si vero major desit, ut dicunt Roncag. Quarti Elbel Gobat et Tamb., probabiliter potest sacerdos, etiam causa devotionis, consecrare minorem, modo (advertunt) absit populi scandalum ; sed addunt quod hoc scandalum facile præcaveri potest, monendo populum de defectu hostiæ majoris (4).

98. Vinum autem debet esse ex uvis expressum, cui ex gravi præcepto Ecclesiæ modica aqua est in calice admiscenda (ad significandam unionem fidelium cum Christo), quæ saltem non excedat tertiam vini partem ; quamvis hanc opinionem aliqui dd. non admittant, nisi vinum sit generosum. Sufficit vero admiscere unam aquæ guttam (5). Non est materia apta vinum ex agresta, nec acetum nec vappa (id est vinum cujus vis evanuerit), nec lora (vulgo *Acquata*). Vinum autem cum alio liquore etsi modico mixtum, vel mustum de uvis tunc expressum, est quidem materia apta ad Sacramentum, sed graviter illicita, ut dicitur in Rubrica ; ubi idem docetur de vino, quod *cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre.* Dicunt tamen La-Croix Gobat. et Sporer (6), quod deficiente alio vino, licet uti vino tantum parum acescente : ait enim Card. Lambertinus (*Notif.* 77. *n.* 2.) quod præfata Rubrica deducta est ex doctrina s. Thomæ 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *ad* 2. qui docet non posse quidem Sacramentum confici de aceto, *posse tamen de vino acescenti, quod est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Unde rubrica non vigetur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniæ, sed tantum illos qui tam proxime incipiunt constituere vinum acescens, vulgo dictum : *vino colla punta*, sive *andato allo spunto.* Nec licet consecrare in vino congelato, nisi liquefiat dum consecratur (7). Quod autem vinum congelatum sit materia apta, nequit dubitari, dum dicitur in Rubrica (*de Defectu* §. *in hyeme*) : *Si in hyeme Sanguis congelatur in calice, involvatur calix pannis calefactis, etc. donec liquefiat.* Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini, alias desineret esse ibi Sanguis Christi (8). Quid si celebrans in sumptione adverteret vinum esse corruptum ? Alii dicunt sufficere, ut sola fiat consecratio vini. Sed melius est juxta Rubricam (nisi adsit scandalum) iterum vinum et novam hostiam consecrare, incipiendo a verbis : *Qui pridie, etc.* vide dicta *Tr.* 15. *n.* 54. Et in dubio an fuerit materia apta, etiam est repetenda consecratio vini sub conditione, ut verius aiunt Croix Pasqual. et Aversa (contra Tamb. et Spor.) quia possidet obligatio faciendi Sacramentum integrum (9).

99. Insuper ad validam consecrationem requiritur ut materia 1. sit sensibiliter (saltem moraliter) præsens ; unde invalide consecratur materia tam valde modica, ut nequeat sensu percipi, aut valde remota, vel

(1) N. 198. ad 205. — (2) N. 203. — (3) L. 6. n. 204. — (4) N. 205. — (5) N. 208. et 210.

(6) N. 206. et 207. quær. 1. — (7) Cit. n. 207. quær. 2. — (8) Ibid. — (9) N. 206. v. quoad.

positum post tergum, aut parietem. Dicitur vero *saltem moraliter*, quia bene consecrat cæcus, vel existens in tenebris, si aliunde certus sit moraliter de præsentia materiæ (1). Requiritur 2. ut sit certa et determinata; saltem aliquo modo certo; tunc autem jam consecratur ex intentione virtuali; licet de ea sacerdos consecrando obliviscatur (2). Si autem ciborium tempore consecrationis remanserit extra altare, probabilius est ipsum rursus esse sub conditione consecrandum, ut docet Card. Lambertinus (3), tunc enim dubium est an sit facta consecratio (4). Quoad guttas autem vini separatas, sed intra calicem existentes, ait La-Croix (5), expedire, ut sacerdos intendat ea consecrare, ne quid sit in calice non consecratum. Sed melius mihi videtur, id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis (6). Si afferantur hostiæ parvæ paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta ; Gavant. Tanner. Possev. Aversa etc. Id probabiliter fieri potest etiam post canonem incœptum, ut aiunt Gobati Quarti Burghab. Possev. Diana Tamb. et Card. Lambertin. (7) saltem si aliter plures Communione carerent; aut etiam (censeo) si communicaturus non posset expectare, vel si persona gravis aut nobilis Communionem petat, dum propter hujusmodi causas permittunt s. Anton. Silv. Bon. Sa Barb. March. Possev. Gob. Dicastil. etc. dari posse etiam partem Hostiæ magnæ, vel dividi Hostias minores in plures particulas (8).

100. Forma autem Eucharistiæ sunt verba, quæ proferuntur in consecratione panis et vini. An autem in consecratione vini sola verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, vel etiam alia ? Utraque sententia est probabilis ; sed certe graviter peccat reliqua omittens (9). An vero ad consecrationem requirantur de necessitate Sacramenti verba præcedentia : *Qui pridie quam pateretur etc.?* Communis sententia negat, sed Scotus dubitat, ejusque sententiam Du-Pasquier et Continuator Tournely dicunt non carere omni probabilitate; atque ego dicere improbabilem non audeo (10). Forma autem Eucharistiæ debet proferri *recitative et significative*, id est referendo verba Christi, et applicando illa ad materiam præsentem, ut transmutetur ipsa in Corpus et Sanguinem Christi, ut aiunt Concina et Salm. cum d. Thoma (11). Si quis autem propter balbutiem diceret, *Hoc est colpus meum*, vel *copus meum*, vel *corpus meus*, vel *calis*, vel *sanguis*, valide consecrat, ut Suar. Lugo Croix, et alii communiter ex *cap. Retulerunt. de Cons. D. 4.* ubi baptismum collatum, *In nomine Patria, et Filia, etc.* validum declaratur : ratio est, quia voces ita sunt constitutæ, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent, modo alium sensum non ingerant (12). Hic autem advertendum sedulo id quod ait Rubrica (*tit. 5. n. 2.*) : *Si celebrans non recordatur se dixisse quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet turbari* (scil. repetere). *Si vero valde probabiliter dubitat se aliquod essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.*

101. Quæritur 2. quomodo Christus sit præsens in Eucharistia ? Respondetur, Christum in Eucharistia non esse præsentem per *productionem, nec per adductionem* de cœlo, sed per conversionem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, cui conversioni convenienter aptatum est nomen *Transubstantiationis*. Christus autem sub panis et vini specie-

(1) N. 211. ad 213. — (2) N. 214. ad 215. — (3) De Sacr. Miss. lib. 3. c. 18. n. 6. — (4) L. 6. n. 217. — (5) Lib. 6. p. 1. n. 449. — (6) Vide opus nostrum l. 6. n. 215. v. quær. — (7) Lamb. de Sacr. Mis. l. 3. c. 18. n. 5. — (8) Vide opus nostrum l. 6. n. 217. v. 4. si parvæ.

(9) N. 223. — (10) N. 222. — (11) N. 220. in fin. — (12) N. 221.

ciebus continetur sacramentaliter, et ineffabili modo, qui debet credi, sed intelligi non potest (*verbis exprimere vix possumus*, ait Trident. *sess. 13. c. 1.*); Salvator enim existit ibi sine extensione partium in ordine ad locum, et tamen est ibi totum Christi Corpus cum anima et Divinitate per concomitantiam : et unaquæque pars Christi ibi extra aliam existit. Atque Christus est *totus et integer sub qualibet ipsius speciei parte*, ut docet Trid. *sess. 13. cap. 3.* Id tamen intelligendum, *separatione facta*, ut exprimitur ibidem *can. 3.*; nam licet sententia universe affirmans sit communior, non desunt tamen qui oppositum tuentur. In Eucharistia autem, licet non sumatur persona Patris, nec Spiritus S. prout sumitur persona Verbi, quæ est hypostatice humanitati unita, tamen sunt in Eucharistia etiam personæ Patris et Spiritus sancti ob naturalem unionem, sive naturæ divinæ identitatem, quam habent cum Verbo.

102. Quæritur 3. quinam sint in Missa offerentes, et quinam effectus Missæ ? Offerentes sunt tres : Christus qui est principalis offerens, Ecclesia, et sacerdos, qui offert ut minister tam Christi, quam Ecclesiæ ; ita Bellarm. (1). Effectus autem Missæ sunt quatuor. 1. Est *remissio peccatorum*, non quidem immediate et per se, sed mediate per auxilium quod in Missa impetratur ad pœnitentiam, qua venia deinde obtinetur : ita communiter Bell. Suar. et alii cum d. Thoma (2), qui ait Missam *delere peccata, in quantum gratiam contritionis impetrat*. Idque recte docent et communissime aa. cum eodem s. Doctore (*loc. cit. art. 2. ad 1.*) contra Canum et Valentiam, procedere tam de mortalium, quam venialium culparum remissione (3). 2. Est *remissio pœnarum* ; hæ per Missam immediate remittuntur homini justo, pro quo Missa offertur, communiter Gonet Suar. Concina Salm. aliique cum d. Thoma (4) dicente quod hoc Sacramentum, *in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactivam*. 3. *Est incrementum gratiæ*, non jam ex opere operato et immediate, ut sentiunt aliqui, sed mediate per auxilia quæ obtinentur ex Missa ad bonos perficiendos actus, quibus gratia augetur, ut docent Castropal. Vasq. Suar. Lugo etc. communiter. 4. Est *impetratio bonorum* tam spiritualium, quam temporalium, quatenus animæ prosunt (5).

103. Hic quæritur : pro quibus personis possit offerri Missa ? Potest pro quibuscumque fidelibus, infantibus, obsessis, et aliis, etsi existant in peccato. An autem pro excommunicatis ? Si ipsi sunt vitandi, nequit sacerdos pro illis offerre Missam nomine Ecclesiæ, sive ut minister Christi, *cap. 2. de Sent. excom.* Si vero sunt tolerati, probabilius est cum Sanch. Navar. Lugo etc. contra alios (6), posse sacerdotem pro his offerre Missam etiam nomine Ecclesiæ ; licet enim etiam tolerati sint exclusi a communicatione suffragiorum ; tamen alius datum est a Concilio Constantiensi (ut habetur in *Extrav.* Martini V. *Ad evitanda*) libere posse cum ipsis communicare adhuc in Divinis, prout dictum est *Tract. 19. de Censur. n. 15.* Sic pariter probabilius licet offerre Missam pro infidelibus, ut docent Bellarm. Laym. Suar. Salm. etc. contra Sotum, quia Christus pro omnibus se obtulit ; idque certe licitum fuit in Lege veteri ; Judæi enim pro Gentibus sacrificare jam consueverunt (*1. 1. Machab. c. 12. 11.*). Pro defunctis autem in purgatorio existentibus certum est, et de Fide, ut docet Trident. *sess. 22. c. 22.* et in *can. 3.* quod licite et utiliter Missa offertur ; idque ex infallibili promissione

(1) De Sac. Missæ. c. 4. — (2) In 4. dist. 12. quæst. 2 art. 2. quæst. 2. ad 4. — (3) l. 6. n. 314.

(4) 3. p. quæst. 79. a. 5. — (5) L. 6 n. 311. v. 2. effectus. — (6) N. 309.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christi, ut communius et verius (contra Canum, etc.) docent Azor. Suar. Nav. Salm. etc. quia, cum certum sit quod Missa utiliter pro defunctis offeratur, hoc non potest esse nisi ex promissione Christi (1).

104. Quæritur IV. quotuplex est fructus Missæ? Respondetur; fructus Missæ alius est *ex opere operato*, nempe ex merito Christi; alius *ex opere operantis*, scilicet ex merito sacerdotis. Item alius est *meritorius*, alius *satisfactorius*, alius *impetratorius*. Item alius *generalis*, qui obtingit omnibus fidelibus vivis et defunctis; alius *specialis*, sive *medius*, obtingens assistentibus Missæ, et ei cui applicatur; alius *specialissimus* obtingens soli celebranti, qui pro illo nequit ullum stipendium accipere, ex prop. 8. damnata ab Alexand. VII.

105. An Missa sit infiniti valoris, tam intensive, quam extensive? Plures dd. negant; plures vero alii probabilius affirmant, ut Gonet Habert Juven. Petroc. Pignatelli, Tourn. Concina Holzm. Wigandt La-Croix Canus Salm., etc., ac pro his est etiam d. Thomas; quia Missa est idem, quam crucis Sacrificium, quod fuit infiniti valoris. Licet autem valor sit infinitus effectus tamen Missæ finitus, est ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque percipit fructum juxta suam capacitatem. Sed quia prima sententia est etiam probabilis, nequit sacerdos accipere duplex stipendium a duobus, applicando eis Missam ambobus, ut falso dicebat posse prop. 10. damnata ab eodem Alexandro VII. Nec potest eam danti eleemosynam applicare in generali cum aliis, nisi hoc faciat sub conditione si liceat (2).

106. Quæritur V. quid de stipendio Missæ? Stipendium accipere licet sacerdotibus, etiam opulentis, ut communiter docent Suarez Lugo Concina Tourn, cum Gers. et Thomasin. et aliis plurimis (contra Gonet. et alios paucos); quia *quisque operarius dignus est mercede sua* ex apostolo 1. Tim. 5. 18. (3).

107. Sacerdos peccat graviter, si differat Missam promissam sub stipendio ultra duos menses, ut dicunt Garcia, Philipp. Ripa et alii cum Lugo; item *Instructor Confess. Novell.* (4). ac Tourn. qui ait esse communem sententiam, *bene posse aliquem acceptare stipendia Missarum ad duos menses* (5). Item Concina, qui nil aliud dicit, nisi quod dilatio quorum mensium est gravis, ex Decreto S. C. Si vero Missa sit pro defunctis, dilatio unius mensis erit gravis, ut dicunt Castrop. Escob. et Salm. (6). Imo si Missa dicenda sit pro instanti necessitate, puta imminentis mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio hebdomadæ potest esse mortalis. Vide Cabrinum (7). Recte hic autem advertit *Continuator* Tourn., quod si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non præsumitur contentus esse quod Missæ celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni sacerdoti. Id vero non intelligendum, quod omnes illius communitatis sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutive dicendas, semper enim supponi debet communitas alias etiam habere obligationes; sed quod Missæ distribuendæ sunt majori sacerdotum parti (aut saltem alicui eorum convenienti numero, si communitas est valde numerosa), et juxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere inter tempus illud, quod unicuique illius permittitur ad suam ratam satisfaciendam. Insuper hic obiter notandum, quod Innoc. XII. in Bulla *Nuper*. ann. 667. jussit omnibus ecclesiarum rectoribus ut in loco patenti exponant tabellam onerum Missarum temporalium, et perpetuarum, ad hoc ne

(1) N. 340. — (2) L. 6. n. 312.

(3) N. 317. qu. 1. — (4) Part. 2. n. 406. — (5) N. 317. qu. 2. — (6) Ibid. — (7) Cabrin. c. 34. n. 216

onerentur novis oneribus, quibus satisfacere non valeant ut debent (1).

108. Nulli licet dare aliis Missas ad celebrandum, retenta parte stipendii, sub pœna ipso facto incurrenda suspensionis Papæ reservatæ, si est clericus, et excommunicationis, si laicus, ut habetur in Bulla *Quanta cura*, Benedicti XIV. edita 30. Junii 1741. Et pars retenta tunc debet restitui et probabilius sacerdoti celebranti potius, quam pauperibus. Excipe nisi pingue illud stipendium detur alicui ratione personæ, vel beneficii, aut capellaniæ (etiam amovibilis), vel legati perpetui, quia tunc potest persona hujusmodi partem excedentem retinere. Administratores autem ecclesiarum ex Decr. S. C. confirmato ab Innoc. XII. nil possunt retinere, nec etiam pro expensis in celebratione Missarum, nisi ecclesia alios non habeat reditus (2); vide hæc et alia fusius dicta de stipendio Missæ *Tr.* 15. *ex n.* 65.

109. Parochi ex Bulla, *cum semper*, ejusdem Benedicti XIV. data 19. Aug. 1744. tenentur applicare Missam pro populo omnibus diebus festivis, etiamsi congruam non habeant sustentationem. Si vero pingues habeant reditus, non tenentur sæpius Missas applicare, ut in eadem Bulla declaratur (3); vide dicta *Tr.* 7. *n.* 29. Hic autem obiter notandum, quod in eadem Bulla Pontifex decrevit, ut Missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero, pro benefactoribus applicetur, respiciendo benefactores in genere cujuscumque ecclesiæ, quavis consuetudine non obstante (4).

110. Applicatio debet fieri ante celebrationem, vel ante consecrationem. Verius autem (quidquid alii dicant) sufficit applicatio Missæ habitualis, ut communiter docent Suarez Lugo Bonac. Tourn. Holzm. Conc. et alii plures (5). Si Missa nulli applicetur, fructus manet in thesauro Ecclesiæ, applicatio autem sub conditione non impleta, valida est; si vero fiat primo qui offerret eleemosynam, non solum est illicita ex prohibitione Cl. VIII., sed etiam probabilius sæpe erit invalida (6).

111. Quæritur VI. an sacerdos teneatur aliquando celebrare in anno? Negant, præciso scandalo, s. Bonav. Cajet. Lugo, et probabile putant Suarez Layman et Palaus. Alii tamen communius cum d. Thoma (quibus ego magis adhæreo) affirmant, cum verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, probabilius verum contineant præceptum, ut satis declarat Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. dicendo *Apostolis.. , eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : Hoc facite etc.* Præfati autem dd. dicunt, sacerdotes teneri ad celebrandum, saltem ter vel quater in anno, in festis solemnioribus. Parochi vero debent Sacrum facere quolibet die festo, quo tenentur oves illud audire (7); vide dicta *Tract.* 7. *num.* 29.

112. Quæritur 7. an Rubricæ Missalis sint omnes præceptivæ, vel an aliquæ sint directivæ, sive de consilio? Diversæ in hoc sunt sententiæ. Nos sequimur sententiam Quarti Merati et Tourn. qui dicunt Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas, et obligare juxta gravitatem materiæ; nam in Bulla s. Pii sic dicitur : *Districte præcipientes, ut Missam juxta ritum, modum et normam in Missali præscriptam decantent, ac legant*. Nota to, *districte præcipientes* (8). Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures dd. aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, et orationes ante vel post Missam (9). Insuper hic notandum Rubricas præscriptas in Cæremo-

(1) Vide ap. cit. instruct. p. 2. n. 409. — (2) Vide l. 6. n. 321. et 322. — (3) N. 325. qu. 2. — (4) N. 326.

(5) N. 335 qu. 4. — (6) N. 337 v. dicunt. — (7) N. 313. — (8) N. 399. — (9) Vide n. 409 et 410.

niali Episcoporum ubique obligare, cum in tribus Bullis ibi positis dicatur : *Cæremoniale prædictum in omnibus ecclesiis servandum, præcipue in Cathedralibus et Collegiatis*

113. Quæritur 8. quando Missa dici possit ? Sic dicitur in Rubrica : *Missa privata saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Communiter autem dicunt dd. licere Missam terminare in aurora, et illam incipere parum ante meridiem. Imo Benedictus XIII. et Clemens XII. declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ, tum anteauroram, tum post meridiem (1). Præterea communius et probabilius dicunt Sylvius Castr. Bonac. Ronc Viva Salm. etc. quod celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram, vel hora post meridiem; alias tantum veniale committit, a quo excusat quævis causa rationabilis ; imo causa gravior, prout esset dandi Viaticum, aut solemnitatis, itineris , vel funeris, omnino excusat, etiamsi dilatio sit per integram horam (2). Ministrare autem Communionem licitum est usque ad Vesperas exclusive : et etiam in Vesperis, si adsit aliqua specialis causa, modo non sit intempesta nocte, id est multo noctis tempore decurso (3). Celebrare autem ante Matutinum, et Laudes, alii dicunt esse mortale, alii nullum peccatum ; alii autem verius et communius, ut Suarez Sotus Silvester Tourn. Bellarmin. etc. (quibus assentit etiam Benedictus XIV. *de Sacr. Missæ l. 3. cap. 13. n. 4.*) aiunt non esse mortale, quia talis gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta ut gravis ; sed non excusari sentiunt a veniali, cum in Rubrica jam inter defectus numeretur (4). Missam autem conventualem dicere ante Matutinum et Laudes non excusatur a mortali, ut communiter docent dd. contra Sanchez (5). Celebrare in die Cœnæ Domini, et Sabbati sancti (quidquid alii dicant) nullo modo licet nec etiam privatim, ut patet ex Decreto Clementis XI. quod refertur (6), quodque confirmatum fuit ab Innoc. XIII. apud Merat. *in Indice Decretorum num.* 495 501. 504. *et* 632.

114. Quæritur IX, ubi liceat Missam celebrare ? Respondetur: in oratoriis ab Episcopo benedictis, et designatis ad usus sacros, sive in seminariis, conservatoriis et hospitalibus, et etiam in domibus privatis (modo oratorium habeat januam in via publica ; item in oratoriis Religiosorum (*circa Regulares vide dicta Tr. 20. n. 121. et 122.*), necnon in erectis in palatiis Episcoporum, omnes possunt celebrare et quovis tempore, etiam in festis solemnibus, quia hujusmodi oratoria sunt veræ ecclesiæ. In oratoriis autem privatis, in quibus tantum ex privilegio pontificio celebrari potest, non licet Sacrum facere diebus in Indulto exceptis, scilicet Paschatis, Pent. Natal. Dom. Epiph. Annunt. Ascens. Assumpt. B. V. SS. Petr. et Paul. et omnium SS. Nec potest in eis celebrari, nisi intersit aliqua ex personis, quibus directe concessum est Indultum, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla, *Cum duo nobiles* (7). Nec possunt ibi plures celebrari Missæ, si ibi dicitur (ut consuetum est): *una Missa quotidie celebretur* ; declaravit enim Benedictus XIV. in Bulla, *Magno*, sub die 2. Jun. 1751. illud *una* idem esse ac unica (8). An autem in his privatis oratoriis possit ministrari Communio ? Alii affirmant, alii communius negant ; et Benedictus XIV. in *Ep. Encycl.* ad Episcopos Poloniæ S. 23. sub eadem die 2. Jun. 1751. prohibuit dari Communionem in privatis oratoriis sine licentia Episcopi

(1) N. 341. v. omnes. — (2) Lib. 6. n. 343. ad 346. — (3) N. 252. — (4) N. 347.

(5) N. 348. — (6) N. 350 — (7) Vide Bullar. Mech. t. 13. p. 220. et l. 3. n. 319. v. probabile. — (8) L. 6. n. 359. circa fin.

(1). Celebrare autem in mari nunquam licet, nisi ex licentia expressa Pontificis (2).

115. Celebrans in ecclesia polluta per notoriam effusionem sanguinis in notabili quantitate (nam in *c. 10. de Cons.* dicitur *sanguinis effusione*), vel seminis, aut per sepelitionem infidelis, hæretici, vel excommunicati, antequam reconcilietur ab Episcopo (vel a sacerdote ab Episcopo delegato, si ecclesia fuerit tantum benedicta), graviter peccat ; sed nullam incurrit pœnam, ut probabilius dicunt Suar. Laym. Lugo et alii cum Benedicto XIV. *de Sacr. Missæ* (3). Sic etiam est mortale celebrare in ecclesia exsecrata, nempe si eodem tempore demoliti sint parietes pro majori parte, vel crusta ablata (4). An autem liceat sacerdotibus celebrare in ecclesiis Regularium contra prohibitionem Episcopi ? Vide dicta *Tr. 20. n. 75. et 77.*

116. Quæritur 10. quæ requirantur sub gravi præcepto ad rite Missam celebrandam ? Requiritur 1. *altare*, sive *ara lapidea* ab Episcopo consecrata, cum sepulchro reliquiarum et sigillo, ubi omnino reponendæ sunt Hostia et particulæ consecratæ (5). Exsecratur autem altare, ita ut mortale erit in eo celebrare, si mensa consecrata removetur ab inferiori structura, vel si ara notabiliter frangitur, aut ab ea auferuntur reliquiæ, aut sigillum , prout habetur in Decreto S. C. Rituum (6). In altari requiruntur etiam tres mappæ, nec sufficiunt duo, ut aliqui dicunt ; sufficiunt tamen una separata et altera duplicata (7).

117. Requiritur 2. *calix* et *patena*, consecrata. Exsecratur autem calix, si notabiliter frangitur in cuppa, vel si in fundo perforetur ; non vero si pereat ejus inauratio, ut probabilius et communiter docent Lugo Suar Silvest. Tourn. Laym. etc. Hinc probabilius est, calicem de novo inauratum non indigere nova consecratione ; hoc tamen intelligitur, si calix tantum superficialiter inauretur, nam si ad ipsum inaurandum tota ejus superficies eradatur, tunc probabilius est cum Suarez Sylvio et aliis calicem rursus fore consecrandum ; exemplo ecclesiæ, quæ (ut diximus *n. 115. circa fin.*) si ejus crusta tota, vel in majori parte pereat, vel auferatur, iterum consecranda est. Celebrare autem in calice nunquam deaurato, probabilius est esse illicitum, sed non nisi venialiter, ut dicunt Lugo et Tourn. Cum calix separatur a pede, amittit utique consecrationem, si cuppa est pedi fixa ; secus si pes est tornatilis, et de se separabilis (8). Communiter autem docent Laym. Gav. Tourn. Bon. Ronc. etc. pyxidem non esse consecrandam (9). Dubitatur vero an saltem sit benedicenda? Negant communius Suarez Silv. Azor. Sot., etc., idque non videtur improbabile ; sed probabilius affirmant Salm. Tourn. et alii cum Card. Lambertino (qui tamen omissionem non reputat plus quam venialem), quia hoc est conformius Rubricæ Missalis, in quo dicitur quod sacerdos hostias pro communione *locat ante calicem, aut in aliquo vase mundo benedicto*. Et idem dicendum de lunula ostensorii, ubi in expositionibus Hostia collocatur (10).

118. Requiritur 3. *vestes sacræ*, benedictæ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem a Pontifice. Graviter peccat qui celebrat sine alba, aut stola, aut manipulo, aut cum ipsis non benedictis (nisi gravis excuset necessitas) : secus tamen plures dd. non improbabiliter dicunt de celebrante sine cingulo, aut amicto (11). Quoad cingulum declaravit S. C. 21. jan. 1701. sacerdotem congruentius uti cingulo lineo, quam serico. Vestes autem exsecrantur, quando usum

(1) Cit. n. 359. v. quæres. — (2) N. 356. — (3) N. 361. ad 366. — (4) L. 6 n. 367 et 368. — (5) N. 372, et 373. — (6) N. 369. — (7) N. 374 et 375.

(8) N. 370. — (9) N. 384. — (10) N. 38[illegible] — (11) N. 377.

suum deperount, nempe si ab alba manica abscinditur : cingulum, si ita rumpitur ut neutra pars cingere possit : stola, si non possit humeros operire ; vel si pars ejus ita scinditur, ut deperdatur forma : nec sufficit eam resarcire, destructa enim forma desinunt partes esse sacræ (1). Color autem vestium probabilius est quod sit de præcepto, non tamen gravi (2).

119. Requiritur 4. *corporale benedictum* ex lino, ve' cannabe (3). Exsecratur autem corporale, si ita frangitur, ut non possit amplius decenter continere calicem et patenam cum hostia (4). Cavendum est ne corporale sit valde immundum, in quo dicunt Suarez Laym. et Tamb. posse etiam graviter peccari ; quamvis addat Tamb. ex eodem Suar. illud *valde immundum* difficulter evenire. Cæterum uti corporali, et aliis paramentis immundis, licet non valde, non excusatur a veniali, nisi alia haberi nequeant, ut Croix cum Suar. et Gobat. Imo ait Tourn., quod in necessitate, nempe si sacerdos aut alii deberent omittere Missam de præcepto, licitum est uti corporali etiam notabiliter immundo (5).

120. 5. *Palla* etiam debet esse benedicta et ex lino, vel cannabe, saltem ex parte interiori, ut ait Suar. ; sed ex Decreto S. C. dictum fuit : *Non adhibenda est palla a parte superiori drappo serico cooperta*. Non autem improbabiliter dicunt Sotus et alii, quod celebrare sine palla, non est mortale, cum ipsas sacras species non tangat immediate (6). Requiritur etiam *purificatorium*, quod probabilius non oportet ut sit benedictum (7).

121. Requiritur 6. *Missale Romanum* continens saltem integrum canonem. Dicunt autem communissime et probabiliter Suarez Vasq. Laiman Palaus Lugo Salm. Croix, etc. non peccare celebrantem sine Missali, si memoriter bene sciat dicenda, et ob præteritam experientiam non sit ei periculum errandi. Uti vero Missali Regularium (scilicet celebrando juxta eorum ritum) est mortale etiam in ipsorum ecclesiis (8). Requiritur 7. *minister* sub gravi obligatione, saltem usque ad oblationem, nisi urgeret necessitas dandi Viaticum, vel etiam ne omittatur Sacrum in die festo. Minister debet esse masculus, nam fœminæ sub gravi culpa prohibentur immediate ministrare in altari. Dicunt tamen communiter Laym. Suar. Tourn. Molf. Homob., etc. non peccare graviter qui celebrat respondente muliere. Imo dicunt Palud. Wigandt Tourn. Lugo Laym., etc, bene permitti, quod fœminæ quandoque respondeant a longe, maxime si sint moniales, modo (ut diximus) non immediate in altari ministrent (9).

122. Requiritur 8. *crux cum Crucifixo*, etiamsi in altari expositum sit SS. Sacramentum, ut habetur ex Cæremoniali Episcoporum. et Decr. S. C. Utrum autem sit mortale celebrare sine cruce ? Negant communiter Laym. Suar. Bonac. Tournely Concina Habert. Merati, etc. sed animadvertendum, quod Benedictus XIV. in Decreto directo ad omnes Episcopos sub die 16. julii ann. 1746. incipiente *Accepimus* (vide in *Bullar. tom. 2. Decretum* 17., *et in edit. Mechl. t. 4. p.* 263.) sic ibi in fine vers. *Itaque*, præcipit : *Illud vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad hujusmodi altaria, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos ac populus eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint, quod evenire nequit, si exigua solum crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibeatur.* Prius enim in eodem Decreto vers. *Equidem*, dixerat : *Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his altaribus celebretur, quæ careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita le-*

(1) N. 371. — (2) N. 378. dub. 5. — (3) N. 386. — (4) N. 371. — (5) L. 6. n. 371. — (6) N. 388. — (7) N. 389.

(8) N. 390. — (9) N. 391. et 392

mas ei exigua sit, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat. Hic etiam notandum ex Cæremoniali Episcoporum, quod si in altari adest statua Crucifixi, non oportet, ut alii crux apponatur. Idque confirmatur in præfato Decreto Benedicti, dum ibi dicitur ex sententia Pasqualigi, Quarti et Giribaldi, cui se conformavit S. C. Rituum in quodam Decreto (16 jun. 1663.) apud Meratum (*tom. 1. in indice n.* 400.) sufficere Crucifixum in majori tabula altaris depictum, aut cælatum. Docet etiam Pignatellus (1) non esse opus ut crux, aut aliæ sacræ imagines sint benedictæ (2). Requiritur 9, *duplex candela* accensa ex cera ; non ex sebo, vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate, non autem si ex devotione (3). Requiritur 10. et ultimo, *bursa, velum, pulvillus* (sive *legile*), et *manutergium* ; at sine istis celebrare merito ait La-Croix, nullum esse peccatum (4). Celebrare capite cooperto per totam Missam est mortale, secus usque tantum ad canonem (5).

123. Notandum 1. quod Neo-Presbyteri consecrando cum Episcopo, vere celebrant, licet unum Sacrificium faciant ; in quo autem primarius celebrans est Episcopus, et sacerdotes sunt etiam causæ totales consecrationis, sed morales, quæ unum effectum pariunt : ad differentiam causarum totalium physicarum, quæ diversos causant effectus. Quisque autem ordinatus in sacerdotium debet tunc proferre verba consecrationis, cum intentione consecrandi, attamen sub conditione si conformentur sua eodem tempore cum verbis Episcopi, alias graviter peccaret (6).

124. Notandum 2. quod Episcopus Neo-Presbyteris tres injungit Missas celebrandas, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Virgine, tertiam pro defunctis. An autem sit obligatio gravis has dicendi Missas ? Affirmant Suar. Laym. Azor. etc. ; sed negant Sotus Palaus Val. Pelliz. etc. Cæterum duo videntur certa, 1. quod hoc Episcopi præceptum transgredientes saltem venialiter peccent : 2. hujusmodi præceptum non obligare ad applicandas Missas pro Episcopo, cum id non exprimatur, tanto magis quia ipse subdit : *Et etiam pro me orate*. Nota autem, quod illæ tres Missæ dicendæ sunt primis diebus, in quibus Missæ votivæ dici possunt (7).

125. Notandum 3. quod, ut communiter traditur, Missa celebranda est alte, breviter, clare, devote, et exacte. *Alte*, ita ut non dicantur submisse, quæ alte sunt dicenda : sed ita proferantur, ut saltem a *circumstantibus audiantur*, prout dicit Rubrica ; alioquin celebrans non excusatur a culpa, sed tantum veniali. Idem dicendum de eo qui alte recitat, quæ submisse dici debent. Imo Gavantus et Quarti putant esse mortale (sed non satis id ratione probant) dicere alta voce ea quæ submisse sunt dicenda, et consentit La-Croix quoad verba consecrationis, dicens peccare mortaliter qui illa proferret ita elate, ut audirentur ad decem passus, ubi magna esset populi pars ; sed merito p. Concina hoc non audet approbare (8). *Breviter*, id est ut, ordinarie loquendo, non excedatur media hora, monente Rubrica, ut Missa non dicatur *nimis morose, ne audientes tædio afficiantur*. Subdit autem Rubrica, *Nec nimis festinanter* ; hinc sapienter ait Card. Lambertinus (9) cum aliis communiter, Missam non debere esse longiorem dimidia hora, nec breviorem triente, id est tertia parte horæ. Qualiter autem peccent qui celerius celebrant, vide dicta *Tr. 15. n. 84 et seq.* ubi diximus Missam (etiamsi sit defunctorum) persolventem infra quadrantem non excusari a culpa gravi. *Clare*, id est sine verborum mutilatione : quæ

(1) Pignatell. t. 9. Consult. 186. n. 6. — (2) L. 6. n. 393. — (3) L. 6. n. 394. — (4) N. 395. — (5) N. 397. — (6) N. 232.

(7) N. 829. — (8) N. 415 et 416. — (9) notif. 34. n. 30.

si sit notabilis, et sensus per ea varietur, erit mortalis (1). *Devote*, id est sine distractione, quæ si voluntaria sit in canone, et præsertim in consecratione et sumptione, erit mortalis, ut vult Tamburinus, licet aliqui contradicant. Si autem habeatur extra canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis canonicis (vide *hujus append. n.* 75.). *Exacte*, id est ne omittatur aliquid de iis quæ dicenda sunt. Hic autem notandum, quod si omittantur partes ordinariæ, nempe quæ in Missa semper dicenda vel agenda sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in canone quamlibet orationem, vel *Pater noster*, vel fractionem Hostiæ cum illius mixtione in calice vel purificationem patenæ et calicis post sumptionem, vel octo, aut decem verba canonis. Sic pariter erit mortale extra canonem omittere totum introitum, vel duas ex collectis principalibus, vel epistolam, Evangelium, offertorium, vel infusionem aquæ in vinum consecrandum. Veniale tamen erit omittere tantum psalmum, *Judica Kyrie eleison*, unam ex collectis, unam vel alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum, et idem probabiliter dicunt de Lugo, et alii de Evangelio s. Joannis (2). Sic quoque veniale tantum est omittere partes extraordinarias, uti sunt *Gloria*, *Credo*, *Sequentia*, *Tractus*, propriam præfationem, aut *communicantes*, et *Hanc igitur*, propria ; ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem constituerent materiam, ut bene advertunt Concina et Wigandt, quicquid dicant Quarti et Pasqual. (3).

126. Notandum 4. prohiberi Missas votivas, vel de *Requiem* in Dominicis et festis duplicibus, atque in octavis privilegiatis ; nisi grave urgeant causæ, nempe si urgeat publica necessitas, si fiat expositio SS. Sacramenti per 40. horas, item in die obitus præsente cadavere, etc. : hæc autem intelligenda tantum de Missa solemni (4). An autem in prædictis festis vetentur Missæ votivæ sub gravi culpa ? Negant communiter Lugo Suar. Bonac. Escob. Salm. Ronc. et alii plures : recte vero limitant Escob. et Roncaglia, si tunc occurrat festum solemne, saltem propter grave populi scandalum. Imo in festis duplicibus Missæ *de Requiem* districte prohibentur in Decreto S. C. approbato ab Alex. VII. ; in pluribus autem casibus cantari possunt Missæ defunctorum in duplicibus etiam majoribus scil. 1. In die obitus præsente cadavere ; et hoc etiam in Dominica, vel in aliis solemnioribus, modo non sint 1. classis. 2. Cum primum habita fuerit notitia obitus alicujus. 3. In anniversario relicto a testatore. Item in die tertio, septimo, et trigesimo ; si vero hi dies accidant in festo de præcepto, transferantur in diem sequentem, vel anticipentur sub eodem ritu. 4. In festo duplici min. si petatur anniversarium pro aliquo defuncto, potest cantari Missa. Ita ex pluribus Decr. S. C. Rit. (5) Exceptis autem festis duplicibus, aliisque ut supra, de Missis votivis sic loquitur Rubrica : *Missæ votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum*. Sed deinde statim advertit : *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, prout esset specialis devotio sacerdotis, vel petitio de votiva dantis eleemosynam*. Quapropter dicens votivam præter has causas, vix excusabitur a veniali (6). Cæterum tenetur sacerdos Missas votivas celebrare, juxta petitionem dantium eleemosynam, diebus quibus licite dici possunt. Hincque notandum cum d. Thoma (7), quod Missa *de Requiem* magis prodest defunctis propter orationes, quæ in ea dicuntur.

127. Notandum 5. non licere plu-

(1) L. 6. n. 407. — (2) L. 6. n. 403. ad 406. — (3) N. 409.

(4) N. 421. — (5) ibid. — (6) N. 449 — (7) suppl. q. 71. a. 9. ad 5.

ries in die sacrificare, nisi in hisce casibus : 1. ad ministrandum Viaticum ; 2. si die festo adveniant personæ, quas non deceat Sacrum omittere, uti rex, aut princeps, aut episcopus : 3. si pastor habeat duas parochias dissitas, et aliter populus alter careret Missa in festo de præcepto (1). Advertit tamen Benedictus XIV. in Brevi, *Declarasti*, edito 16. martii an. 1746. (*in Bullar. t.* 2. *et in edit. Mechl. t.* 4. *p.* 32.) quod de hac re semper impetranda est facultas ab Episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur. Præterea advertit, quod de casibus enuntiatis solus casus, cum parochiæ sunt dissitæ, in consuetudine est. Item advertendum olim licuisse parocho in die Dominica post Missam pro populo dicere alteram pro defuncto, præsente cadavere ; sed idem Benedict. XIV. in Indulto *Quod expensis, etc.* dato 26. aug. 1748. in §. *Nova*, circa fin. (*in Bullar. t.* 2. *et in edit. Mechl. t.* 6. *p.* 241.), declaravit id hodie non amplius permitti, cum liceat parocho dicere Missam pro defuncto, et transferre Missam pro populo ad diem infra hebdomadam.

128. Notandum 6. quod si, dum celebratur, ecclesia polluitur, vel accedit excommunicatus vitandus, qui monitus nolit discedere, tunc sacerdos ante consecrationem Missam dimittere debet : postea vero pergat usque ad sumptionem, et statim discedat ; vide dicta *Tr.* 19. *n.* 21. ad 2. Demum hic notandum, quod facta consecratione nunquam licet Missam interrumpere, nisi tantum ad baptizandum, vel absolvendum hominem jamjam moriturum ; ita dd. communiter (2).

§. III. *De potestate sacerdotis*

129. Simplex sacerdos ex potestate Ordinis suscepti tantum Eucharistiæ Sacramentum conficere potest, et etiam ministrare, excepta Communione paschali : nam ad illam requiritur potestas jurisdictionis. Hinc nequit sine licentia parochi baptizare, neque Extremam-Unctionem, aut viaticum ministrare, nec matrimonio assistere ; et sine licentia Episcopi expressa, aut saltem præsumpta de præsenti nequit extra casum necessitatis confessiones excipere, nec etiam venialium aut mortalium prius confessorum ex Decreto Innoc. XI. (vide dicta *Tr.* 16. *n.* 76.). Quia ut dicitur in Trid. ratio judicii, quod exercetur in administratione Pœnitentiæ, exposcit, ut jurisdictio non exerceatur nisi in subditos, qui per licentiam Episcopi sacerdoti subjiciuntur.

130. Diximus autem superius *n.* 35. quod initiandi ad presbyteratum debent habere scientiam eorum, saltem quæ communiter scienda sunt ad excipiendam confessionem moribundi. Quapropter refert hic adnotare pauca principaliora, et scitu magis necessaria. Notandum 1. quod sacerdos simplex nequit infirmum absolvere in præsentia confessarii approbati, exceptis sequentibus casibus : 1. Si approbatus nequeat vel nolit confessionem excipere. 2. si approbatus sit excommunicatus vel suspensus. 3. Si esset approbatus tantum in alia diœcesi. 4. Si infirmus ita horreret apud illum confiteri, ut esset in periculo occultandi peccata. 5. Si approbatus superveniat post incœptam confessionem apud simplicem sacerdotem. 6. Si approbatus sit complex infirmi in peccato turpi (juxta dicta *Tr.* 16 *n.* 94. *in fin. et* 95.). Notandum 2. quod si moribundus absolutionem postulat, vel signa dat pœnitentiæ sacerdoti præsenti, absolute est absolvendus : si vero est sensibus destitutus, et adsit alter qui testatur ipsum postulasse confessarium vel signum ostendisse doloris, tunc alii dicunt etiam absolute absolvi posse ; sed tutius cum aliis dicimus absolvendum sub con-

(1) Cabr. c. 24 n. 416 et vide Busemb. apud l. 6. n. 351. et 352. — (2) Lib. 6. n. 354.

ditione. Et sic absolvendum censemus cum pluribus, etiamsi moribundus nullum dederit signum ; imo etiamsi fuerit destitutus in actu peccati (vide *dicta cit. tract.* 16. *n.* 36. *ad* 39.). Notandum 3. quod sacerdos simplex, deficiente approbato potest absolvere fideles a quibusvis peccatis et censuris, non solum in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis. Censetur autem in periculo mortis esse, non tantum qui laborat morbo proxime periculoso mortis, sed etiam qui longam navigationem aggreditur, vel mulier quæ est in difficili partu ; item qui est in periculo incidendi in amentiam ; insuper qui est captivus apud infideles, carens spe libertatis, et habendi confessarium approbatum. Notandum 4. quod infirmus qui absolvitur a censuris reservatis, monendus est, quod si convalescat, teneatur se præsentare Superiori, alias in easdem censuras reincidat, secus vero si absolvitur tantum a peccatis reservatis sine censura. Ultimo notandum, quod quisque sacerdos, ut sit idoneus in necessitate ad excipiendas confessiones infirmorum, debet non ignorare saltem principia universalia scientiæ moralis.

§. IV.

De munere docendi et prædicandi

131. Cum autem sacerdotis etiam sit docere populos, et prædicare Evangelium, operæ pretium est hic demum adnotare, quæ docenda sint, et quomodo Evangelium explicandum. Quoad primum, docendum quatuor esse necessaria ad salutem, nempe Fidem, Spem, Charitatem, atque bona opera. Et 1. quoad Fidem, quia Deus veritas infallibilis revelavit Ecclesiæ, tenemur explicite scire et credere Deum existere, et remuneratorem esse ; ac Mysterium SS. Trinitatis, atque Incarnationis Filii Dei. Hæc de necessitate medii. De necessitate autem præcepti quisque tenetur etiam scire et credere Orationem dominicalem, Salutationem angelicam, præcepta Decalogi, et Ecclesiæ ; item Sacramenta, præsertim ea quibus omnes indigent, nempe Baptismi, Eucharistiæ, et Pœnitentiæ, et alia, saltem dum ea suscipiuntur. 2. Quoad Spem, quia Deus omnipotens, misericors et fidelis promisit propter merita Jesu Christi, tenemur sperare a Deo æternam beatitudinem, et media ad eam consequendam, veniam nimirum peccatorum, et perseverantiam finalem. 3. Quoad Charitatem, quia Deus est bonitas infinita, tenemur eum super omnia diligere ; huic autem præcepto alterum adjicitur charitatis, scilicet diligendi proximum, sicut nos ipsos. 4. Ad salutem demum obtinendam, sunt etiam necessaria bona opera, servando mandata Dei, et Ecclesiæ, quæ in Decalogi et Ecclesiæ præceptis continentur.

132. Quod autem spectat ad secundum munus explicandi Evangelium, sive Scripturam, sciendum duos ipsam sensus habere, *litteralem*, et *mysticum*. Ille est *litteratis*, qui per ipsa verba significatur. *Mysticus*, qui non significatur per verba, sed per rem ipsis verbis significatam, v. gr. cum dicitur : *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum, etc.* Hic non quidem præcipitur oculi abscissio, sed scandali, sive occasionis. Sensus autem *mysticus* in tres alios subdividitur. In *allegoricum*, scilicet spectantem ad res credendas. 2. In *anagogicum*, spectantem ad bona speranda. 3. In *tropologicum*, spectantem ad mores. Regulariter verba Scripturæ in litterali sensu accipi debent, nisi adsit absurdum ; prout cum dicitur : *Petra autem erat Christus*, et similia. Sæpe autem Scripturæ textus utrumque sensum habent, litteralem simul et mysticum. Mystico sæpe convenit, ut sacerdotes in concionibus utantur, præsertim si est tropologicus, sive moralis. Licet etiam uti aliquando sensu vocato *accommodatitio*, modo id pie et prudenter agatur.

APPENDIX IV.

DE NONNULLIS MONITIS NOTABILIORIBUS AD CONFESSARIOS ET PAROCHOS ; ADJECTA IN CALCE PRAXI ORATIONIS MENTALIS, QUAM EDOCERE POSSUNT EOS QUI IN EA VERSATI NON SUNT.

§. I. *Monita ad confessarios.*

Ex his omnibus quæ superius diximus adnotanda hic sunt aliqua principaliora, quæ confessarius attendere debet in officio suo exercendo.

1. Primum omnium curet ex una parte, ut quam maximam adhibeat charitatem in excipiendis peccatoribus, et in excitandis eorum animis ad fiduciam in Dei misericordia collocandam : sed ex alia parte caveant ne ob humanum respectum prætermittant illos ea qua opus est fortitudine admonere, simulque ante eorum oculos proponere, infelicissimum in quo reperiuntur, statum, media opportuna prescribendo, quibus ex malis habitibus, jam male vivendo comparatis se liberare possint. Et præcipue sit inflexibilis in differenda absolutione, quoties oportebit. Hoc primum monitum forsan, quinimo est quod maximum omnium habet momentum ; quod si confessarius non exequatur, nec suam nec aliorum operabitur salutem.

2. Rudes et alios neglectæ conscientiæ non omittat interrogare, utrum sciant principalia Fidei mysteria, et cætera scitu necessaria ad salutem æternam, ut dictum fuit *Tr. ult. n.* 18. Et insuper ne omittat eosdem interrogare de iis in quæ frequentius labi solent, cum de illis se non accusant, juxta dicta ex *cit. n.* 18. *ad* 30.

3. Cautissimus sit in interrogando de materia turpi, præsertim puellas et pueros, ne quod ignorant, isti addiscant, aut saltem ad curiositatem excitentur. Ex alia parte non omittat exquirere ab eis an in hac materia aliquid deliquerint, quod rubore celaverint. Et circa hoc non sibi satis habeat illos perfunctorie et in generali interrogare utrum in conscientia habeant aliquod peccatum ex rubore omissum ; nam a quibusdam nimirum a rudibus, pecudum custodibus, puellis et juvenculis opus est semel atque iterum solerter expiscari aliquod peccatum quod reticent, argutias et circumlocutiones adhibendo. Hoc maxime efficiendum, ut eis animus præbeatur, et dicatur ne timeant, quia ipse absolvet eos ab omnibus peccatis; et quod si omnes conscientiæ sinus aperient, deinde maximam pacem, et consolationem conscientiæ assequentur. Hæc diligentia præsertim cum moribundis adhibeatur. Et non abs re erit si idem efficietur cum puellis quæ devotionem profitentur : quot ex istis reperiuntur sacrilegiis gravatæ, ob aliquod peccatum quod reticuerunt ? Sed potissimum astutiis utendum cum pueris et puellis, qui spirituales non sunt. Prius interroget, utrum pravas cogitationes habuerint? si protulerint, aut audiverint verba obscœna, et deinde, si inter se manibus jocaverint ? et an id egerint clanculum ? Quod si affirmaverint, signum erit illos lusus fuisse illicitos. En celebrem regulam quam tradit s. Thomas (1) : *Frequenter quæ præ confusione pœnitens taceret interrogatus revelat, etc.* Et deinde : *In interrogationibus faciendis attendendum, ut non fiat explicita interrogatio, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt ; de aliis autem ita debet a longinquo* (nota) *fieri interrogatio, ut si commisit, dicat ; si non commisit, non addiscat.* Item Sanctus monet confessarium,

(1) D. Thomas in 4. d. 19. q. 2. in fin. Expos. text. v. et dicendum.

ditione. Et sic absolvendum censemus cum pluribus, etiamsi moribundus nullum dederit signum ; imo etiamsi fuerit destitutus in actu peccati (vide *dicta cit. tract.* 16. *n.* 36. *ad* 39.). Notandum 3. quod sacerdos simplex, deficiente approbato potest absolvere fideles a quibusvis peccatis et censuris, non solum in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis. Censetur autem in periculo mortis esse, non tantum qui laborat morbo proxime periculoso mortis, sed etiam qui longam navigationem aggreditur, vel mulier quæ est in difficili partu ; item qui est in periculo incidendi in amentiam ; insuper qui est captivus apud infideles, carens spe libertatis, et habendi confessarium approbatum. Notandum 4. quod infirmus qui absolvitur a censuris reservatis, monendus est, quod si convalescat, teneatur se præsentare Superiori, alias in easdem censuras reincidat, secus vero si absolvitur tantum a peccatis reservatis sine censura. Ultimo notandum, quod quisque sacerdos, ut sit idoneus in necessitate ad excipiendas confessiones infirmorum, debet non ignorare saltem principia universalia scientiæ moralis.

§. IV.

De munere docendi et prædicandi

131. Cum autem sacerdotis etiam sit docere populos, et prædicare Evangelium, operæ pretium est hic demum adnotare, quæ docenda sint, et quomodo Evangelium explicandum. Quoad primum, docendum quatuor esse necessaria ad salutem, nempe Fidem, Spem, Charitatem, atque bona opera. Et 1. quoad Fidem, quia Deus veritas infallibilis revelavit Ecclesiæ, tenemur explicite scire et credere Deum existere, et remuneratorem esse ; ac Mysterium SS. Trinitatis, atque Incarnationis Filii Dei. Hæc de necessitate medii. De necessitate autem præcepti quisque tenetur etiam scire et credere Orationem dominicalem, Salutationem angelicam, præcepta Decalogi, et Ecclesiæ ; item Sacramenta, præsertim ea quibus omnes indigent, nempe Baptismi, Eucharistiæ, et Pœnitentiæ, et alia, saltem dum ea suscipiuntur. 2. Quoad Spem, quia Deus omnipotens, misericors et fidelis promisit propter merita Jesu Christi, tenemur sperare a Deo æternam beatitudinem, et media ad eam consequendam, veniam nimirum peccatorum, et perseverantiam finalem. 3. Quoad Charitatem, quia Deus est bonitas infinita, tenemur eum super omnia diligere ; huic autem præcepto alterum adjicitur charitatis, scilicet diligendi proximum, sicut nos ipsos. 4. Ad salutem demum obtinendam, sunt etiam necessaria bona opera, servando mandata Dei, et Ecclesiæ, quæ in Decalogi et Ecclesiæ præceptis continentur.

132. Quod autem spectat ad secundum munus explicandi Evangelium, sive Scripturam, sciendum duos ipsam sensus habere, *litteralem*, et *mysticum*. Ille est *litteratis*, qui per ipsa verba significatur. *Mysticus*, qui non significatur per verba, sed per rem ipsis verbis significatam, v. gr. cum dicitur : *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum, etc.* Hic non quidem præcipitur oculi abscissio, sed scandali, sive occasionis. Sensus autem *mysticus* in tres alios subdividitur. In *allegoricum*, scilicet spectantem ad res credendas. 2. In *anagogicum*, spectantem ad bona speranda. 3. In *tropologicum*, spectantem ad mores. Regulariter verba Scripturæ in litterali sensu accipi debent, nisi adsit absurdum ; prout cum dicitur : *Petra autem erat Christus*, et similia. Sæpe autem Scripturæ textus utrumque sensum habent, litteralem simul et mysticum. Mystico sæpe convenit, ut sacerdotes in concionibus utantur, præsertim si est tropologicus, sive moralis. Licet etiam uti aliquando sensu vocato *accommodatitio*, modo id pie et prudenter agatur.

APPENDIX IV.

DE NONNULLIS MONITIS NOTABILIORIBUS AD CONFESSARIOS ET PAROCHOS ; ADJECTA IN CALCE PRAXI ORATIONIS MENTALIS, QUAM EDOCERE POSSUNT EOS QUI IN EA VERSATI NON SUNT.

§. I. *Monita ad confessarios.*

Ex his omnibus quæ superius diximus adnotanda hic sunt aliqua principaliora, quæ confessarius attendere debet in officio suo exercendo.

1. Primum omnium curet ex una parte, ut quam maximam adhibeat charitatem in excipiendis peccatoribus, et in excitandis eorum animis ad fiduciam in Dei misericordia collocandam : sed ex alia parte caveant ne ob humanum respectum prætermittant illos ea qua opus est fortitudine admonere, simulque ante eorum oculos proponere, infelicissimum in quo reperiuntur, statum, media opportuna prescribendo, quibus ex malis habitibus, jam male vivendo comparatis se liberare possint. Et præcipue sit inflexibilis in differenda absolutione, quoties oportebit. Hoc primum monitum forsan, quinimo est quod maximum omnium habet momentum ; quod si confessarius non exequatur, nec suam nec aliorum operabitur salutem.

2. Rudes et alios neglectæ conscientiæ non omittat interrogare, utrum sciant principalia Fidei mysteria, et cætera scitu necessaria ad salutem æternam, ut dictum fuit *Tr. ult. n.* 18. Et insuper ne omittat eosdem interrogare de iis in quæ frequentius labi solent, cum de illis se non accusant, juxta dicta ex *cit. n.* 18. *ad* 30.

3. Cautissimus sit in interrogando de materia turpi, præsertim puellas et pueros, ne quod ignorant, isti addiscant, aut saltem ad curiositatem excitentur. Ex alia parte non omittat exquirere ab eis an in hac materia aliquid deliquerint, quod rubore celaverint. Et circa hoc non sibi satis habeat illos perfunctorie et in generali interrogare utrum in conscientia habeant aliquod peccatum ex rubore omissum ; nam a quibusdam nimirum a rudibus, pecudum custodibus, puellis et juvenculis opus est semel atque iterum solerter expiscari aliquod peccatum quod reticent, argutias et circumlocutiones adhibendo. Hoc maxime efficiendum, ut eis animus præbeatur, et dicatur ne timeant, quia ipse absolvet eos ab omnibus peccatis; et quod si omnes conscientiæ sinus aperient, deinde maximam pacem, et consolationem conscientiæ assequentur. Hæc diligentia præsertim cum moribundis adhibeatur. Et non abs re erit si idem efficietur cum puellis quæ devotionem profitentur : quot ex istis reperiuntur sacrilegiis gravatæ, ob aliquod peccatum quod reticuerunt ? Sed potissimum astutiis utendum cum pueris et puellis, qui spirituales non sunt. Prius interroget, utrum pravas cogitationes habuerint? si protulerint, aut audiverint verba obscœna, et deinde, si inter se manibus jocaverint ? et an id egerint clanculum ? Quod si affirmaverint, signum erit illos lusus fuisse illicitos. En celebrem regulam quam tradit s. Thomas (1) : *Frequenter quæ præ confusione pœnitens taceret interrogatus revelat, etc.* Et deinde : *In interrogationibus faciendis attendendum, ut non fiat explicita interrogatio, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt ; de aliis autem ita debet a longinquo* (nota) *fieri interrogatio, ut si commisit, dicat ; si non commisit, non addiscat.* Item Sanctus monet confessarium,

(1) D. Thomas in 4. d. 19. q. 2. in fin. Expos. text. v. et dicendum.

ne in peccatis turpibus *descendat nimis ad particulares circumstantias*. Notandum illud *nimis*, quod significat regulariter loquendo non esse omittendas illas interrogationes, quæ opus sunt ad cognoscendam substantiam peccati cum suis speciebus et numero. Præterea hic juvat animadvertere, quod si confessarius in excipiendis confessionibus sensuales tentationes pati solet, modo illis non assentiatur, et voluntarie eis causam non præbeat, nihil debet pavore concuti, nec propterea debet ab excipiendis confessionibus abstinere; nam hoc intendit dæmon eum deturbando hujusmodi tentationibus, ipsum a bono, quod operatur, removere. Antequam confessionarium ingrediatur, protestetur se nullis suggestionibus velle assentiri, se commendet Mariæ SS. et postea in confessionario mentem ad Deum elevet; et cum vehementius vexatur, se vertat versus aliquam imaginem devotam, et illi se commendet. Cæterum satis erit illi qui est timoratæ conscientiæ, invigilare ad non præstandum consensum illis suggestionibus, aut motibus sensualibus, quos patitur, ut jam dictum est *Tr.* 3. *n.* 40. *et seqq.*

4. Patres matresque familias interroget non modo in genere circa filiorum educationem, sed etiam in particulari, et maxime exquirat, utrum filios sicut oportet corrigant; an curent ut illi addiscant doctrinam christianam; ut consortium eorum qui pravo sunt exemplo, vel diversi sexus, vitent, et præsertim si puellæ sunt, ne cum juvenibus conversentur, et multo minus cum personis suspectis, scilicet cum uxoratis, Religiosis, et Ecclesiasticis.

5. Etiamsi valde frequens esset pœnitentium concursus, non acceleret confessiones plus quam par est, ita ut ob audiendas plurium confessiones, deficiat, vel circa integritatem confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis necessaria monita suggerere.

6. Cum aliquis confitetur aliquod grave peccatum, et præsertim si pluries illud iteraverit, non sufficiet exquirere tantummodo speciem et numerum; sed interroget amplius, utrum ante in illud cadere consueverit, et insuper exquirat de qualitate personæ cum qua peccaverint? et quo loco? ut cognoscat utrum sit habitus, aut occasio quæ sit auferenda. Et in hoc desunt non pauci confessarii, et inde tot animarum ruina emanat: omittendo enim confessarius hujusmodi interrogationes, nequit dignoscere utrum pœnitens sit recidivus, et consequenter nequit illi remedia opportuna exhibere ad extirpandum habitum, vel occasionem. Observetur quod dictum est *Tr. ult. ex n.* 2. *ad* 17. ubi vidimus *n.* 9. quod pœnitens recidivus non potest absolvi, nisi post emendationis experientiam, vel post exhibitum suæ dispositionis extraordinarium aliquod signum. Et cum agitur de occasione proxima forti magnoque sit animo, postposita omni personarum acceptione, in differenda absolutione quousque pœnitens occasionem removeat, quando actu existit, ut explicavimus *n.* 7.; at si occasio est necessaria, saltem quousque ex proxima fiat remota adhibendo media sibi præscripta; *ibid. n.* 6. Potissimum sit inflexibilis in deneganda absolutione sponsis qui consuetudine invicem utuntur, sicut et parentibus qui id permittunt, neque credat illis asserentibus nihil inter se inesse mali: hoc enim est moraliter impossibile, ut docet experientia: vide *Tr. ult. n.* 3. ubi etiam sermo fit de iis, qui invicem se adamant.

7. Deneget absolutionem quoque illis, qui ad aliquem sacrum Ordinem promoveri cupiunt, dum adhuc aliquo vitioso habitu tenentur nisi prius perspexerit illos positivam probitatem ad hunc gradum tantopere a sacris Canonibus requisitam adeptos fuisse, ut dictum est *ibid. n.* 16. *et* 17.

8. Caveat etiam ne a vocatione religiosa ob humanos respectus aliquem adolescentem dissuadeat; quod quidem a peccato mortali excusari nequit, ut docet s. Thom. *Quodlib.* 3. *a.* 14. Quot imperiti confessarii sibi scrupulum non faciunt quod juvenes qui ad statum perfectiorem sunt vocati, a bono proposito avertunt, nulla alia ducti ratione, nisi ut eorum propinquis obsequantur, asserendo filios morem parentibus gerere debere! Docent communiter dd. cum s. Thoma in status electione unumquemque sua frui libertate: et Deo potius vocanti, quam parentibus parendum esse. E contrario advertat confessarius non posse absolvi quosdam qui non vocati ad sacros Ordines ascendere vellent, prout notatum est fusius *Append.* 3. *n.* 45.

9. In excipiendis sacerdotum confessionibus sit suavis atque urbanus; sed contra sit fortis in correctionibus debitis adhibendis, aut in deneganda absolutione, cum judicii ratio sic exigit. Potissimum hac fortitudine agendum est cum sacerdotibus, qui in gravia peccata relapsi, quin se unquam emendaverint, ausi sunt tamen celebrare, aucupando absolutionem ab aliquo confessariorum qui hoc funguntur officio et laborant, ut damnentur. Hi sacerdotes pravis habitibus detenti palam solent in sacristia confiteri, ut absolutionem, quæ eis deneganda esset, extorqueant sub prætextu scandali, quod eveniret (quemadmodum illi exponunt), si a celebrando desistere deberent. Sit constans confessarius cum hujusmodi sacrilegis in differenda absolutione, eos adstringat ad repetendas confessiones tamquam irritas, et ad confitendum de omnibus Sacrificiis celebratis: et interim ad abstinendum a celebratione, usquedum suæ emendationis perspicua indicia præbebunt. Quod si quis diceret ob scandalum a celebrando abstinere non posse, respondeat quod deesse non possunt justi prætextus, si vellet desistere a celebrando; cæterum si ipse id facere renuit, dicat quod celebrare potest, si est certus se habere contritionem, sed quod ipse pro tunc non potest eum absolvere, dum certus non est, ut oportet, de ejus dispositione; imo justum habet motivum credendi oppositum, cum observet tot relapsus sine emendatione. Et hoc modo agendo potest sperari, fore ut resipiscat, et salvetur ille miser sacerdos; secus ambo damnabuntur.

10. Generaliter autem loquendo, si accedat sacerdos conscientiæ parum meticulosæ, non omittat eum interrogare de tribus: 1. Si distulerit celebrationem Missarum per mensem, præsertim si sunt defunctorum (vide *App.* 3. *n.* 107.). Si festinanter celebravit, nam Missam persolvendo infra spatium horæ quadrantis, etiamsi esset de defunctis, aut votiva de B. Virgine, non excusaretur quidem a peccato mortali (vide *Tr.* 15. *n.* 84. *ad* 86.), quia in tali spatio non poterit notabiliter non defici in multis cæremoniis, aut saltem in gravitate, quam tanti Sacrificii veneratio exposcit. 3. Si satisfecit obligationi divini officii, præsertim si est beneficiatus. Non omittat autem ei suadere, ut se habilem reddat pro sua capacitate, ad animarum salutem promovendam. Et cum gravis adesset confessariorum penuria in sua regione, potest etiam eum obligare ad se idoneum reddendum ad tale officium, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 126. *et* 127. Cum calore etiam insinuet, ut ad Sacrificium se præparet, et debitas post celebrationem agat gratias. Quoad orationem mentalem, sine qua difficulter erit bonus sacerdos; vide quod dicitur §. 3. *circa principium*.

11. Cum agitur de rei alterius restitutione, non absolvatur pœnitens, nisi prius (cum potest) restituat; quia accepta absolutione difficulter id efficiet. Advertat tamen, quod multi excusantur a restitutione ob præscriptionem in bona fide. Super quo notandum 1. quod mobilia, cum intercedit titulus præsumptus, præscribuntur spatio trium annorum, et sta-

bilia decem inter præsentes, et 20. inter absentes. 2. Probabile esse eam præscriptionem valere pro foro conscientiæ, etiam ubi in foro externo non viget lex præscriptionis, quemadmodum est in nostro regno, ob difficultatem quæ reperitur in probanda bona fide. Excipiuntur tamen illæ præscriptiones quæ expresse sunt prohibitæ ab aliqua lege municipali, v. gr. in regno nostro reprobatur præscriptio hæredis, quando testator possedit mala fide. Vide doctrinas adnotatas *Tr.* 10. *n.* 10. *ad* 14.

12. Si pœnitens aliqua affectus est injuria, propter quam offensor in curia inquisitus existit, eum non absolvat (regulariter loquendo) nisi remissionem inimico faciat. Vide *Tr.* 4. *n.* 17.

13. Cum prævidet admonitionem non fore profuturam, ne intra quidem tempus aliquod, et pœnitens existit in bona fide, confessarius eam omittere debet, vide *Tr.* 16. *n.* 108. *et seqq.*, præcipue si agitur de aliquo matrimonio nulliter contracto; alias erit causa mille peccatorum, quæ facile committet pœnitens in mala fide constitutus, cum perseverat in proxima occasione peccandi, si faciliter separari nequit ab existimata uxore. In eo casu quin pœnitentem in mala fide constituat, potest ad S. Pœnitentiariam pro dispensatione scribere, juxta *formulam* adnotatam *Tract.* 18. *num.* 88. et pœnitenti dicat, ut post tot dies iterum redeat ad confitendum. Sed si peccatum in commune damnum spirituale vergeret, non debet confessarius omittere pœnitentem admonere, licet ille in bona fide existat, ut dictum fuit *Tr.* 16. *n.* 116. Excipitur præterea obligatio denuntiandi confessarios sollicitantes in materia turpi, quia confessarii munus est talem obligationem imponere licet prævideat pœnitentem non adimpleturum esse, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 178.

14. Juvat hic animadvertere, quod licet confessarius non teneatur, nec viri prudentis sit, ut ipse se immisceat in tales denuntiationes deferendas, nihilominus in aliquo raro casu potest teneri ad has partes suscipiendas, cum ageretur de consulendo damno communi religionis, aut communitatis. In eo casu potest ipse ab Episcopo expetere ut sibi talem denuntiationem excipiendi facultatem impertiatur; et deinde eam sic excipiet (refert modum, qui tenendus est, cognoscere). Et notanda sunt sequentia. 1. Nomen sollicitantis. 2. Tempus quo illa accidit. 3. Locus nempe ecclesia, et confessionale ubi patrata est. 4. Circumstantiæ personæ sollicitantis, nempe ætas, statura, capilli, etc. Debet autem monere pœnitentem, quod si illa innocentem accusaret sacerdotem de tali crimine subjaceret casui reservato Pontifici, ut habetur ex Bulla *Sacramentum* Bened. XIV. (1) juxta dicta *Tract.* 16. *n.* 129. Item jurejurando eam adstringat, ne præfatam denuntiationem alicui communicet. Denique advertat, adnotanda tantum illa verba, et eas actiones sollicitantes, quæ possunt manifestari Episcopo, quin manifestet culpam, si quam pœnitens commisit.

15. Non sit difficilis ad excipiendas confessiones generales ab eo qui sic confiteri cupit, licet nulla adsit necessitas. Dicebat s. Carolus Borromæus confessiones generales valde prodesse ad vitæ novæ perseverantem mutationem. Sed si magnus populi concursus fuerit, curet ad opportunius tempus eam differre: quod si nunquam ei vacabit tempus, quod occupationibus non præpediatur, ut accidit in Missionibus, curet saltem summatim excipere illam confessionem generalem (modo non sit necessaria) tantummodo exquirendo species et tempus peccatorum habituatorum, quin immoretur ad exquirendum numerum et circumstantias particulares.

16. Non prætermittat disponere

(1) Bullar. edit. Mechl. t. 1. p. 404 § 3.

quemlibet ad actum doloris, suggerendo ipsi motiva tam attritionis quam contritionis, eo modo quo dictum est *Tr.* 16. *n.* 117, dum illi actus doloris, quos eliciunt rudes sine motivis parvi aut nihili valent. Cum vero confessarius recte præsumere potest pœnitentem actum doloris, uti debet, elicuisse, tunc satis erit ante absolutionem ei dicere, ut renovet dolorem. Et præcipue advertat, quod si pœnitens accedit indispositus, ille pro viribus conari debet ad eum disponendum pro absolutione; vide *ibid.* *n.* 105. *et Tr.* 4. *n.* 3.

17. Illos pœnitentes, qui afferunt tantum peccata venialia, sed habituata, non absolvat, nisi perspectum habeat illos vere pœnitere, et verum propositum habere, saltem de aliquo illorum: aut nisi exhibeant pro materia certa aliquod gravius peccatum anteactæ vitæ, ut notatum est *Tr.* 16. *n.* 23. Quot confessiones invalidæ (quæ in se sunt vera sacrilegia) quotidie committuntur ob confessariorum socordiam!

18. Imponat tantum illas pœnitentias, quas judicare potest a pœnitente faciliter adimpletum iri, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 51. *et seq.*; sed curet ut illæ sint medicinales, puta frequentia Sacramentorum, visitationes, se Deo commendare mane et vesperi, legere aliquem librum spiritualem, se ad aliquam congregationem adscribere, etc.

19. Personis spiritualibus, quæ frequentant Sacramenta, insinuare non omittat orationis mentalis usum, rationem deinde exigendo de ea; saltem eas interrogando, an omiserint eam aliquando. Hac mediocri diligentia adhibita, quilibet confessarius poterit multas animas sanctificare. Nec sit difficilis ad Communionem frequentem concedendam, quoties cognoscit, aut prudenter judicat pœnitentem animæ suæ profectum consecuturum. Vide *App.* 1. *ex n.* 30.

20. Scrupulosis maxime suadeat obedientiam, et illis semper affirmet quod obediendo tuta via incedant, et non obediendo in periculum se perdendi conjiciunt. Sit fortis et rigidus in efficiendo, ut sibi obediatur; sermonem cum eis semper adhibendo constantem, quia si ancipiti sermone cum eis loquitur, eos magis confundet. Exhibeat regulas generales ad dubia deponenda, pro cujusque dispositione: v. gr. scrupulum facienti circa præteritas confessiones sub obedientia præcipiat ne confiteatur, nisi de peccatis a se certe pro mortalibus cognitis, et certe nunquam confessis. Et in hoc confessarius forti animo sit in eum non audiendo, nisi obediat; quia si aliquando cedit, et eum auscultat, pœnitens semper animo erit deturbatus: nonnulli confessarii animas in miserrimum statum reddunt, eas audiendo. Illi vero, qui timet quamlibet actionem suam esse peccatum, imponat ut scrupulum vincat, et libere operetur ubi certum peccatum non animadvertit; vide dicta *Tr.* 1. *ex n.* 8.

21. Circa opinionum delectum, cum agitur de removendo pœnitente a peccati formalis periculo confessarius non raro sequi debet benigniores, quantum christiana prudentia suggerit. Cum vero aliqua opinio proximius reddit peccati formalis periculum, tunc omnino suadere debet rigidiorem: vide dicta *Tr. ult. n.* 3. *circa fin.* Dico *suadere*, quia quando opinio est vere probabilis, et pœnitens vult eam sequi, non potest ei absolutionem denegare, ob certum jus quod ille acquisivit ex confessione peccatorum suorum jam facta, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 119.

22. In excipiendis mulierum confessionibus, et in tractando cum eisdem, austeritate majore quam potest utatur, prout prudentia suadet, ideoque recuset munera, familiaritatem, et quicquid causa animi adhæsionis esse potest, vitet. Quoniam hoc negligendo confessarii quot animas in exitium induxerunt proprias et pœnitentium, vide *Tr. ut. n.* 54. 55.

23. Sit humms, et de sua doctrina non sibi blandiatur : quare persæpe Deo fundat preces, ut per Jesu Christi merita sibi lumen de cœlo impertiatur, præsertim in dubiis casibus, *Invocavi et venit in me Spiritus Sapientiæ*. *Sap.* 7. 7. Ideoque confessarius qui orationi non vacat, difficulter recte incedet, et in dubiis magis implicatis, aut majoris consequentiæ non ommittat consulere alios viros doctos et majoris experientiæ. Potissimum id faciat in dirigenda aliqua anima elevata, cui Deus gratiis supernaturalibus favet, cum ille in tali materia parum expertus est. Nonnulli, qui vix scientiæ mysticæ notitiam attigerunt erubescent alios consulere : non ita agunt veri humiles : hi non solum alios consulunt, et non paucos cum oportet, sed etiam zelotypia non afficiuntur in dimittendo hujusmodi animas, ut dirigantur a magistris se peritioribus, aut saltem ut eorum judicium auscultent. Has autem animas confessarius non auscultet die festo ; festis enim præbeat locum aliis magis indigentibus, præsertim iis, qui laboribus dant operam, et nuptis.

§. II. *Monita ad parochos.*

Lubet hic breviter adnotare nonnulla onera magis præcipua, quibus parochi tenentur circa curam suarum ovium.

1. Parochus tenetur adeas instruendas in mysteriis Fidei, et rebus ad salutem necessariis, ut sunt 1. quatuor mysteria principalia, nempe quod sit *Unus Deus*, et quod sit omnipotens, sapientissimus Creator et Dominus totius, misericors et amabilis super omnia bona : præsertim, quod sit justus remunerator bonorum et malorum; item docere debet mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, et mortis Jesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, nempe Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam ; reliqua saltem cum suscipienda sunt. 3. Articulos symboli, et inter hos præsertim B. Mariæ virginitatem, sessionem Jesu Christi ad dexteram Patris, nempe quod ille in cœlo sit in æquali gloria cum Patre resurrectionem corporum in judicio finali quod fiet a Jesu Christo ; unitatem Romanæ Ecclesiæ in qua solum habetur salus, et deinde paradisi et inferni æternitatem. Quæ omnia quilibet fidelis sub gravi præcepto scire tenetur. 4. Præcepta Decalogi et Ecclesiæ. 5. *Pater Noster*, et *Ave Maria*, et actus Fidei, Spei, Amoris et contritionis. Igitur quemadmodum graviter peccat, qui hæc scire negligit et quidem non solum verborum textus, sed etiam in quantum ad sensum), ita etiam graviter peccat parochus, prout communiter dicunt dd. si per se, aut per alium idoneum (eo legitime impedito, ut ait Trid. *sess.* 5. *cap.* 2.) negligit ea docere saltem quoad substantiam suos subditos, aut pueros et adultos qui illa nesciunt. Hinc fit quod cum ipse observat parentes aut dominos non mittere filios aut famulos ad doctrinam, tenetur expedientia media capere cum Episcopo qui, ut ait Tridentin. *sess.* 24. *c.* 4. potest parentes etiam per censuras ecclesiasticas ad id compellere. Parochi vigilantes apud se adnotatos habent pueros, ut videant qui desunt. Imo dicit Croix (*l.* 2. *n.* 174. *et lib.* 3. *part.* 1, *n.* 767.), quod si adsunt ignorantes qui ecclesiam adire nequeunt, quia domos vel greges custodire debent, cum isti sunt in gravi necessitate spirituali, debet parochus privatim eos perquirere, ut *cum quantocumque suo incommodo*, sicut auctor loquitur, eos instruat. Saltem dicimus, quando hoc valde sibi erit difficile ob multitudinem hujusmodi ignorantium, curet saltem eos examinare et instruere tempore præcepti paschalis, aut cum accedunt ad petendas fides ut confirmentur, aut ut matrimonium contrahant. Expedit pariter ut parochus exploret magistros et magistras, ut possint pueros

et puellas doctrinam ac media in Dei timore vivendi docere.

2. Parochus per se ipsum tenetur Sacramenta ministrare, quoties juste subditi ab eo id petunt. Et si forte habet œconomum, debet bene illius vitam et scientiam explorare ; secus de perturbationibus, quæ postea accident, ipse Deo rationem redditurus est. Item tenetur assistere moribundis, si alius idoneus non reperitur. Et speciali attentione assistere debet peccatoribus habituatis moribundis ; illi enim in gravi necessitate suæ peculiaris assistentiæ existunt. Et circa Extremam-Unctionem, advertat quod dicit Catechismus Rom. (*part.* 2. *n.* 18.): *Gravissime peccant, qui illud tempus ægrotos ungendi observare solent : cum jam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiant*. Tenetur etiam parochus se certum facere utrum subditi sui præcepto paschali satisfecerint, Barbos. *de Officic. Paroch. c.* 2. *n.* 7. et Segneri *Paroch. Instr. c.* 23. Et sit cautus ne schedulas Communionis committat cuilibet clerico.

3. Debet impedire quominus habitus clericalis conferatur illis juvenibus aut pueris, qui in suis moribus spiritus ecclesiastici indolem non præ se ferunt. Debet cum diligentia clericos suos instruere, qui habitum deferunt clericalem, ut ad statum ecclesiasticum progrediantur, secus illi sine disciplina educati, cum effrænati reperiantur, sive per fas, sive per nefas ad Ordines promovebuntur et evadent scandalum loci. Omitto sermonem facere de gravi illa ratione quam Deo reddituri sunt parochi illi, qui fides exhibent ordinandis, quos ipsi jam aut cognoscunt Ordinibus indignos esse, aut eas exhibent antequam sedula præcedente diligentia de illorum probitate exquisiverint.

4. Parochus tenetur exquirere de iis qui vivunt in peccato, ut corrigantur. Item de inimicitiis et scandalis quæ serpunt, præsertim inter sponsos, ut opportune illis occurrat, quantum potest. Dicit s. Thomas (2. 2. *q.* 15. *a.* 3.): *Qui habet specialem curam alterius, debet eum quærere ad hoc, ut corrigat de peccato*. Cum vero aliquod scandalum ab aliquo potente (præsertim si est sacerdos) observat, cui ipse prospicere non potest, debet saltem rem ad Episcopum deferre, ut ipse consulat : et id quovis intuitu, aut timore negligere non debet; bonus pastor tenetur pro ovium suarum salute animam ponere.

5. Curet, ne sponsorum verba multo tempore ante matrimonium excipiat, quia initis sponsalibus, totum illud tempus, quod inter nuptias interfluit, in peccato tam sponsi quam eorum parentes perseverabunt.

6. Cum in regione notabiles audiuntur perturbationes, quibus parochus consulere nequit, tenetur ille conari ut Missio advocetur, nisi aliud reperiatur expediens, quo illis prospiciatur. Et semper expediens erit interdiu confessarios exteros arcessere pro animabus erubescentibus : præsertim si in suum oppidum non solet concionator quadragesimalis advenire. Ille autem parochus, qui Missiones respuit, non mediocrem suæ probitatis suspicionem ingerit.

7. Parochus non solum debet malum avertere, sed etiam bonum promovere, quemadmodum boni pastores efficiunt, qui non desistunt hortari ad Sacramentorum et Congregationum frequentiam, ad Visitationes SS. Sacramenti et divinæ Matris, ad Novenas, ad Venerabile, cum Viaticum circumfertur, associandum.

8. Curet persæpe, ut populus singulari studio Mariæ SS. devotionem prosequatur, insinuando quanta sit ejus potentia et misericordia erga suos devotos. Idcirco insinuet ut recitent Rosarium in communi quotidie una cum familia, ut jejunent sabbato, et celebrent Novenas septem festivitatum, quas ex altari annuntiabit populo quoties aliqua Novena accidit. Expediet propterea, ut sabbato ille

conciunculam faciat, narrando aliquod exemplum beatissimæ Virginis, et semel in anno celebrare aliquam Novenam solemniorem cum sermone et expositione Venerabilis, et propterea uti poterit inter cæteros libro, quem typis edidi, cui titulus : *Glorie di Maria*, ubi collectam reperiet materiam et exempla. Felix ille parochus qu suas oves ferventes tenet erga devotionem Mariæ ! nam illæ, Virgine opitulante, recte vivent, et ipse advocatam in vitæ exitu potentem habebit. Vide dicta *Tr.* 7. *n.* 43., ubi locuti fuimus de rebus quæ majoris sunt momenti, et quæ parochus prædicando debet potius populo suadere.

Potissimum insinuet usum petitionis ; nempe ut sæpe se Deo commendent, ab eo præsertim sanctam perseverantiam postulando propter Jesu et Mariæ amorem ; sæpius explicando, quod divinæ gratiæ, et præcipue donum perseverantiæ, non obtinentur, nisi petantur, *petite, et accipietis*. Et publicet sæpe illam magnam Jesu Christi promissionem, quod quicquid Patrem petierimus in ejus nomine, Pater dabit nobis : *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Joan.* 16. 23. Insinuet etiam instanter usum orationis mentalis, et curet faciendam in ecclesia una cum populo quolibet die, aut saltem quolibet die festo, docendo etiam modum, quo fieri potest domi. Ideoque hic subjungitur instructio sequens, ubi sermo sit de necessitate, et deinde de modo practico orationis mentalis.

§. III. *Brevis praxis orationis mentalis.*

Antequam de praxi et modo orationis mentalis sermo fiat, juvat de orationis mentalis necessitate cognoscenda aliquid dicere. Duo sunt hujus necessitatis momenta. Primum est quod innuit s. Augus., nempe quod incedenti clausis oculis impossibile est viam et suæ salutis media intueri. Veritates æternæ sunt supernaturalia negotia quæ oculis corporeis conspici nequeunt, sed oculis mentis, cogitatione nimirum et consideratione, assequi possumus. Igitur qui orationi mentali non incumbit, non considerat, et consequenter suæ salutis æternæ negotium quanti intersit non videt, et viam quæ tenenda est ut illac eat, non prospicit. Id quidem fuit quod scripsit s. Bernardus ad Eugenium Papam : *Timeo tibi, Eugeni, ne multitudo negotiorum, intermissa oratione et consideratione, te ad cor durum perducat, quod seipsum non exhorret, quia non sentit*, (*lib.* 1. *Consid. ad Eug. Pont.*). Ut quis suam æternam curet salutem, oportet ut sit ei cor flexibile seu docile, et paratum ad divinarum inspirationum impressiones recipiendas, et ad eas exequendas. Hoc expostulabat Salomon a Deo : *Dabis ergo servo tuo cor docile.* 3. *Reg.* 3. 9. Dicit s. Joannes quod animæ sunt Dei, quæ intendunt ad audiendas et exequendas divinas voces : *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Joan.* 6. 45. Cor nostrum in se durum est, quia totum pronum est ad carnis voluptates sequendas, et est spiritus legibus obstans. Illud autem flexibile redditur gratiæ influxibus, quæ per orationem illi infunditur: ibi anima ad divinam bonitatem et ad amorem Dei, qui erga eam est singularis, considerandum movetur, illa inflammatur, emollitur, et divinis vocationibus redditur obediens, quemadmodum experiebatur David, qui dicebat: *In meditatione mea exardescet ignis. Ps.* 38. 4. Aliter cor durum, obsistens, inobediens remanebit, et in die novissimo male habebit : *Cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit. Eccli.* 3 27. In sua duritie persistens, infortunium subibit, quod ne cognoscet quidem se talem esse : cor enim quod non meditatur, ait s. Bernardus *seipsum non exhorret, quia non sentit*. Nam defectus suos et impedimenta quæ suæ saluti objicit, non percipit. Et advertendum quod s. Bernardus scribebat ad Pontificem, qui quidem non omittebat orationem (si forte aliquando eam intermittebat) propter negotia mundana, sed propter negotia ,. quæ omnia Ecclesiæ, ac Dei gloriæ momenta respiciebant. Opus est ut id præsertim animadvertant sacerdotes, qui majoribus oneribus cum premantur, majori divinarum gratiarum præsidio indigent et consequenter oratione, ut robur assequantur quo illa sustinere possint : et non tantum illi qui orationem negligunt, ut in sæcularibus negotiis incumbant, sed etiam illi qui ab ea abducuntur, ut opera spiritualia in proximi commoda promoveant, v. gr. ut confessiones audiant, concionentur, aut scribant.

Huic arridet quod scripsit s. Theresia (*Epist.* 8.) ad episcopum Uxamæ, qui ceteroquin maximo zelo ovium suarum saluti, sed non multum orationi vacabat, dum interdum eam omittebat. Quare Sancta superno illustrata lumine particulari, aut etiam per revelationem cognito hujusmodi Prælati defectu, licet ipse esset suus confessarius, ut eum emendatum videret, sibi difficultas nulla fuit illum admonendi, eique ita scripsit, vertendo verba in latinum sermonem : *Cum referrem Domino nostro quas ipse contulit in te gratias, concedendo humilitatem, charitatem et zelum, petii ab eo, ut tibi omnium virtutum accessionem largiretur, nullam palefecit in te desiderari, nisi quod præ omnibus præcipuum est (et deficiente fundamento, opus ruit, et nutat). Desideratur igitur in te oratio et perseverantia in oratione cum constantia, disrumpendo unionis sustentaculum, nimirum Spiritus Sancti unctionem ; ex cujus carentia oritur omnis siccitas, et disjunctio quam anima patitur*. Et postea subjungit : *Licet in nobis nullæ videantur inesse imperfectiones, cum vero animæ oculos Deus aperit, quemadmodum efficere solet in oratione, perspicue hæ conspiciuntur imperfectiones*. Et hoc profecto est quod declaravit Spiritus Sanctus, nempe quod ex meditationis deficientia mundus peccatoribus scatet, et infernus animabus quotidie repletur. *Desolatione desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde*. Jerem. 12. 11.

Alterum principale fundamentum, et majoris momenti pro necessitate orationis mentalis, est quod animæ, quæ non meditantur, non orant, et ita pereunt. Virtutes in illo, qui orationi non vacat, licet reperiantur, nihilominus nec stabiles nec perseverantes se præstabunt, quia perseverantia nisi petitionibus, et quidem perseverantibus, non obtinetur. Hinc fit quod qui non petit perseveranter, non perseverabit. Propterea s. Paulus discipulos suos, ut sine intermissione orarent, hortabatur : *Sine intermissione orate.* 1 *Thess.* 5. 17. et ipse Salvator dicebat nunquam ab oratione cessandum esse : *Oportet semper orare et non deficere. Luc.* 18. 1. Et hinc oritur quod meditatio sit moraliter necessaria animabus, ut in Dei gratia persistant. Dico *moraliter necessaria*, quia licet ex se loquendo sine meditatione possit quis in gratia acquisita perdurare, attamen cum non meditatur est moraliter impossibile, nempe difficillimum, ne in gravia peccata labatur ; et ratio est illa quam paulo superius innuimus, quia ille qui orationi non vacat, in alia animum distrahens, parum indigentias suas percipiet, parvi pericula sua faciet, parum curabit media suscipienda et exequenda. ut ab illis caveat. et parum denique orandi necessitatem, in qua reperitur, cognoscet ; et ab orando desistet, et non orando utique peribit. Magnus ille Episcopus Palafox in adnotationibus ad præfatam epistolam s. Theresiæ, quam ille vocat omnium maxime spiritualem inter alias Sanctæ (*n.* 10.) sic scribit : *Hinc discere debemus nos Prælati,*

non satis esse zelum, nec charitatem sine oratione, quia virtutes, quæ oratione non sulciuntur, deficiunt, et nos peribimus. Ratio patens est : quomodo durare potest charitas, si Deus perseverantiam non præstabit? Quomodo nobis perseverantiam præstabit Dominus, si eam ab ipso non expostulamus? quomodo eam expostulabimus sine oratione? quomodo hoc miraculum (nempe perseverantiam obtinere sine oratione) *fiet sublato aquæductu cælestium influxuum in animas, nempe orationem? sublata oratione nulla cum Deo intercedit communicatio, ut virtutes conserventur, nec aliud medium, nec aliud remedium existit, ut a Deo bona consequamur.*

Contra nos monitos facit Dominus, quod qui veritates æternas, nempe mortem, judicium, et duas æternitates felicem, aut infelicem, quæ nos manent, meditaverit, immunem a peccatis se servabit : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Eccli.* 7. 40. Dicebat David quod æternitatis meditatio eum in virtutum exercitium incitabat, et ad spiritum a defectibus purgandum : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui... et exercitabam et scopebam spiritum meum. Psal.* 76. 6. 7. Et dicebat quidam auctor, quod si interrogarentur damnati, cur vos in inferno reperimini? responderent major eorum pars : nos in inferno reperimur, quia infernum non cogitavimus. Qui in spiritualibus exercitiis de veritatibus æternis commonetur, impossibile est ut ad Deum non convertatur, si illas attente audit, et illas credit. Sanctus Vincentius de Paulo dicere solebat, quod si peccator Missionibus aut exercitiis spiritualibus ex animo adesset, et se non converteret, prodigio hoc simillimum erit, et tamen qui concionatur et loquitur in exercitiis, non est nisi homo, dum in oratione mentali est Deus ipse, qui animam alloquitur : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Osee* 2. 14. Deus utique omni concionatore sapientius loquitur. Omnes Sancti facti sunt sancti per meditationem. Et experientia docemur, quod illi qui orationi insistunt, cum difficultate in mortale peccatum decidunt, et si forte aliquando cadunt, orationi insistendo, statim resipiscunt, et ad Deum revertuntur. Oratio mentalis, et peccatum una simul cohærere non possunt. Dicebat quidam Dei servus, quod multi recitant Rosarium, officium Virginis, jejunant, et in peccato perdurant. Sed qui prosequitur orationem, impossibile est, ut pergat in Dei inimicitia esse ; aut orationem omittet, aut a peccato discedet. Sed si orationem non relinquet, non solum a peccato avertetur, sed etiam a creaturarum amore dissolvetur, et amorem suum Deo dabit : *In meditatione mea exardescet ignis. Psal.* 38. 4. Oratio est fornax, ubi in divino amore animæ accenduntur. Possibile non est ex animo divinam bonitatem, meritum quod Deus habet ut ametur, amorem quo nos dilexit et diligit, considerare, et animam erga Deum non incendi. Dicebat idem regalis Propheta Deum cogitando et opera magna charitatis suæ erga homines meditando, quod totum se inflammatum sentiebat ad illi obsequendum, et suum spiritum deficere, cum incapax esset ad consolationes superabundantes recipiendas quibus tunc Dominus se ei communicabat : *Memor fui Dei, et delectatus sum*, et *exercitatus sum et defecit spiritus meus. Psal.* 76. 4. Sed ad praxim descendamus.

Loquendo de loco orationi magis accommodato, commodior est ecclesia : sed illi qui eo adire, aut ibi commorari non possunt, in quolibet loco, domi, villa, etiam deambulando, etiam laborando, mente ad Deum elevata, orationi vacare possunt : quot ruricolæ, cum alio modo non possint, orationem laborando et in itinere faciunt? Qui Deum quærit, ubique et omni tempore eum invenit.

Quoad tempus, tempus matutinum est melius. Non bene diei actiones procedent cum mane orationi vacatum non est. Oratio deberet utique bis in die, mane nempe et vespere, fieri, sed cum vespere non vacat tempus, fiat saltem mane. Dicebat V. P. D. Carolus Caraffa piorum operariorum fundator, quod unus actus amoris cum fervore mane in oratione factus, potens erit ad animam per totum diem in fervore conservandam. Quantum ad tempus quo oratio durare debet, parochus aut confessarius pro sua prudentia se dirigat. Certum est quod, ut ad gradum aliquem perfectionis sublimem perveniatur, non sufficit mediæ horæ spatium. Cæterum hoc tempus sat erit pro incipientibus, sed maxime eis insinuet ne orationem omittant ariditatis tempore. Vide dicta *Append.* 1. *n.* 5.

Denique veniamus ad modum docendi orationem. Illa tribus constat partibus, præparatione, meditatione, et conclusione. In præparatione tres continentur actus, Fidei, nempe de Dei præsentia, humilitatis, et petitionis ut illustretur anima. Dicendo ita : 1. Deus meus, credo te esse mihi præsentem, et de abysso meæ vilitatis te adoro. 2. Domine mi, propter peccata mea nunc in interno mihi esset morandum, me pœnitet offendisse te, parce mihi propter tuam pietatem. 3. Pater æterne, propter Jesum et Mariam præbe mihi lumen in hac oratione, ut ex illa animæ meæ profectum percipiam. Deinde dicatur *Ave* ad Mariam SS. ut hanc lucem sibi impetret, et *Gloria Patri* ad s. Josephum, ad Angelum custodem, et ad sanctos advocatos. Hi actus fiant attente, sed breviter et statim ad meditationem procedatur.

Pro meditatione juvat cum præsertim, si legere scit, aliquo libro uti, sistendo ubi animus motum se magis sentit. Dicit s. Franciscus Sales., quod in hoc faciendum est, ut apes faciunt, quæ insident in flore donec mel exhauriant, et deinde ad alium transeunt. Qui vero legere nescit, meditetur Novissima, beneficia Dei, et maxime vitam et Passionem Jesu Christi : meditatio Passionis (dicebat s. Franciscus Sales.) debet esse nobis ordinaria. O quam perbellus liber est Passio Jesu pro animabus devotis ! ibi melius quam in alio libro peccati malitia et Dei erga homines amor percipitur. Locuta fuit olim quædam Redemptoris imago ad v. fr. Bernardum de Corlione, qui eum rogavit, utrum sibi placeret, ut ipse legere ediceret? Imago respondit : *Quid tibi cum legere? Quid tibi cum libris? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit.*

Hic advertendum est orationis mentalis profectum non solum nec tantum in meditatione consistere, quantum in affectus eliciendo, petendo, et deliberando ; hi sunt tres fructus meditationis, prout innuimus *append.* 1. *n.* 3. Igitur postquam quis aliquam maximam æternam meditatus erit, et postquam cor ejus Deus allocutus fuerit, opus est, ut ipse Deum alloquatur per affectus, sive actus Fidei, gratiarum actionum, adorationis, humilitatis et potissimum amoris et contritionis, qui actus etiam amoris est. Amor est illud aureum vinculum quod animam cum Deo copulat. *Charitas est vinculum perfectionis.* Quilibet amoris actus est thesaurus qui de divina amicitia nos certos facit : *Infinitus enim est thesaurus hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Sap.* 7. 14. *Ego diligentes me diligo. Prov.* 8. 17. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Joan.* 14. 21. *Charitas operit multitudinem peccatorum. I. Petr.* 4. 8. Vide dicta in Opere Morali *lib.* 6. *n.* 442. Venerabilis soror Maria Crucifixa vidit magnam flammam in quam nonnullas paleas projectas vidit statim incendi ; ex hoc sibi cognitum factum est, per quemlibet amoris actum ab anima abstergi ac destrui omnes culpas commissas.

Præterea docet s. Thomas quemlibet actum amoris efficere ut nos gloriæ æternæ gradum unum adipiscamur : quilibet actus charitatis meretur vitam æternam. Actus amoris autem sunt dicere : *Deus meus, te omnibus præpono. Ex toto corde te diligo.* Aut se totum in voluntatem divinam committere, dicendo: *Domine, fac me cognoscere quid de me tibi placeat, quoniam paratus sum ad omnia.* Aut se sine ulla reservatione Deo offerre, dicendo : *Ecce me, fac de me, et de meis omnibus quod tibi lubet.* Et præcipue hæ oblationes sunt actus amoris qui Deo maxime sunt cordi ; quapropter s. Theresia quinquagies quotidie se Deo offerebat. Actus perfectissimus amoris est gaudere et sibi complacere de infinita Dei felicitate. Cum vero anima cum Deo se sentiret conjunctam per supernaturalem sive infusam animi recollectionem (ut explicatum est *App.* 1. *n.* 13.), ei nihil elaborandum est in aliis actibus eliciendis, nisi illis ad quos suaviter a Deo se sentit attrahi : cum debeat dumtaxat tunc attentione amatoria ad id, quod Deus in ea operatur, attendere ; nam secus posset divinæ operationi impedimento esse. Notandum insuper, ut advertit s. Franciscus Salesius, quod si unquam ante meditationem per Spiritum sanctum aliquis bonus affectus inspiratur, tunc omittenda est consideratio, et affectibus locus cedendus est ; dum consideratio non inservit, nisi ad affectus movendos, quare fine assecuto media omittenda sunt.

2. Juvat maxime in oratione petitiones repetere, cum humilitate et fiducia a Deo lucem suam, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum et præ cæteris donum sancti amoris sui expostulando. Hortabatur s. Franciscus Sales. inter cæteras gratias ad petendam cum fervore nimis vehemente gratiam divini amoris, quia (dicebat) obtento amore, omnes alias gratias consequimur. Summa hæc est quod si ob spiritus desolationem in qua forte anima reperiretur, si aliud efficere non potest, sibi satis erit Davidis petitionem repetere : *Deus, in adjutorium meum intende. Domine, adjuva me. Succurre mihi, mihi præsto sis.* Dicebat V. P. Paulus Segneri experientia se doctum fuisse, nullum utilius pro animabus exstare exercitium in meditatione, quam iterum atque iterum petere. Et opus est petere nomine, sive meritis Jesu Christi, qui nobis perspicue promisit, ut supra dictum est : *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan.* 16. 23.

3. Necesse est, ut in oratione (saltem in fine illius) aliquod propositum sibi statuat, non tantum in generali, ut esset omnem culpam deliberatam, etiam levem, aufugere, et se totum Deo tradere ; sed etiam in particulari, v. g. cum majori attentione ab aliquo defectu se custodire, in quem frequentius lapsus est ; aut meliori modo quam prius aliquam virtutem exercere, v. g. patientius talis personæ sufferre molestiam, obedire diligentius tali Superiori, aut tali regulæ, vigilantius in tali et tali re se mortificare. Ab oratione ne discedamus, nisi aliquod particulare propositum deliberaverimus.

Denique orationis conclusio tribus fit actibus, 1. Gratiæ Deo agantur de inspirationibus in meditatione habitis. 2. Proponatur ad amussim deliberationes factas observare. 3. Petatur ab æterno Patre propter Jesum et Mariam auxilium, ut fidelis servetur. Et terminetur Deo commendando animas purgatorii, Ecclesiæ Prælatos, peccatores, et omnes nostros conjunctos, amicos et benefactores, recitando *Pater* et *Ave*, quæ sunt preces omnium utilissimæ, quas a Jesu Christo et sancta Ecclesia nos edocti sumus.

Oportet autem, cum ab oratione discedimus. 1. ut dicit s. Franciscus Sales. ut colligamus florum manipulum, ut quotidie odoratu de eo obiectemur, nempe unum aut alterum punctum in quo anima magis mota est ad hoc, ut in diei progressu illius recordemur.

2. Oportet curare ut statim deliberationes factas in occasionibus tam exiguis quam magnis, quæ nobis occurrent, in praxim deducamus; v. g. deliberationem cum suavitate sufferendi aliquam personam, quæ in nos ira commota est : aut nos mortificandi in visu, auditu, loquela etc.; et præsertim cum silentio quantum possibile est oportet affectuum habitorum sensum servare ; alias statim in actiones et sermocinationes inutiles nos distrahendo, statim evanescet ille devotionis fervor, qui in oratione conceptus est.

Præ cæteris denique director suos pœnitentes incessanter hortetur ne orationem omittant, nec minuant tempore ariditatis, et ne unquam turbentur, licet per multum aut longum tempus desolatione videantur premi. Quot aulici, ait s. Franciscus Sales., eunt principem veneraturi, et contenti sunt simpliciter ab eo videri ? Nos ad orationem eamus fine Deo obsequendi ; si ipse velit nos alloqui et suis consolationibus nobis favere, de tantis gratiis illi agamus gratias ; sin minus, contenti simus coram divina præsentia adesse cum pace, eum adorando et nostras necessitates ei exponendo ; et tunc si Dominus nos non alloquitur, certe nostra observantia et fidelitas ei grata erit, et pro nostra fiducia utique nostras preces exaudiet.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

AB ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5. *die* 24. *septembris* 1665.

In Congregatione generali s. Romanæ et Universalis Inquisitionis coram SS. D. N. Alexandro PP. VII. mature discussis infrascriptis propositionibus :

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Concistorio S. C. Eminentis. Cardinal. visa et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest sa-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ARCHIVO GENERAL DE LA COMPAÑÍA DE JESÚS

cerdos cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura et studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit, prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas

damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit et defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Feria 5. *die* 18. *Martii* 1666.

Prop. 29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcumque iter agant etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V., hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii (vulgo *regalo*), dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

A P. INNOCENTIO XI.

Feria 5. *die* 2. *Martii* 1679.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Bapt. Ordinis sacerdotalis, aut episcop.

2. Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus, per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fide late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis, est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum

gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum, confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spe nulla appareat, nec est neganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quin imo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

AB ALEXANDRO VIII.

Die 24. *augusti* 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.*

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Feria 5. *die* 7. *decemb.* 1690.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus et solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et mul-

temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro uso, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus : *In nomine Patris* etc. prætermissis illis : *Ego te baptizo* etc.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernentis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, est subreptitia.

Advertit : In hac Bulla Urbani VIII. edita anno 1641, confirmantur Constitutiones Pii V. et Gregorii XIII. quibus damnantur septuaginta novem Baii propositiones : in eadem iterum prohibetur liber Cornelii Jansenii, cui titulus : *Augustinus*. Hanc Bullam Baiani et Jansenistæ dixerunt esse subreptitiam, tanquam editam a Pontifice veritatis ignaro ; cum tamen Pontifex in ea asserat, *ex matura ac diligenti ejusdem libri, cui titulus*, Augustinus, *lectione* compertum esse, in eodem libro multas Baii propositiones proscriptas contineri. *Vide* in hanc propositionem.

HABITA FACULTATE

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR

Prior numerus denotat *tractatum* aut *appendicem*, alter arabicus denotat numerum marginalem ipsiusmet *tractatus* aut *appendicis*.

A

Abbates an habeant facultatem capit. *Liceat*. XX. 31. Cuinam conferre possint Ordines 117. ad 120.

Abbatissa, an possit irritare aut dispensare vota. V. 36. An possit donare et dare licentiam donandi. XIII. 12. *ad dubit*. 5. De abbatissæ electione. 22. An abbatissa possit colloqui cum omnibus. XIX. 42.

Ablutio. An requiratur trina in Baptismo. XIV. 13.

Abortus et abortivus. An liceat esse causam abortus. VIII. 22. An prægnantes, quæ sibi abortum procurant, incurrant excomm. 23. An in dubio animationis fœtus. 24. An liceat medicinam præstare matri. 25 et 26. An baptizandi sint fœtus abortivi. XIV. 20. An Episcopi et Regulares possint absolvere sæculares a censura per abortum incursa. VIII 22.

Abrogare. An decennio leges abrogentur, etiam ecclesiasticæ. II. 11.

Absolvere, et *absolutio*. An excommunicati teneantur curare ut absolvantur. II. 21. Non debet absolvi qui prius non restituit. X. 105. De verborum absol. necessitate. XVI. 5. An absol. conditionata sit valida. 6. An danda morib. si dat signa pœnit. 35. ad 4. An si alius testetur illum petiisse confess. 36. Si nullum dat signum. 37. Si in actu peccati sensibus destituitur. 38. De certitudine dispositionis ad absolvendum. 118. Absolutus a reservato in bona fide a simplici confess. an valide. 139. An pœnitentes possint absolvi ante denuntiationem, etc. 176. Quis potest absolvere a censuris. XIX. 11. Si per sententiam generalem, etc. et an Episc. foris existens, etc. 12. An requiratur præsentia censurati, de absolutione conditionata et an absolvere liceat extra confessionem. 13. Requisita pro absolutione a censuris. 14. (Vide etiam *Tr.* XX. *n.* 4.). An confessarius peccet absolvens in morta[l]. *App.* III. 13. Absolutio censurarum. 80. Sacerdos simplex quando potest absolvere. 130.

Abstinentia a carnibus. XII. 2. A lacticiniis. 3 et 4. A lardo. 5. A piscibus. 6 et 7. A carne suilla. 8. A sorbetto. 14. A chocolate. 15. Quæ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro uso, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus : *In nomine Patris* etc. prætermissis illis : *Ego te baptizo* etc.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernentis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, est subreptitia.

Advertit : In hac Bulla Urbani VIII. edita anno 1641, confirmantur Constitutiones Pii V. et Gregorii XIII. quibus damnantur septuaginta novem Baii propositiones : in eadem iterum prohibetur liber Cornelii Jansenii, cui titulus : *Augustinus*. Hanc Bullam Baiani et Jansenistæ dixerunt esse subreptitiam, tanquam editam a Pontifice veritatis ignaro ; cum tamen Pontifex in ea asserat, *ex matura ac diligenti ejusdem libri, cui titulus*, Augustinus, *lectione* compertum esse, in eodem libro multas Baii propositiones proscriptas contineri. *Vide* in hanc propositionem.

HABITA FACULTATE

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR

Prior numerus denotat *tractatum* aut *appendicem*, alter arabicus denotat numerum marginalem ipsiusmet *tractatus* aut *appendicis*.

A

Abbates an habeant facultatem capit. *Liceat*. XX. 31. Cuinam conferre possint Ordines 117. ad 120.

Abbatissa, an possit irritare aut dispensare vota. V. 36. An possit donare et dare licentiam donandi. XIII. 12. *ad dubit*. 5. De abbatissæ electione. 22. An abbatissa possit colloqui cum omnibus. XIX. 42.

Ablutio. An requiratur trina in Baptismo. XIV. 13.

Abortus et abortivus. An liceat esse causam abortus. VIII. 22. An prægnantes, quæ sibi abortum procurant, incurrant excomm. 23. An in dubio animationis fœtus. 24. An liceat medicinam præstare matri. 25 et 26. An baptizandi sint fœtus abortivi. XIV. 20. An Episcopi et Regulares possint absolvere sæculares a censura per abortum incursa. VIII 22.

Abrogare. An decennio leges abrogentur, etiam ecclesiasticæ. II. 11.

Absolvere, et *absolutio*. An excommunicati teneantur curare ut absolvantur. II. 21. Non debet absolvi qui prius non restituit. X. 105. De verborum absol. necessitate. XVI. 5. An absol. conditionata sit valida. 6. An danda morib. si dat signa pœnit. 35. ad 4. An si alius testetur illum petiisse confess. 36. Si nullum dat signum. 37. Si in actu peccati sensibus destituitur. 38. De certitudine dispositionis ad absolvendum. 118. Absolutus a reservato in bona fide a simplici confess. an valide. 139. An pœnitentes possint absolvi ante denuntiationem, etc. 176. Quis potest absolvere a censuris. XIX. 11. Si per sententiam generalem, etc. et an Episc. foris existens, etc. 12. An requiratur præsentia censurati, de absolutione conditionata et an absolvere liceat extra confessionem. 13. Requisita pro absolutione a censuris. 14. (Vide etiam *Tr.* XX. *n.* 4.). An confessarius peccet absolvens in morta[l]. *App.* III. 13. Absolutio censurarum. 80. Sacerdos simplex quando potest absolvere. 130.

Abstinentia a carnibus. XII. 2. A lacticiniis. 3 et 4. A lardo. 5. A piscibus. 6 et 7. A carne suilla. 8. A sorbetto. 14. A chocolate. 15. Quæ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nam dicitur parvitas materiæ in jejunio et de illo qui pluries in die comedit. 20 et 21.

Abusus. Non est facienda restitutio si timeatur abusus. X. 116 ad 3.

Acceptatio legis. II. 9 et 10. De acceptatione dispensationis. 48. Donationis. X. 130. Et si est per nuntium aut epistolam. *ibid*.

Accessorium in voto. V. 24.

Acolythatus quid, potestas et officium. *Append*. III. 56.

Actus. Debet stari pro validitate actus. I. 16. An lex possit præcipere actus internos. II. 17. An satisfieri possit pluribus præceptis, pluribus actibus, vel unico actu. 30 et 31.

Actus hominis, et actus humani. III. 2. Actus voluntarius quotuplex. 3. ad 6. De actu libero. 7 ad 11. Actus a quo bonitatem, aut malitiam sumunt. 19 et 20. et IV. 26. An detur actus indifferens. III. 21. De distinctione numerica actuum internorum. 57 ad 61, externorum. 62. et 63. An unico actu plura peccata committi possint. 64. Si actus internus durat in effectu unum constituit pecc. 61. Quomodo uniuntur actus externi. 62. Qui furatur 100 aureos in 100 vicibus quot peccata committit. 63. Actus Fidei, Spei in aliquando obligent. IV. 13. An in contritione requirantur. XVI. 13. Actus christiani pro moribundis. *Append*. II. § ultimo.

Adjuratio quid. V. 20.

Administrare et *administratio* Sacramentorum lucri fine an liceat. IV. 45. Parochorum obligatio erga administr. Sacram. VII. 24 ad 27. An teneantur administrare tempore pestis. 23. Administrat. Sacram. simulare an liceat. *Append*. III. 16.

Admonitio. An liceat admonere complicem de pœnitentis licentia. XVI. 152. An admonere pœnitentem sine ejus licentia de errore in confessione commisso. 124. An intra confess. 156 *in fine*. Vide *monitio*.

Adventitia bona quænam dicantur. X. 4.

Advertentia ad dubium an adsit lex. XVI. 111. An ad peccatum. III 24 ad 39, et VIII. 8.

Advocatus. An clerici et monachi possint agere advocatos. XIII. 69. Quando advocatus tenetur defendere. *ibid*. Quas causas et quo salario, etc. 70. Si causa est injusta, etc. 71. Pactio in litis progressu an liceat, et de quota litis. *ibid*.

Adulator circa restitutionem. X. 51.

Adulterium et *adulter*. Si adulter occidit virum, ut se defendat, ad quid tenetur. VIII. 20. An, dissentiente viro, adulterium sit duplex pecc. IX. 16. Vir qui sodomitice, etc. *ibid*. Ad quid adultera tenetur; et an debeat se prodere, etc. X. 99. Ad quid adulter. 101. Ad quid in dubio an proles sit sua. 102. Ad quid si divites mittunt ad hospitalia. 103. An ob adulterium conjux teneatur se separare. XVIII. 93 et 94. De jure revocandi adulterum. 95. 96.

Æquiparata quæ sunt. II. 78 ad 11.

